

# *The Latin Correspondence of Sir Thomas More*

The letter and line numbers correspond to the 1947 Rogers edition (Princeton UP) and to the Allen edition of *Opus Epistolarum Erasmi* [EE] (Clarendon P, 1906-58, 12 vol.) and to *Moreana* no. 117.

The Latin spellings have been standardized for this edition and its concordance by Mary Taneyhill, Alvin Bockwinkel, and Matthew Bellet.

A complete concordance to this work can be found at  
<https://thomasmorestudies.org/concordance-home/#latin>

©CTMS 2014

[2] To John Holt. <London, c. November 1501> .....	3
[3] To John Colet. London, 23 October <1504> .....	3
[5] To Thomas Ruthall. <London, 1506> .....	5
[6] To Henry VIII <London, c. June 1509> .....	7
[8] To John Colet <c. March 1512?> .....	8
[15] To Martin Dorp. Bruges, 21 October <1515> .....	8
[16] To Erasmus. <London, c. 17 February 1516> <b>In EE 2.388</b> .....	40
[17] To Tunstall <1516? London> .....	43
[19] To Erasmus <London, c. 21 June 1516> <b>In EE 2.424</b> .....	44
[20] To Erasmus. London, 3 September <1516> <b>In EE 2.461</b> .....	45
[22] To Erasmus. <London, c. 20 September 1516> <b>In EE 2.467</b> .....	46
[23] To Erasmus. London, <22 September 1516> <b>In EE 2.468</b> .....	47
[25] To Peter Giles. <London, 1516> .....	47
[26] To Erasmus. London, 31 October <1516> <b>In EE 2.481</b> .....	50
[28] To Tunstall. <London, c. November 1516> .....	52
[29] To Erasmus. <London, c. 4 December 1516> <b>In EE 2.499</b> .....	52
[30] To Erasmus. London, 15 December <1516> <b>In EE 2.502</b> .....	54
[31] To William Warham. <London, January 1517> .....	55
[32] To a Member of the Royal Court. <London, January 1517> .....	55
[33] To Erasmus. <London,>13 January <1517>. <b>In EE 2.513</b> .....	56
[34] To Antonio <Bonvisi?>. <London, January 1517?> .....	56
[37] To Tunstall. <London, 1517?> .....	57
[40] To Erasmus. London, 16 July <1517>. <b>In EE 3.601</b> .....	57
[41] To Erasmus. London 19 August <1517>. <b>In EE 3.623</b> .....	58
[41a] To Peter Giles. <London, 1517> .....	59
[43] To His Daughters and to Margaret Giggs. <1517?> .....	60
[46] To Erasmus. Calais, 7 October <1517>. <b>In EE 3.683</b> .....	61
[47] To Peter Gilles. Calais, October 7 <1517> .....	62
[48] To Edward Lee. <Autumn 1517?> .....	64
[52] To Erasmus. Calais, 25 October <1517>. <b>In EE 3.688</b> .....	64
[54] To Erasmus. Calais, 5 November <1517>. <b>In EE 3.706</b> .....	65
[57] To Fisher. <c. 1517-1518> .....	66
[60] To the University of Oxford. Abingdon, 29 March <1518> .....	66
[62] To Erasmus. <Oxford? May 1518?> .....	72
[63] To William Gonell. At Court, 22 May <1518?> .....	72
[65] To William Budé.<c. August 1518> .....	75
[68] To William Budé. Court, <c. December 1518?> .....	75
[69] To Margaret More. <1518> .....	75
[70] To Margaret More. <1518> .....	76
[71] To Reginald Pole and John Clement. <1518?> .....	76
[72] To Erasmus. <London, 1518?> <b>In EE 3.907</b> .....	76
[74] To John Fisher. <1519?> .....	77
[75] To Edward Lee. 1 May 1519 .....	77

[76] To His Beloved Children. <c. 1519> .....	89
[81] To Richard Croke. <1519?> .....	90
[82] To Martin Dorp. <London, 1519> .....	91
[83] To a Monk. <1519-20> .....	92
[84] To Lee. Greenwich, 27 February <1520> .....	123
[85] To Lee. Greenwich, 29 February <1520> .....	124
[86] To Germanus Brixius. 1520.....	127
[87] To Erasmus. <Greenwich?, March-April 1520>. <b>In EE 4.1087</b> .....	146
[88] To Erasmus. < Greenwich?, April 1520>. <b>In EE 4.1090</b> .....	158
[91] To Erasmus. < Greenwich? May> 1520. <b>In EE 4.1096</b> .....	159
[93] To Erasmus. Canterbury, 26 May <1520>. <b>In EE 4.1106</b> .....	163
[96] To William Budé. <Calais, c. June 1520>.....	165
[97] To William Budé. <Calais, c. June 1520>.....	166
[101] To His School. At Court, 23 March <1521>.....	166
[105] To Bishop John Fisher. <1521>.....	167
[106] To Margaret Roper. <1521?>.....	167
<b>[106a]</b> To Francis Cranevelt. At Court, 13 February <1521> <b>In Mor., Ep. 41*</b> .....	168
<b>[106b]</b> To Francis Cranevelt. London, 9 April <1521> <b>In Mor., Ep., 50*</b> .....	169
<b>[106c]</b> To Francis Cranevelt. <London, September 1521> <b>In Mor., Ep. 81*</b> .....	169
<b>[106d]</b> To Francis Cranevelt. <Chelsea?> 12 November <1521> <b>In Mor, Ep. 95*</b> ..	170
[107] To His Children & Margaret Giggs. At Court, 3 September <1522?>.....	170
[108] To Margaret <Roper>. At Court 11 September <1522?>.....	171
<b>[108a]</b> To Francis Cranevelt. <Chelsea? March? 1522> <b>In Mor., Ep. 111*</b> .....	172
[113] To Goclenius. London, <c. November 1522>.....	172
[128] To Margaret Roper. <Woodstock? Autumn 1523>.....	173
[133] To the University of Oxford. London, 26 July <1524>.....	174
[135] To Francis Cranevelt. London, 10 August <1524>.....	175
[138] To Francis Cranevelt. London, 16 May <1525>.....	176
[139] To Francis Cranevelt. London, 6 June <1525>.....	176
[142] To Francis Cranevelt. London, 22 February <1526>.....	176
[143] To Bugenhagen. <c. 1526> .....	177
[148] To Erasmus. Greenwich, 18 December <1526> .....	206
[155] To Francis Cranevelt. Calais, 14 July <1527> .....	208
<b>[155a]</b> To Francis Cranevelt. London, 8 November <1528> <b>In Mor., Ep. 48a*</b> .....	209
[162] To Cochlaeus. <1528?> .....	209
[163] To Cranvelt. Chelsea, 10 June 1528.....	210
[164] To Cochlaeus. Mainz, 11 November 1528.....	210
[165] To Cochlaeus. <March-April? 1529> .....	212
[166] To Cochlaeus. <1529?> .....	213
[178] To Erasmus. <Chelsea>, 28 October <1529> <b>In EE 8.2228</b> .....	213
[180] To Goclenius, Chelsea, 12 November <1529> .....	214
[185] To John Sinapius, S. P. Chelsea, 2 May <1531>.....	215
[188] To Erasmus. Chelsea, 14 June 1532 <b>In EE 10.2659</b> .....	215
[189] To Cochlaeus. Chelsea, 14 June <1532>.....	218
[191] To Erasmus. Chelsea, <June? 1533> <b>In EE 10.2831</b> .....	219
[217] To Antonio Bonvisi. Tower of London, 1535.....	221

\*These letters can be found in *Moreana* 117 (March 1994):3-66.

2. To John Holt  
 <London>  
 <c. November 1501>

#2. To John Holt

THOMAS MORUS JOHANNI HOLTO SALUTE

Misimus ad te quae volebas omnia, praeter eas partes  
 quas in comoediam illam quae de Salemone est adiecimus; illas ad  
 te modo non potui mittere, quippe quae apud me non sunt. Dabo  
 operam ut hebdomada proxima recipias et quicquod aliud ex meis  
 rebus voveris. 5

Gaudeo te e Smardona loco non salubri Cicestriam ubi et terra  
 salubrior et aer serenior est commigrasse. Spero enim fore ut eo  
 ventum esse gaudeas, ita te audio apud pontificem in deliciis esse.

Nos est, Deo gratia, satis valemus atque (quod pauci de se  
 fateri possunt) ita vivimus ut volumus, donet ergo Deus ut bene  
 velimus. At in bonis artibus quid proficio, inquis? Egregie scilicet  
 ut nihil supra. Ita enim sepositis Latinis litteris, Graecas sequor ut  
 illas amittam has non assequar. Sed de nostris rebus hactenus. 10

Grocinus praeceptor meus interpretationem illius operis divi  
 Dionysii Areopagite, quod de Caelesti Hierarchia inscribitur, feliciter  
 in aede divi Pauli nuper auspicatus est. Nescias an cum maiore  
 sua laude an audientium fruge. Consessum habet discipulorum,  
 utinam tam doctum quam magnum, habet, tum et celebrem  
 numerum etiam ex doctissimis. Nonnulli etiam imperiti confluunt,  
 partim novitate rei tacti, partim ut aliquid intellegere videantur. 20  
 Plerique rursus ex his qui scioli sibi videntur ideo non intersunt  
 ne fateri videantur ea se nescire quae nesciunt.

Illustrissima Regis Hispanorum filia Caterina et eadem splendidissimi  
 nostri Principis uxor nuper urbem invecta est tanta gloria  
 tantaque pompa quanta neminem umquam ubivis gentium recipe  
 meminimus. Tantus erat nobilium nostrorum apparatus ut admirationi  
 esse posset. At Hispanorum comitatus, pro deorum  
 atque hominum fidem, qualis erat! Vereor ne si aspexisses ruptus  
 ridendo fuisses, ita ridiculi erant; facies praeter tres aut ad summum  
 quattuor vix tolerabiles; curvi erant, laceri, nudipedes, 30  
 pigmei Aethiopes; si afuisses ex inferis evasisse putavisses. At  
 domina ipsa, mihi crede, omnibus abunde placuit; nihil quod  
 ad cuiusquam pulcherrime virginis formam facere posset in illa  
 desiderabatur; omnes denique eam laudabant maxime, nemo  
 satis; spero fore ut hoc celeberrimum coniugium Angliae felix  
 faustumque sit. Vale 35

3. To John Colet.  
 London  
 23 October <1504>

THOMAS MORUS IOANNI COLETO SUO S.D.

Ambulanti mihi dudum in foro, et inter aliena negotia

otianti obtulit se puer tuus. Quem quum primum intuerer, vehementer  
sum gavisus; tum quod hic ipse mihi semper carus  
exstitit, tum praecipue quod arbitrabar eum non sine te venisse. At  
ubi ab illo didici te non modo non rediisse, sed nec adhuc diu  
rediturum, dici non potest ex quanta laetitia in quantam maestitiam  
reiectionis sum. Quid enim mihi potest esse molestius quam  
suavissima consuetudine tua privari? cuius prudentissimo consilio  
frui, cuius iucundissimo convictu recreari, cuius gravissimis contionibus  
excitari, cuius exemplo et vita promoveri; in cuius  
denique vultu ipso ac nutu solebam conquiescere. Itaque ut his  
praesidiis vallatus aliquando me sensi roborari; ita eisdem destitutus  
languere mihi fere videor ac solvi. Et qui tua nuper  
vestigia secutus iam paene ex ipsis orci faucibus emereram, nunc  
rursum tamquam Eurydice (contraria tamen lege; Eurydice quidem  
quod illam respexit Orpheus, ego vero quia tu me non respicis)  
in obscuras retro caligines nescio qua vi ac necessitate relabor.

Nam in urbe quid est quod quemquam ad bene vivendum  
moveat, ac non potius suoapte ingenio nitentem in arduum virtutis  
callem evadere, mille machinamentis revocet, illecebris mille resorbeat?  
Quocumque te conferas, quid aliud quam hinc fictus  
amor et blande adulatorum mellita venena circumsonant; hinc  
odia saeva et querulae lites ac forenses strepitus obmurmurant?  
Quocumque tuleris oculos, quid aliud videas quam cuppedinarios,  
cetarios, lanios, coquos, fartores, piscatores, aucupes, qui materiam  
ventri ministrant, ac mundo et principi eius diabolo? Tecta quin  
etiam ipsa nescio quomodo bonam partem lucis eripiunt, nec  
caelum libere sinunt intueri. Aërem itaque non *ὀρίζωνος* ille circulus,  
sed domorum culmen determinat. Quo aequior tibi sum si  
minime te adhuc ruris paeniteat; quippe ubi simplicem turbam  
vides, et urbicae fraudis expertem: ubi quoquo versus oculos intendas,  
blanda telluris facies iuvat, aëris grata reficit temperies,  
ipse te caeli delectat aspectus. Nihil ibi vides nisi benigna naturae  
munera et sancta quaedam innocentiae vestigia.

Nolo tamen his oblectationibus ad eo capiaris, quin quum  
primum possis ad nos revoles. Nam si tibi displicent urbis incommoda,  
at Stephani rus (cuius etiam non minus debes esse sollicitus)  
haud minora tibi commoda suppeditabit, quam quod  
nunc incolis: unde etiam in urbem (ubi magna tibi merendi  
materia est) potes interdum tamquam in hospitium divertere.

Nam ruri quum sint homines ipsi per se aut fere innocui, aut  
certe non adeo magnis sceleribus irretiti, cuiusque medici manus  
utilis esse potest. At in urbe tum propter ingentem magnitudinem,  
tum ob inveteratam morborum consuetudinem medicus omnis  
frustra nisi peritissimus accesserit. Veniunt certe in D. Pauli suggestum  
aliquando qui sanitatem pollicentur. Sed quum speciose  
perorasse videntur, adeo vita cum verbis litigat, ut irritent potius  
quam mitigent. Non enim persuadere possent hominibus, ut  
quum ipsi sunt omnium aegrotissimi, idonei credantur quibus  
alienarum aegritudinum cura merito committatur. Itaque morbos  
suos quum ab his tractari sentiunt quos exulceratos vident, indignantur  
ilicet atque recalcitrant. At si (ut naturarum indagatores

#3. To John Colet

5

10

15

20

25

30

35

40

45

50

affirmant) is demum medicus ad sanitatem appositus est, in quo aegrotus maximam habet spem; quis dubitet quin te una ad curandam universam urbem nemo possit esse salubrior? A quo quam aequo animo vulnera sua tractari patiantur, quantum confidant, quantum pareant, et tute antehac satis expertus es, et nunc apud omnes tui desiderium atque incredibilis quaedam exspectatio declarat.

#3. To John Colet

55

Venias ergo tandem, mi Colete, vel Stephani tui gratia qui haud secus diuturnam tui gemit absentiam quam infantuli matris; vel patriae tuae causa cuius haud minor tibi cur esse debet quam parentum. Postremo (quamquam hoc minimum sit reducendi tui momentum) mei te respectus commoveat, qui me tibi totum dedidi, et in adventum tuum sollicitus pendeo. Interea cum Grocino, Linacro, et Lilio nostro tempus transigam, altero (ut tu scis) solo (dum tu abes) vitae meae magistro; altero studiorum praeceptore; tertio carissimo rerum mearum socio. Vale: et nos, ut facis, ama. Londini 10. Kalend. Novembres

60

65

5. To Thomas Ruthall

&lt;London&gt;

&lt;1506&gt;

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO THOMAE RUTHALO, REGIO APUD ANGLOS SECRETARIO, THOMAS MORUS S.P.D

Si quisquam fuit umquam, vir doctissime, qui Horatianum praeceptum impleverit, voluptatemque cum utilitate coniunxerit, hoc ego certe Lucianum in primis puto praestitisse. Qui et superciliosis abstinens philosophorum praeceptis, et solutioribus poetarum lusibus, honestissimis simul et facetissimis salibus, vitia ubique notat atque insectatur mortalium. Idque facit tam scite, tantaque cum fruge, ut quum nemo altius pungat, nemo tamen sit, qui non aequo animo illius aculeos admittat. Quod quum numquam non egregie faciat, fecisse tamen mihi singulari quodam modo videtur in tribus his dialogis, quos ob id ipsum e tanto festivissimorum numero potissimum delegi, quos verterem, aliis tamen alios fortasse longe praelaturis. Nam ut e virginibus non eandem omnes, sed alius aliam, pro suo cuiusque animo praefert, deamatque, non quam praecipuam tuto possit asserere, sed quae sibi videatur, ita e lepidissimis Luciani dialogis, alius alium praeoptat, mihi certe isti praecipue placuerunt, neque temere tamen (uti spero), neque soli.

5

10

15

Nam ut a brevissimo incipiam, qui Cynicus inscribitur, quique posse videatur ipsa brevitate contemni, nisi nos Horatius admoneret saepe etiam in exiguo corpore vires esse praestantiores, ipsique minimas etiam gemmas esse videremus in pretio. In eius ergo delectu, honorifico calculo mecum suffragatus est divus Ioannes Chrysostomus, vir acerrimi iudicii, doctorum fere omnium Christianissimus, et Christianorum (ut ego certe puto) doctissimus, quem usque adeo dialogus hic delectabat, ut bonam

20

25

eius partem in Homiliam quandam, quam in Ioannis Evangelium commentatus est, inseruerit. Neque id immerito. Quid enim placere magis viro gravi, vereque Christiano debuit, quam is dialogus in quo dum aspera parvoque contenta Cynicorum vita defenditur, mollis atque enervata delicatorum hominum luxuria reprehenditur? Necnon eadem opera, Christianae vitae simplicitas, temperantia, frugalitas, denique arta illa atque angusta via, quae ducit ad vitam, laudatur. 30

Iam Necromantia (nam hic secundo dialogo titulus est) non satis auspicato vocabulo, sed materia tamen felicissima, quam salse taxat, vel magorum praestigias, vel inania poetarum figmenta, vel incertas quavis de re philosophorum inter se digladiationes! 35

Superest Philopseudes, qui non sine Socratica ironia, totus versatur (id quod titulus ipse declarat) in ridenda, coarguendaque mentiendi libidine, dialogus, nescio certe lepidiorne, an utilior. In quo non valde me movet, quod eius animi fuisse videtur, ut non satis immortalitati suae confideret, atque in eo fuisse errore, quo Democritus, Lucretius, Plinius, plurimique itidem alii. Quid enim mea refert quid sentiat his de rebus ethnicus, quae in praecipuis habentur fidei Christianae mysteriis? Hunc certe fructum nobis afferet iste dialogus, ut neque magicis habeamus praestigiis fidem, et superstitione careamus, quae passim sub specie religionis obrepit, tum vitam ut agamus minus anxiam, minus videlicet expavescentes tristia quaepiam ac superstitiosa mendacia, quae plerumque tanta cum fide atque auctoritate narrantur, ut beatissimo etiam patri Augustino, viro gravissimo, hostique mendaciorum acerrimo, nescio quisnam veterator persuaserit, ut fabulam illam de duobus Spurinis, altero in vitam redeunte, altero decedente, tamquam rem suo ipsius tempore gestam pro vera narraret, quam Lucianus in hoc dialogo, mutatis tantum nominibus, tot annis antequam Augustinus nasceretur, irrisit. 40 45 50 55

Quo minus mireris, si pinguioris vulgi mentes suis figmentis afficiant ii, qui se tum demum rem magnam confecisse putant, Christumque sibi devinxisse perpetuo, si commenti fuerint, aut de sancto aliquo viro fabulam, aut de inferis tragoediam, ad quam vetula quaepiam aut delira lacrimetur, aut pavida inhorrescat. Itaque nullam fere martyris, nullam virginis vitam, praetermiserunt, in quam non aliquid huiusmodi mendaciorum inseruerint, pie scilicet, alioqui enim periculum erat, ne ventas non posset sibi ipsa sufficere, nisi fulciretur mendaciis. Nec veriti sunt eam religionem contaminare figmentis, quam ipsa Veritas instituit, et in nuda voluit veritate consistere, nec viderunt usque adeo nihil istiusmodi fabulas conducere, ut nihil perniciosius officiat. Nempe (ut memoratus pater Augustinus testatur) ubi admixtum subolet mendacium, veritatis ilico minuitur ac labefactatur auctoritas. Unde saepe mihi suspicio suboritur, magnam huiusmodi fabularum partem, a vaftris ac pessimis quibusdam nebulonibus haereticisque confictam, quibus studium fuit, partim ex incauta, simplicium potius, quam prudentium, credulitate, voluptatem capere, partim fabularum fictarum commercio, fidem veris Christianorum historiis adimere, quippe qui frequenter quaedam, his 60 65 70 75

quae in sacra Scriptura continentur, tam vicina confingunt, ut facile se declarent, alludendo lusisse.

#5. To Thomas Ruthall

Quamobrem quas Scriptura nobis historias divinitus inspirata commendat, eis indubitata fides habenda est. Ceteras vero ad Christi doctrinam, tamquam ad Critolai regulam applicantes caute et cum iudicio aut recipiamus, aut respuamus, si carere volumus et inani fiducia et superstitiosa formidine. 80

Sed quo progredior? epistola fere iam librum superat, nec interim tamen verbum de tuis laudibus ullum, in quas alius fortasse totus incubisset, quarumque citra ullam adulandi suspicionem uberrimam mihi materiam praebuissent (ut ceteras virtutes tuas omittam) vel egregia doctrina tua summaque in rebus agendis prudentia, quam tot in diversis nationibus, in tam arduis negotiis, 85

tam feliciter actae legationes declarant, vel singularis fides gravitasque, 90

quam nisi satis perspectam exploratamque habuisset, numquam te prudentissimus Princeps sibi a secretis esse voluisset. Sed ceterarum virtutum tuarum praedicationi unica modestia tua reluctatur, quae faciat, ut quum laudanda tam libenter facias, fecisse te tamen non libenter audias. Parco igitur pudori tuo: hoc unum 95

dumtaxat abs te precatus, ut has in Graecis litteris studii mei primitias aequo animo suscipias, sinasque ut quaecumque apud te sint amoris officiique in te mei monumentum, quas tibi sim ausus eo maiori fiducia committere, quod et si tam acre tibi iudicium sit, ut quicquid erratum fuerit, nemo penetrantius videat, is tamen est in genii tui candor, ut nemo libentius coniveat. 100

Vale.

6. To Henry VIII

<London>

<c. June 1509>

THOMAS MORUS POTENTISSIMO BRITANNIAE GALLIAEQUE REGI HENRICO VIII<sup>o</sup> FELICISSIMO, S.D.

Vereor, Illustrissime Princeps, dum more virginum, quae satis formae suae non fidunt, picturae lenocinio gratiam illepidis versiculis comparare studeo, ne eos qua maxime dote placere potuissent, id est, ipsius rei novitate, fraudarim. Nam quum ilico in praesentem coronationem tuam eos conscriptos pictori exornandos tradidissem, effecit certe podagra, qua protinus quam opus incohavit, incommodissime temptatus est, ut eos nunc tandem, serius aliquanto quam res postulare videbatur, exhibeam. Itaque (si tecum pro insita humanitate tua liberius agi sinis) haud scio, maioremne gratiam versiculis nostris pictoris manus adiecerint, an pedes ademerint. Quippe quibus effectum est, ut mihi verendum sit, ne non minus sera, ac proinde intempestiva, videri tibi possit haec nostra gratulatio, quam olim Tiberio Caesari visa est, Iliensium illa consolatio, qua eum de morte filii, iam diu defuncti, consolabantur, quam ille faceta dicacitate delusit, respondens, Se eorum quoque vicem dolere, quod bonum militem amisissent 5

10

15

Hectorem. Verum eorum officium, ad luctum non senescentem modo, sed plane praemortuum, non potuit esse non ridiculum. Meum vero ab hoc vitio vindicat immensa illa de celebri coronatione tua laetitia: quae quum pectoribus omnium tam efficacem sui vim atque praesentiam impresserit, ut senescere vel integra aetate non possit, effecit nimirum, ut hoc meum officium non sero re peracta atque evanida, sed praesens in rem praesentem pervenisse videatur. 20

Vale, Princeps optime, maximeque et (qui novus idemque Honoratissimus Regum titulus est) Amatissime. 25

#6. To Henry VIII

8. To John Colet  
<London>  
<c. March 1512>

Neque valde miror si clarissimae scholae tuae rumpantur invidia. Vident enim uti ex equo Troiano prodierunt Graeci, qui barbaram diruere Troiam, sic e tua prodire schola qui ipsorum arguunt atque subvertunt inscitiam.

15. To Martin Dorp  
Bruges  
21 October <1515>

THOMAS MORUS MARTINO DORPIO S.D.

Si mihi ad te venire tam esset liberum, quam vehementer, mi Dorpi, cupio, tum ista quae nunc parum commode committo litteris, commodius tecum coram ipse tractarem, tum quo nihil mihi iucundius potuisset accidere, te ipso interea praesens praesente perfruerer, cuius videndi, cognoscendi, complectendique, mirum pectori mea desiderium insevit Erasmus, utriusque nostrum amantissimus, tum utrique (uti spero) ex aequo carus. 5

Nihil est enim quod ille maiore cum voluptate faciat, quam ut apud praesentes amicos suos, absentes praedicet. Siquidem quum sit ipse plurimis, idque in diversis orbis terrarum partibus, doctrinae suavissimorumque morum gratia carissimus, conatur sedulo, ut quo, in unum se omnes animo sunt, eodem etiam inter se omnes conglutinet. Non cessat ergo apud universos singulatim amicorum quemque referre, et quo in cunctorum amicitias insinuet, omnes cuiusque dotes quibus amari promereatur, exponere. 15

Quod quum ille assidue faciat de omnibus, de nullo tamen saepius, de nullo facit effusius, de nullo quam de te, carissime Dorpi, libentius, quem ita dudum celebravit in Anglia, ut nemo sit ibi litteratorum virorum, cui non Dorpii nomen aequae notum celebrequae sit, atque Lovaniensibus ipsis, quibus est (ut esse debet) celeberrimum. Seorsum vero ita te depinxit apud me, ut iam olim pulcherrimam animi tui imaginem, planeque eandem esse apud animum meum praesumpserim, quae mihi posteaquam huc appuli, 20



ex elegantissimis opusculis tuis eluxit.

#15. To Martin Dorp

Itaque quum me primum scirem ab invictissimo Rege nostro, 25

in has partes legatione nostra functurum, crede, mi Dorpi, mihi,

non pro minimo itineris tanti pretio ducebam, quod oblata mihi

videbatur occasio, qua tecum quoquo pacto congrederer. Verum

istam conveniendi tui facultatem, quam praebitam esse speraveram

negotii nobis demandati ratio praeripuit, quae me Brugis ubi cum 30

magnificis illustrissimi Principis nostri Oratoribus res ut nobis

tractaretur convenerat, alligavit. Quo fit ut nunc vehementer

doleam (quum haec legatio mihi multis alioqui nominibus arrideat)

qua tamen in re optaveram maxime fortunam adfuisse

propitiam, ea me maxime ab illa destitui. 35

Verum (ut ad id tandem veniam quod me coegit in praesenti

scribere) dum hic versor, incidi forte in quosdam, qui mihi non

alieni a litteris videbantur. Apud hos de Erasmo et de te item

sermonem ingera: illum ex litteris ac fama, te vero etiam alias

noverant. Narrant mihi rem, ut parum laetam, ita neutiquam 40

credibilem, te videlicet in Erasmum animo esse parum amico,

idque ex litteris ad eum tuis liquere, quas (quoniam ad credendum

aegre me adduci videbant) postero die allaturos se esse

pollicebantur. Redierunt postridie, tum litteras ad me ternas

apportarunt, unas abs te ad Erasmum scriptas, quas ille (quod ex

eius responsione colligo) non acceperat, sed earum exemplar, id

quod mihi nunc evenit, nescio quo monstrante perlegerat. In his

Monam insimulas, et ad sapientiae laudem invitas, Institutum

eius de emendando Novo Testamento ex Graecis codicibus tam

parum probas, tam angustis limitibus ut coartet suades, ut paene 50

in universum dissuadeas. Alterae fuerunt ipsius, quibus tibi breviter,

utpote fessus ex itinere, atque adeo in eodem adhuc itinere

occupatus, satisfacit copiosius, idem se facturum professus quum

Basileam delatus esset. Denique tertiae litterae tuae fuerunt, quibus

rursus ad hanc Erasmi respondes epistolam. 55

Has ego quum praesentibus illis perlegissem, quamquam erant

aliqua, non quae mihi quidem inimicum esse te illi persuaderent

(quid enim posset esse tale, ut hoc persuadeat mihi?) sed animo

tamen aliquanto magis turbido, quam exspectaram, tamen quia

hanc opinionem illis ex animo eradi potius, quam confirmari 60

cupiebam, asserui nihil ibi legisse me quod non ab amicissimo

pectore profectum videatur. At, inquit eorum unus, non aestimo

quae scripserit, sed mea iudicio neutiquam amice fecit, omnino

quod scripserit. Nam si Moria quemquam tam vehementer offendit,

quod ego nusquam, ne Lovanii quidem, quamquam ibi post 65

editam Moriam saepe multumque versatus, audivi praeterquam ab

uno aut altero, morosissimis atque infantissimis senibus, et quos

ibi pueri quoque rident, quum alioquin et hic et ibi tam grata

fuerit omnibus, ut multi multas eius partes, memoriter ediscant

etiam. 70

Verum quod coepi dicere, si Moria quemquam tam vehementer

offendit, ut Erasmus ad palinodiam quoque videretur invitandus,

tamen quum Dorpius non ita pridem accersitus ad Erasmum esset,

idque (ut ipse scribit) solus, quid attinebat scribere? Si quid

monendum putavit, cur non praesentem praesens admonuit? cur non (ut apud Therentium est) coram quae facto opus essent imperabat, potius quam, quum exisset, clamaret de via, idque Erasmo tam longe semoto, ut quae eum aut primum, aut etiam solum audire oportuerat, ea et solus aliquandiu nesciverit, et postremo non nisi per alios acceperit? Qua in re vide (inquit) quam sincere faciat. Primum quem nemo accusat, eum apud omnes defendere sese simulat, deinde quibus eum rationibus tuetur, quum nescio an quisquam audiat quae contra eum obicit (praeter eum solum qui solus debet), publice legunt omnes. Haec quum ille dixisset, aliique eorum alia, quae nunc non necesse habeo commemorare, ita respondi atque ita a me dimisi, ut facile intellegent, nihil sinistri me de te libenter audire, animoque esse in te propemodum aequae propenso atque in Erasmum ipsum, in quem tam propenso sum, ut esse propensiore non possim. Nam quod scribere ad eum, quam coram rem tractare maluisti, quocumque tu id consilio feceris, certe non fecisse malo et ego, mi Dorpi, mihi pro mea de te opinione persuadeo, et ille certus animi erga se tui non dubitat. At secundas istas litteras tuas, quae iam passim parum secunde leguntur, nullo omnino consilio tuo, sed plane casu quopiam in publicum emanasse crediderim. In quam sententiam vel eo imprimis impellor, quod in his nonnulla sunt huiusmodi, ut plane mihi persuadeam, te, si velles emittere, fuisse mutaturum, utpote non satis idonea, quae vel ad eum scriberentur, vel abs te. Neque enim quaedam tam acerbe ad amicum tantum, neque tam neglectim ad hominem tam doctum; immo sat scio et pro modestissimo ingenio tuo clementius, et pro eximia doctrina tua scripsisses accuratius. Porro iocis, scommatibusque, quibus plus quam modice scriptio tota scatet, non dubito quin usus fueris, aut aliquanto parcius, aut certe, mi Dorpi, salsius. Namque quod Moriam insectaris, quod in Poetas inveheris, Grammaticos omnes subsannas, Annotationes in sacram Scripturam parum probas, Graecarum litterarum peritiam non admodum ad rem pertinere censes, haec, inquam, omnia non magnifacio, ut in quibus citra cuiusquam offensam liberum cuique sit sentire quod velit; et ita abs te sunt adhuc disputata, ut non dubitem quin inter legendum multa cuique succurrant, quae responderi ex adverso debeant. Porro tantum abest ut in horum quemquam nimium abs te dictum existimem, ut in quibusdam etiam multa desiderem, quibus optassem hoc scriptum tuum ad Erasmum prodisse instructius, quo maior ei praeberetur occasio sua ex diverso castra maioribus operibus communiendi.	75	#15. To Martin Dorp
At istuc certe me nonnihil commovit, quod Erasmum in eo libello tuo videris aliquanto secus, quam te atque illo est dignum attingere, quippe quem ita tractas, tamquam modo contemnas, modo velut e sublimi derideas, interdum quasi non admoneas, sed tamquam patruus aut tristis censor obiurges; postremo verbis eius aliorum detortis, Theologos omnes, atque adeo Universitates (quas vocant) in eum concites. Nec in eam partem accipi haec mea scripta volo, quasi adversus te, quem plane credo nihil horum ulla in eum malignitate fecisse; ego, cui nimirum ipsi patrono opus	80 85 90 95 100 105 110 115 120 125	

## #15. To Martin Dorp

sit, in patrocinium suscipiam illum, quem certe maiorem et haberi  
 apud omnes et esse scio, quam ut in eorum ordinem redigi debeat.  
 Sed quoniam te amo, famaeque tuae bene cupio) idcirco admonere  
 te eorum volui, unde ansam apprehendunt hi, (quibus modestia  
 tua, et vere cycneus animi tui candor non satis exploratus est), 130  
 qua famae te et tuae nimis avidum et alienae insidiantem putant.  
 Utinam, Dorpi, quemadmodum Aeneas sese apud Vergilium circumsaepus  
 nebula Carthaginensibus immiscuit, ac se suaque facta  
 in tapetibus depicta spectavit, sic utinam non visus ipse videre  
 posses, quo vultu posterior haec epistola tua legatur. Sat scio longe 135  
 maiores mihi gratias habendas duceres, qui te sincere admoneam  
 ut mutare possis (potes namque mutando efficere, ut hanc omnes,  
 id quod ipse facio, non emissam tibi, sed elapsam iudicent), quam  
 eis qui quae te coram adulati laudant, eadem clam etiam ipsi  
 lacerant. 140  
 Quamquam profecto miror, si quisquam usque adeo adulari in  
 animum inducat suum, ut ista vel te praesente collaudet, quae ut  
 coepi dicere, utinam per cancellos transpicere possis, quo vultu,  
 qua voce, quo affectu legantur, quum apud Erasmum non semel  
 inculcas Theologos nostros, Erasmum, et Grammaticos vestros, 145  
 quasi quum ipse sublimis in Theologorum ordine consedeas, illum  
 deorsum inter Grammaticulos detrudas. Et sedes tu quidem inter  
 Theologos merito, nec sedes modo, sed praesides quoque; nec ille  
 tamen e Theologorum soliis, in Grammaticorum subsellia depellendus.  
 Quamquam Grammatici nomen, quod tu frequentius quam 150  
 facetius irrides, Erasmus, opinor, haud aspernabitur; immo (ut  
 est modestus) quamquam meretur maxime fortasse, nec agnoscit  
 tam en, quippe quum sciat, Grammaticum idem omnino significare  
 quod litteratum, cuius officium per omnes litterarum species,  
 hoc est, per omnes sese disciplinas effundit. Quo fit, ut qui Dialecticen 155  
 imbiberit, Dialecticus: qui Arithmeticen, Arithmeticus vocari  
 possit: tum in ceteris artibus ad eundem modum. At litteratus,  
 mea certe sententia, nisi qui omnes omnino scientias excusserit,  
 appellari nemo debet, alioquin et infantibus licet Grammaticorum  
 nomen attribuas, quicumque ex Alpha et Beta ipsas litterarum 160  
 formas edidicere. Quod si tu eos tantum Grammaticos esse vis,  
 quos ais ferulas sceptrorum vice gestantes, in antro plagoso regnare,  
 tum Philautia ac Moria stultiores arbitrari, se omnes nosse  
 disciplinas, quod vocular intellegunt ipsas et orationum structuram.  
 Ego medius fidius, mi Dorpi, etiam eos, quamquam procul ab 165  
 disciplinis esse concesserim, tamen aliquanto propius accessisse  
 puto, quam Theologos illos, qui et structuram orationum et vocular  
 ipsas ignorant, ex quo genere, et ego aliquot, et tu (ut opinor)  
 plures, quamquam uterque sedulo dissimulamus, agnoscimus.  
 Erasmus certe neque illis ex Grammaticis est, qui tantum vocular 170  
 didicerunt, neque ex his Theologis, quibus praeter perplexum questiuncularum  
 Labyrinthum nihil omnino cognitum est, sed ex illo  
 Grammaticorum genere, quo Varro atque Aristarchus, ex illo  
 Theologorum, quo ipse tu, mi Dorpi, hoc est, ex optimo, ut qui  
 nec illas questiunculas ignoret, et, quod tu quoque abunde fecisti, 175  
 longe utiliorem bonarum litterarum, id est sacrarum maxime, tum

ceterarum quoque, peritiam adiunxerit.

Sed pergo: in epistola tua, in qua illud quoque fere eiusdem notae est, 'Si umquam Decretales, Erasme, videris,' quasi Decretales epistolas, quas tu vidisse te significas, ille videlicet nusquam videre potuerit. Iam illud quale est quod in eum obicis, 'aquam ardeae perturbatam esse,' et 'imperitis,' item 'omnia perturbata, quoties in disceptandi palaestram descenditur.' Et illud praeterea: 'Non enim potes, Erasme, diiudicare inter Dialecticum et Sophistam quid intersit, si utramque artem ignores.' Et paulo post, 'Nisi forte tibi Sophistae sunt omnes, quibus disputatione videaris inferior, hoc est, omnes Dialectici.' Itane quaeso, Dorpi, putas perturbata Erasmo omnia disputanti fore, neque aut quid Dialectice sit, aut quid sit omnino Sophista, novisse, et eum nescire solum, quae fere pueri sciunt omnes? At Rhetoricam, opinor, vel tu propriam ei ac quodammodo peculiarem esse concedes, quam si tribuas, nescio qui possis Dialecticem tam prorsus adimere. Siquidem recte senserunt non infimi Philosophorum, qui tantum censuerunt inter Dialecticam Rhetoricamque differre, quantum pugnus distat a palma, quod, quae Dialectice colligit astrictius, eadem omnia Rhetorice copiosius explicat, utque illa mucrone pungit, ita haec ipsa mole penitus prosternit obruitque. Sed age, nihil sit Dialecticae cum Rhetorica commune. Ergo quia non in scholis disputat, quia non in puerorum corona rixatur, quia iam (quod tu quoque postea facies) questiunculas istas valere sinit, numquam eum putas illas didicisse: sed existimas in disputando inferiorem esse Dialecticis omnibus.

At hic vide quam oppido abs te dissentiam. Ego nec illitteratum quidem quempiam mediocri ingenio preditum, longo tamen intervallo minore quam sit Erasmicum, hunc, inquam, ego non omni Dialectico reor inferiorem in disputando fore, modo res de qua disceptatur, utrique sit nota, quum quod arti deest ingenium suppleat. Nam et ipsa Dialectices praecepta, quid aliud, quam quaedam ingenii fetura sunt, ratiocinationum videlicet formae quaedam, quas ratio fore ad rerum disquisitionem utiles animadvertit? Neque enim quemquam esse puto, qui dubitet, quin has ipsas quoque, si volet, questiunculas non in rixosis illis concertationibus, ubi rationem clamor vincit, unde conspuentes invicem consputique discedunt, a quibus moribus modestia eius pudorque abhorret, sed aut calamo, aut gravi ac seria disputatione ita tractabit, ut non solum non omnibus inferior, sed supremis etiam aut par aut superior sit futurus. Tantum abest ut Erasmus, cuius et ingenium et doctrinam mirantur omnes, futurus sit in disputando omnibus prorsus Dialecticis, hoc est, etiam pueris inferior.

Sed mitto ista omnia, nempe minoris momenti, ut in quibus litterarum dumtaxat aestimatio ventiletur. At illud certe odiosius est, quod Hieronymi Hussitae, Cresconiique Grammatici, utriusque videlicet haeretici, mentio abs te non satis temperanter iniecta est, quippe quos quibusdam ita referre videris, tamquam conferre velis. Quid? quod nonnulla tam acerbe tractas, tamquam nihil agas aliud, quam ut in eum primo Lovanienses Theologos, deinde quotquot ubique sunt omnes, postremo academias universas exstimules,

#15. To Martin Dorp

180

185

190

195

200

205

210

215

220

225

inque eam rem quibusdam verbis illius longissime a proposito detortis abuteris.

Nam (ut a postremo incipiam) quum ille dixisset, non omnes Theologos damnare Moriam, sed eos solos has excitare tragoedias, qui dolent bonas renasci litteras, foreque ut nec Hieronymianam editionem (quam tu Theologis placere scripseras) comprobarent hi, qui Moriam damnerant, ibi tu protinus arrepta lepida iocandi materia, 'Nova,' inquis, 'gloria, si edas quod pauci probabunt,' quasi vero relinquantur pauci qui probent, si ex tanto dignissimorum Theologorum coetu, unus aut alter morosissimi senes, nec ullo minus digni quam quod profitentur nomine, eximantur: et tu tamen, Dorpi, longius eundem tam festivum iocum persequeris.

Ais enim: 'Age, non probabunt Theologi' (sic ille dixit scilicet); 'qui, quaeso, probabunt ergo? Iurisconsulti? an Medici? an Philosophi denique? ut saltem falcem immittant alienae messi? Sed Grammaticis eam paras. Sedeant itaque Grammatici in solio, censores omnium disciplinarum, et novam nobis Theologiam parturiant, nascituram tandem aliquando cum ridiculo mure. Verum [nec] metus est, ne nolint studiosi illorum se sceptris inclinare. Sceptra enim sunt ferulae, quibus plag[il]oso regnant in antro, et Philautia, et Moria stultiores arbitrantur se omnes nosse disciplinas, quod vocularum intellegunt ipsas et orationum structuram. Ergo non est opus academiis: schola Nolensis aut Daventriana suffecerit; et certe haec est sententia magni viri Hieronimi Hussitae, Universitates tam prodesse Ecclesiae Dei, quam diabolum. Nec Grammaticos vel tantillum commovet, quod damnata fuerit ea sententia in concilio Constantiensi, quippe in quo certum sit neminem fuisse non amusum, aut qui non ignoraverit Graece.' Iniurius tibi, Dorpi, sim, si iocum saepius interpellem tuum, in quo iamdiu, mirum quam suaviter te oblectasti. Sed si satis iocatus es, audi nunc iam, Dorpi.

Nemini obscurum esse potest tua ipsius verba legenti, te ad hanc universitatum mentionem sine ulla prorsus occasione descendisse, totumque hunc locum tibi copiose, ac perquam disserte sane, sed extra controversiam tamen, esse declamatum, nec esse ulla responsione opus. Neque tamen ambigendum puto, quo in universitates affectu Erasmus sit, in quibus et didicit et docuit, non ea modo quae tu Grammatica vocas, sed cum alia multa, multo magis Christianis omnibus utilia, tum eas etiam ipsas (quas tu nunc tam magnificas, quam posthac parvi factururus es) questiunculas. Quis nescit quamdiu Parisiis ille, quantoque in pretio fuit, tum Patavii, tum Bononiae praeterea? (ut nihil interim de Rhoma dicam, quam ego tamen vel Principem academiarum esse omnium duco.) Iam Oxonia Cantabrigiaque tam carum habent Erasmum, quam habere debent eum, qui in utraque diu cum ingente scholasticorum fruge, nec minore sua laude versatus est.

Utraque eum ad se invitat. Utraque eum in suorum Theologorum numerum (quoniam eo honore alibi est insignitus) transplantare conatur. Sed tu quanti nostras universitates facis, haud scio, qui tantum Lovanio Parisiisque tribuis, ut ceteris videare mortalibus praesertim ex Dialectica, nihil omnino relinquere. Ais enim nisi

#15. To Martin Dorp

230

235

240

245

250

255

260

265

270

275

Lovanienses ac Parisienses Theologi essent Dialectici fieri videlicet, ut Dialectica toto exsulet orbe exsulaveritque multis iam saeculis.	280	#15. To Martin Dorp
Ego in utraque Academia fui abhinc septennium non diu quidem, sed interim tamen dedi operam, quae in utraque tradantur quisque sit utrobique tradendi modus, ut scirem. Et profecto, quamquam utramque suspicio, quantum tamen quivi vel praesens audiendo, vel absens inquirendo, cognoscere, nihil hactenus	285	
umquam accepi causae, quamobrem vel in Dialectica meos liberos quibus optime consultum cupio, in alterutra earum edoceri potius, quam Oxoniae aut Cantabrigiae velim. Non negabo tamen (neque enim libenter quemquam sua gloria fraudaverim) nostros permultum Iacobo Fabro Parisiensi debere, quem ut instauratorem verae	290	
Dialecticae, veraeque Philosophiae, praesertim Aristotelicae feliciora passim apud nos ingenia, sanioraque iudicia consecantur, ut per eum virum Lutetia gratiam nobis referre quodammodo accepti olim beneficii videatur, quum per eum apud nos disciplinas instaurent, quas ipsi a nobis initio acceperunt: quod usque adeo in	295	
confesso est, ut id Gaguinus quoque, nec detractor Gallicae laudis, nec buccinator nostrae, in annales suos retulerit. Atque utinam et Lovanienses et Parisienses quoque scholastici omnes, Fabri commentarios in Aristotelicam Dialecticam reciperent. Esset ea disciplina (ni fallor) et minus utrisque rixosa, et paulo	300	
repurgatior.		
Mirror tamen cur Lovanienses ac Parisienses in Dialectices commemoratione coniunxeris, qui usque adeo inter se discordant, ut ne nomine quidem conveniant, quum alteri Realium, alteri Nominalium nomen affectent. Quamquam si Aristotelem utrique recipiunt,	305	
si utrique tradunt, si non alia de re quam de eius mente tot inter se rixas excitant, iam quum Parisienses aliter, aliter eum Lovanienses interpretantur, nec aliter modo, sed contra quoque, qui scire possis, utris potius accedendum censeas? Sin ad Dialecticam pertinent huiusmodi lites, sed nihil ad Aristotelem tamen, iam	310	
non Aristotelicam tantum Logicam (quod tu ais) sed aliam praeterea, aut alteri aut utrique profitentur. Sin autem, quae in tanta controversia sunt, nec ad ipsam Dialecticam attineant, (nec attinent certe, si ad eum non attinent, modo is Dialecticam perfecte tradiderit) iam hoc egregie fuerit absurdum, ut discatur Dialectica,	315	
de rebus ad eam rem neutiquam spectantibus tot annos digladiari.		
Et profecto, Dorpi, propemodum adducor ut credam, magnam illam opinionum partem de quibus tam diu tanta contentione velut pro aris focusque dimicatur, aut ad Logicam parum pertinere	320	
aut ad eam perdiscendam non admodum conferre. Nam ut in Grammatica suffecerit eas observationes didicisse, quibus possis et ipse Latine loqui, et quae ab aliis Latine scripta sunt intellegere, non autem anxie innumeras loquendi regulas aucupari, litterasque inter ac syllabas consenescere, itidem in Dialectica satis esse crediderim,	325	
dictionum naturam, enuntiationum vires, tum ex his collectionum formulas edoctum, Dialecticam protinus, velut instrumentum ad ceteras disciplinas accommodare. Atque hoc nimirum ipsum spectavit Aristoteles, quum Dialecticam suam decem		

<p>illis summis, sive rerum sive nominum generibus, deinde enuntiationum tractatu adiunctis, postremo collectionum formulis, et quae necessario demonstrant, et quae suadent probabiliter, et quae callide cavillantur, absolvit. Ad haec tamquam aditum introitumque quendam Porphyrius, quinque illas universa complectentes, seu res seu voces appellari malis, adiecit. Porro eiusmodi quaestiones, quibus rudia adhuc, et aptioribus imbuenda, detinentur potius quam promoventur ingenia, neuter eorum proposuit, Porphyrius etiam ex professo abstinuit. At nunc absurda quaedam portenta ad certam bonarum artium nata perniciem, et luculenter ab antiquis distincta commiscuerunt, et ad veterum purissimas traditiones, suis adiectis sordibus infecerunt omnia. Nam in Grammatica, (ut omittam Alexandrum atque id genus alios, qui quamquam imperite tamen Grammaticam utcumque docuerunt) Albertus quidam Grammaticam se traditurum professus, Logicam nobis quandam, aut Metaphysicam, immo neutram, sed mera somnia, mera deliria Grammaticae loco substituit. Et tamen hae nugacissimae nugae in publicas academias non tantum receptae sunt, sed etiam plerisque tam impense placuerunt, ut is propemodum salus aliquid in Grammatica valere censeatur, quisquis fuerit Albertistae nomen assecutus.</p> <p>Tantum auctoritatis habet ad pervertenda bonorum quoque ingeniorum iudicia, semel ab ineptis tradita magistris, deinde tempore corroborata persuasio. Quo fit, ut minus mirer, ad eundem modum in Dialecticae locum nugas plusquam Sophisticas irrepsisse, quae cultoribus suis argutiarum nomine tam vehementer arrident, ut mihi nuper his de rebus obiter loquenti quidam Dialecticus (ut ferebatur doctissimus) asseruerit, 'Aristotelem' (referam ipsius verba: nequeo enim aliter tam nitidum eloquentiae florem assequi) 'nisi grosso modo scripsisse. Et nunc sunt,' inquit, 'pueri in Parvis Logicalibus suis tam substantialiter fundati, quod bene credo certe, quod si Aristoteles a sepulchro suo surrexerit et argueret cum eis, illi bene conduderent eum, non solum in Sophistria, sed etiam in Logica sua.' Reliqui hominem oppido quam invitus, nisi quod aliquanto (ut tum res erat) occupatior fui, quam ut vacaret ludere.</p> <p>Ceterum liber ille Parvorum Logicalium (quem ideo sic appellatum puto, quod parum habeat Logices) operae pretium est videre, in suppositionibus quas vocant, in ampliationibus, restrictionibus, appellationibus, et ubi non quam ineptas, quam etiam falsas praeceptiunculas habet, ut ex quibus adiguntur inter has atque eiusmodi enuntiationes distinguere, 'Leo animali est fortior,' et 'Leo est fortior animali,' quasi non idem significant: et profecto tam sunt ineptae, ut utraque propemodum nihil significet, quamquam si quicquam, haud dubie idem. Tantundemque inter se differunt, 'Vinum bis bibi,' et 'bis vinum bibi': hoc est, secundum hos Logistas multum, sed re vera nihil. Iam si quis non assas modo, sed adustas quoque carnes ederit, eum volunt verum dicere si sic enuntiet, 'Ego crudas carnes comedi,' non autem si sic, 'ego comedi crudas carnes'; tum si quis parte relicta mihi, partem sibi pecuniae meae sustulerit, mentiar, videlicet, si dixero, 'Spoliavit me</p>	<p>330</p> <p>335</p> <p>340</p> <p>345</p> <p>350</p> <p>355</p> <p>360</p> <p>365</p> <p>370</p> <p>375</p> <p>380</p>	<p>#15. To Martin Dorp</p>
--	--	----------------------------

denariis.' Sed ne desint mihi verba quibus apud iudicem querar, licebit dicere, 'Denariis spoliavit me,' et in aliquo casu (ut aiunt) possibili posito, haec erit vera, 'Papam verberavi,' quum eodem manente casu haec erit falsa, 'Verberavi Papam; nempe si is qui nunc papa sit, puer olim a me vapulaverit. Digni, hercle, qui talia iam senes docent, ut quoties pueros docent, toties ipsi vapulent. Quid quod hanc falsam aiunt, 'Omnis homo est pater, qui habet filium,' nisi omnes prorsus homines iam habeant filios, quoniam videlicet huic aequipollet, 'Omnis homo est pater, et omnis homo habet filium.' At hanc interim veram affirmant, 'Pater erit Sortes, quando Sortes non erit pater': et hanc, 'Pater manebit Ioannes, quando Ioannes non manebit pater,' quod quis sic audire potest, ut sibi non interim credat aenigma proponi? At haec verba, 'Sum et Possum' regnant plane, et quoniam (ut aiunt) ampliativa sunt, pomeria sua ultra ipsas naturae fines longe lateque proferunt. Nam hanc veram astruunt, 'Omne quod erit, est,' sed eam tamen callide interpretantur; aiunt enim 'Omne quod erit, est' significare 'omne quod est, quod erit, est,' atque hoc pacto cavent ne Antichristus, qui olim erit, iam sit; nam quamquam omne quod erit, est, et quamquam Antichristus erit, tamen non sequitur, Antichristus est, propterea scilicet quod Antichristus non est ens quod ent. Quod nisi hanc plus quam subtilem propositionis huius expositionem circumspexissent acuti in Dialecticis argutiis Theologi, Rempublicam Christianam haud dubie iam olim Antichristus invasisset non sine magno ceterorum omnium periculo. Nam ipsis non video quid possit imminere discriminis, quippe quum fateantur has etiam veras esse, 'Antichristus est amabilis' et 'Antichristus est amativus.' Quamquam profecto nec Antichristus, nec supremus ipse iudicii dies, rerum naturam magis poterit, quam haec Dialectica subvertere, quae docet, has enuntiationes esse veras, 'Vivum fuit mortuum, Futurum fuit praeteritum,' quibus nimirum fit, ut mortuorum resurrectio, non (ut ipsi loquuntur) 'in fieri,' sed 'in facto esse' videatur. Iam istae non minus mirandae, sed sunt amoenae quoque, ac plausibiles, quum sint verae scilicet, 'Virgo fuit meretrix,' et 'meretrix erit virgo,' et 'meretrix possibiliter est virgo.' Non facile dictu est, Dialecticis tam benignis, utrae magis, virginesne an meretrices, debeant, debent certe utraeque plurimum. Poetae ergo nugas, Dialectici seria tractant. Poetae fingunt ac mentiuntur, Dialectici numquam nisi vera loquuntur, ne tum quidem quum hanc esse verissimam affirmant, 'Homo mortuus potest celebrare missam,' quod quamquam non audeo asserentibus eis, ac propemodum etiam iurantibus, non credere, (neque enim tot doctoribus tam irrefragabilibus fas est refragari), hactenus tamen (quantum memini) neminem umquam repperi, qui se narraret mortuo celebranti ministrasse.

Hancine Dialecticam docet Aristoteles? hanc Hieronymus laudat? hanc probat Augustinus? quam (ut ait Persius) 'Non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes?' Miror hercle homines acutuli quonam pacto senserunt illas enuntiationes sic intellegendas esse, quomodo nemo in toto orbe praeter eos intellegit. Nec sunt artis illa vocabula, ut sint eis quasi in peculio, et ab eis si quis



volet uti, sumenda mutuo; communis nimirum sermo est, nisi  
quod quaedam deterius reddunt, quam a cerdonibus eadem acceperunt.  
A vulgo sumpserunt, vulgaribus abutuntur. At regula  
quam vocant Logices, in eos sensus tales propositiones docet interpretandas.  
Quae (malum) regula in angulo quopiam ab his composita,  
qui vix loqui sciant, universo terrarum orbi, novas loquendi  
leges imponet? Grammatica recte loqui docet, nec ea tamen insuetas  
loquendi regulas comminiscitur, sed quae plurimum in  
loquendo videt observari, eorum loquendi rudes, ne contra morem 440  
loquantur, admonet. Nec aliter quicquam Dialectica facit, quae  
sana est. Nempe hic syllogismus: 'Omne animal currit, Omnis  
homo est animal,' ergo 'Omnis homo currit,' non ideo syllogismus  
est, quia rite secundum Dialecticae normam colligitur ac formatur  
in barbara, sed quia postremam orationem ad praemissa consequi 445  
docet ratio, quae regulam ob id ipsum talem fecit. Alioquin aliter  
eam factura, quaquam versus ab ipsa rerum natura flecteretur. Ipsi  
quoque eodem modo in hac propositione, 'Meretrix erit virgo,' ne  
dicant sic interpretandam: 'Meretrix quae est, vel quae erit,' quia  
sic iubet regula, sed rationem afferant ab ipsa re, quare fieri debeat 450  
talis regula. Nam si recta est ea interpretatio, necesse est eam aut  
ab ipsa re quae enuntiatur, aut ex proprietate sermonis emergere.  
Ergo quum tam multis eorum qui Latine iam olim locuti sunt,  
neque ingenium defuerit neque eruditio, nec sermonis proprii  
fuerit minor quam istis est (uti credo) peritia, quomodo evenit 455  
ut ex illis nemo potuerit intellegere hanc veram esse, 'Meretrix erit  
virgo,' aut inter has distinguere, 'Nummum non habeo,' et 'Non  
habeo nummum?' Quamquam nemo negaverit, transpositiones  
vocalium diversum saepe sensum gignere. Neque enim idem  
est, 'Bibas prius quam edas' et 'Edas prius quam bibas.' Sed hoc 460  
affirmo, quando ita sensus variatur, omnes in idem mortales assentire,  
trahente videlicet ratione, non Dialecticorum iubente  
potius quam persuadente regula, quorum officium est, ut more  
nostro loquentes quovis nos veris rationibus impellant. Sophistarum  
vero, ut insidiosus eo praestigiis adducant quo nos pervenisse 465  
miremur. Nam hoc hebetissimum acumen est, et stultissima solertia,  
se disputando pronuntiare victores, et triumphum sibi decernere,  
quia nos nescimus in quem sensum ipsi clanculum pacti sunt,  
sermones nostros contra communem omnium sensum accipere. At  
haec quum nec Sophistica dici mereantur, tamen non pro Sophisticis 470  
nugis ducuntur, sed inter abstrusissimos Dialecticae thesauros  
numerantur, nec a pueris tamquam dediscenda discuntur, sed a  
senibus quoque in ipsa Theologiae penetralia suscipiuntur. His  
quidam Theologicas perplexitates infarciunt, ex his propositiones  
tam ridiculas effingunt, ut ridenda materia nusquam oriri possit 475  
uberius, nisi quod multo malim eos, qui sic ineptiunt, ad sanitatem  
converti, quam ipse ex insanorum deliriis capere voluptatem.  
Quamquam quid haec dico tibi, Dorpi, cui non dubito has nenas  
non minus displicere, quam mihi, si posses mutare, et fortasse  
poteris, adiutus a tui similibus, modo ne statuas tecum, illorum 480  
obsequi ineptiis, quos multo magis par est tuo parere iudicio.  
Sed ad epistolam tuam revertor, ut ostendam nullam ex Erasmi

verbis ansam tibi datam, qua eum (id quod facis) diceres, Lovanienses Theologos, multoque adhuc minus, ceteros omnes imperitiae damnare, siquidem quum ille dixisset, se valere sinere,	485	#15. To Martin Dorp
non omnes quidem Theologos, ut qui prius in eadem epistola multos dixerit esse praestantissimos, sed eos tantum (si qui tales sunt, ut certe sunt) qui praeter Sophisticas nugas nihil didicerunt. Hic tu statim 'per Theologos istos puto,' inquis, 'Lovanienses designari.' Quid ita, Dorpi, quasi vero difficile sit, huius farinae,	490	
immo istius furfuris, aliquos ubique reperire? Belle profecto sentis de Lovaniensibus, si eos et solos et omnes putas eiusmodi descriptione cognobiles, quod ille neque sentit neque dicit? Paulo post tamen sic dictum accipis, tamquam non in Lovanienses modo, sed in omnes quotcumque sunt ubique gentium Theologi diceretur,	495	
quod ille nec in alios omnes, nec in Lovanienses ipsos est locutus; tu tamen perinde ac si neque illum neque temet audias, videris in haec verba non descendere, sed velut abreptus impetu animi effervescentis erumpere. 'Nonne videmus abiectissimos opifices, immo vilissima mancipia clarissimis esse praedita ingeniis? Quid ergo	500	
sibi volunt haec in Theologos omnes detorta vocabula—pingues, rudes, pestilentes, et qui nihil habent mentis? Nullius est artis probra dicere in quosvis, sed neque honestum est, aut boni viri officium, si severam Salvatoris nostri sententiam perpendamus: 'Qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit,	505	
Fatue, reus erit gehennae ignis.' Ubi Hieronymus: 'Si de otioso sermone reddituri sumus rationem, quanta magis de contumelia. Qui in Deum credenti dicit, Fatue, impius est in religionem. Sunt ista quidem verba tua, Dorpi, non gravitatis modo, sed sanctitatis quoque plena, vereque severo Theologo digna, quae utinam	510	
in loco dicerentur suo. Sunt enim melior a quam ut perire debeant. Quod si desuper e suggestu librarentur in populum, numquam ita errare possent, ut non in aliquem in quo haerere viderentur, inciderent. At nunc me miseret, in unum Erasmm quod declamas omnia, in quem unum, eorum quae declamas omnium, nihil quicquam	515	
competit. Nam quod affers ex Evangelio, 'Qui dixerit fratri suo, Fatue, reus erit gehennae,' nihil ad eum spectat, qui nominato nemine velit asserere esse unum alterumve in magno hominum numero fatuum. Alioquin decem gehennae non suffecerint ei qui dixit, 'Stultorum infinitus est numerus.' Porro quod quaeris, 'Quid sibi volunt haec in Theologos omnes detorta vocabula'? hoc mihi	520	
de te, Dorpi, quaerendum est. Nam quae ille dixit in paucos, ea tu solus in omnes detorsisti: quod te instituisse facere vehementer admiror. Siquidem ut 'nullius est artis' (vel uti tu dicis) 'probrosa in quosvis dicere,' ita nullius est artis (quod tu facis) benedicta male narrando corrumpere, quippe quae non male scripta sunt in merentes, ea tu conaris, quo male scripta viderentur, ad immerentes inflexere, quod in quavis re, quam facile factu sit, ipse facile vides.	525	
Nam profecto si quis ea quae tu scripsisti, ad hunc excutiat modum nihil abs te tam circumspecte scriptum est (quamquam omnia circumspectissime) ut non alicunde possit obnoxium esse calumniae; veluti illa ipsa epistola, quae abs te, ut novissime, ita	530	

accuratissime scripta, in editionem 'Quotlibeticorum dignissimi  
 viri Adriani Florentini De Traiecto: in qua quum et opus magnifice 535  
 et Auctorem copiose laudaveris, utrumque (ut ego certe  
 puto) tam ex animo, quam vere, tamen si quis incideret interpres  
 paulo malignior, videri possis altera manu panem, altera lapidem  
 porrexisse; primo quod ut eius operis editionem curares, nullo  
 tuo in eum librum studio, nec nisi aliorum precibus atque adeo 540  
 applorationibus adduci potuisti, quasi in rem quam ipse non magnifeceris,  
 aliorum affectibus operam tuam induleris; deinde quod  
 te scribis seria studia tua tantisper seposuisse dum 'Quodlibetica'  
 corrigeres illa, perinde ac si illa seriis non essent in studiis numeranda,  
 quum tamen magister Ioannes Athenensis, vir tantae et doctrinae 545  
 pariter et iudicii, non gravabatur operam in eam rem suam  
 vel intempesta nocte frequenter (ut ais) accommodare, tamquam  
 velut obstetrices excitari de nocte solent, quum mulieres parturiunt,  
 ita hoc opus emendari non potuerit interdiu. Quid quod eiusdem  
 Adriani dum aequitatem laudas, aequitatem ei Lesbiam videns 550  
 attribuere, ad Lesbiam nimirum regulam alludens, quam plumbeam  
 fuisse meminit Aristoteles, non aequam semper, sed ad  
 rerum inaequalitates flexibilem? Nec me, mi Dorpi, putes haec  
 eo dicere, quod te putem tale quicquam sensisse, aut sic denique  
 vel in tanto viro, vel tali opere famae commendando luisse. Nam 555  
 et virum multis modis audio multum eximie laudis assecutum, et  
 opus ipsum censeo in suo certe genere perfectum.  
 Sed haec omnia eo dico, ut ostendam, nihil tam minutum esse, in  
 quo locum sibi non possit invenire calumnia, quando tuis etiam  
 scriptis tam accurate, tam circumspecte limatis, tamen impetrandum 560  
 est ut cum favore legantur. Quamquam Erasmus, ne quisquam  
 prorsus ullam occasionem posset arripere, qua dicat eum in  
 omnes ea quae tu obicis ei, dixisse Theologos, vel eo cavisse  
 videtur, quod ait, 'Cotidie re ipsa experior, quam nihil habeant  
 mentis, qui praeter Sophisticas nugas, nihil didicerunt.' Non dicit, 565  
 'Quam nihil habent mentis omnes Theologi,' sed neque, 'Qui  
 Sophisticas nugas didicerunt,' sed, 'Qui nihil praeterea.' Quamobrem  
 quum sic scribis, 'Porro quod hypothesim facias, Erasme, nostros  
 Theologos solis sophismatum meditationibus esse occupatos, tota  
 erras via.' Hic tu, mi Dorpi, tota erras via, quum hypothesim facis, 570  
 Erasmum talem hypothesim fecisse de omnibus Theologis vestris,  
 quam ille de uno tantum facit, aut altero, neque quicquam dicit in  
 quo sit necesse omnes Theologos vestros includi. Quare nec id  
 quidem ad rem facit, quod protinus adiecisti. 'Dic, age, quidnam  
 eos quamvis sane poeseos ignaros, arcebit ab Evangeliiis, Paulinis 575  
 epistolis, totaque Biblia evolvenda?' Nihil sane, Dorpi, modo ipsi  
 non arcerent sese, quod aliqui faciunt, qui vitam universam quaestiunculis  
 consecrantes, Bibliam certe, veluti nihil ad rem pertineat,  
 numquam dignantur inspicere. Atque ille aliquos huiusmodi putat  
 esse, non omnes, ut intellegas, id quoque te sine causa ulla subnectere, 580  
 'Proferam ego multos hinc qui reiectis libris sola memoriae  
 vi cum quovis de textu Scripturae certabunt. Cave credas Endymionis  
 somnium dormire Theologos, quo tempore vos litteris  
 invigilatis, aut ingenio carere, quicumque non poetantur, aut

#15. To Martin Dorp

<p> rhetorissant.' Nemo, Dorpi, negat esse qui reiectis libris de Scripturae  textu certare possint. Immo plus satis ubique reperias eorum,  qui libris non reiectis modo, sed etiam numquam inspectis, cum  quovis in Scripturis exercitatissimo sint parati de quovis Scripturae  textu, non memoriae, sed Moriae vi certare pertinacissime. Neque  negabo tamen, et apud vos et ubique esse, qui e Scripturis multa  memoriter teneant, ex quibus eos qui non in hoc solum collocarunt  operam ut memoriae mandent, quod illitterati etiam monachi  fratresque faciunt, sed vel multo magis ut intellegant, qui tantam  sermonis facultatem paraverunt sibi, ut pernoscendis Hieronymi,  Augustini, Ambrosii ceterorumque id genus lucubrationibus  pares esse possint, eos, inquam, ego in Theologorum albo meritissimo  iure collocandos puto, etiamsi versus numquam fecerint, tam  hercle quam si disputatiunculis istis non totos centum annos insumpserint,  ut ne dicam, si in universum neglexerint. Sed tu  quoque, si vera vis fateri, non inficias ibis, ex Theologorum, qui  vocantur, numero esse rursus aliquos, qui Scripturae libros ita  reiciant, ut reiectos numquam resumant, qui ita sese totos Theologiae  huic disputatrici devoveant, ut non solum non poetentur, ac  rhetorissent, verum etiam sanctissimos patres, antiquissimos quoque  Scripturarum interpretes propemodum floccifaciant, certe (quod  satis constat) eorum in sacras litteras enarrationes neglegant,  unaque ipsarum sacrarum litterarum studium, postremo quaecumque  sunt optima, piissima, maxime Christiana, verisque  Theologis dignissima, ea, inquam, omnia, quod sint (ut ipsi  vocant) positiva, contemnant, neque eorum quicquam dignum  putent, ubi ipsi nervos intendant suos, homines ad questiunculas  nati res tanto videlicet intervallo maiores, ex quibus ipsis tamen  maxime quaestiones consecantur eiusmodi, quae vel ad fidei pietatem,  vel ad morum cultum minime omnium pertineant.  Ego itaque ut prius illud Theologorum genus veneror ac suspicio,  ita hoc posterius hercle non admodum magnipendo, adversus  quos tamen non est consilium Poesim aut Rhetoricam defendere,  quippe qui a Poesi Rhetoricaque tam longe propemodum  absim, quam illi ipsi. Absunt autem ipsi tam longe fere, quam  ab ipsa Theologia, a qua tam longe absunt, ut a nulla re absint,  praeterquam a communi hominum sensu, longius, vel ideo maxime,  quod ad insignem rerum omnium inscitiam, accessit omnigenae  scientiae perversa persuasio, qua sibi adeo blandiuntur, ut omnium  hominum scripta, ac ipsas etiam sacras litteras, ut quicquam  audierint quapiam occasione prolatum, qui locum numquam viderint,  numquam librum inspexerint, quid ea verba praecedat, quid  sequatur, nesciant, (immo id ipsum quod citatur, sitne an non sit ibi,  unde citatur, ignorant), se tamen solos arbitrantur idoneos, qui  protinus in quemcumque libeat sensum interpretentur.  Ex quo genere quum in multos inciderim, unum saltem ex quo  ceterorum indoles agnosci possit, non pigebit hercle velut speciminis  loco referre. Cenavi olim apud Italum quendam mercatorem,  non minus doctum, quam divitem (erat autem ditissimus);  forte aderat in cena religiosus quidam Theologus, disputator  egregius, qui recens e Continente venerat, ut quaestiones aliquot </p>	<p>585</p> <p>590</p> <p>595</p> <p>600</p> <p>605</p> <p>610</p> <p>615</p> <p>620</p> <p>625</p> <p>630</p> <p>635</p>	<p>#15. To Martin Dorp</p>
--	--	----------------------------

quas praemeditatus advexerat, Londini disputaret, experturus videlicet  
 in ea disceptandi palaestra, quid Angli praestare possent, simul  
 nomen suum iam apud suos celebre, apud nostros quoque propagaturus.  
 Is quas conclusiones (ut vocant) affixerit, tum quam  
 640  
 belle disputatio processerit homini, quamquam longum esset, non  
 gravarer profecto narrare, si tam ad hanc rem pertinens foret,  
 quam festivum fuit. Ceterum in cena nihil a quoquam dici tam  
 bene munitum aut libratum, tam circumspecte potuit, quod non  
 ille vix prolatum aliquo statim syllogismo convelleret, quantumvis  
 645  
 res de qua sermo erat nihil ad Theologiam pertinens, ad Philosophiam  
 tantundem, quantumvis denique ab universa eius professione  
 esset alienum, nisi quod initio cenae fecerat, ne alienum  
 esse quicquam ab eius professione posset (professus est enim, sese  
 in utramque partem de re quacumque disputaturum). Paulatim  
 650  
 coepit mercator ad quaestiones magis Theologicas descendere. De  
 usura proponebat, de decimis quaedam, de confessionibus, quae in  
 aliena parochia fratribus essent factae. In omnibus nihil erat  
 Theologo pensi, utram sustineret partem, sed utramcumque aliquis  
 asseruisset, illam oppugnabat, ac vicissim quamcumque alius negaverat,  
 655  
 hanc ille protinus astruebat. Tandem per iocum mercator  
 sermonem de concubinis iniecit, coepitque defendere, minus mali  
 unam quampiam domi habere, quam foris per multas discurrere.  
 Ibi rursus Theologus instare, oppugnare ferociter, non quod usque  
 adeo concubinam videretur odisse, sed ne cum quoquam ei quicquam  
 660  
 conveniret, sive quod hominem fortasse varietas oblectabat.  
 Ceterum asserebat esse conclusionem famosam cuiusdam limpidissimi  
 Doctoris, qui fecit illum singularissimum librum qui intulatur  
 Directorium Concubinariorum, plus eum peccare qui unam  
 domi concubinam, quam qui decem foris meretrices haberet,  
 665  
 idque quum ob malum exemplum, tum ob occasionem saepius peccandi  
 cum ea quae domi sit. Respondit mercator, docte mehercle,  
 et acute, quae et longum recitare fuerit, et apud te supervacaneum.  
 At quum olfecisset, Theologum non perinde in Scripturis atque  
 in quaestiunculis illis exercitatum, coepit hominem ludere, argumentarique  
 670  
 interdum per locos ab auctoritate. Effingebat enim ex  
 tempore sententias quasdam breves, suae parti quae viderentur  
 astipulari, quumque ipse omnes nusquam ante auditas, pro libito  
 fuisset commentus, hanc tamen ex epistola quampiam divi Pauli,  
 675  
 illam ex Petri, aliam rursus ex medio citabat Evangelio, idque tam  
 diligenter, ut neque capitulum umquam dum citabat omitteret,  
 nisi quod si quis liber in sedecim capita distinguebatur, ille data  
 opera citabat ex vicesimo. Quid ille bonus Theologus interim? ad  
 cetera certe strenue, et tamquam erinacius spinis sese suis  
 obvoluit. At personatas illas auctoritates vix hercle huc atque illuc  
 680  
 vitabundus evasit, sed evasit tamen; tantum valet ars et exercitatio  
 disserendi. Nam quum ille quid in sacris continebatur litteris,  
 omnino nesciret, neque dubitaret, quin quod inde citaretur, ibi  
 esset, non deferre vero cedereque auctoritati Scripturae, nefas  
 duceret, ac loco depelli, vincique turpissimum, tantis circumsaepius  
 685  
 angustiis, vide obsecro, qua astutia tandem Proteus ille e mediis  
 retibus elapsus est. Statim ut aliqua sententia quae nusquam erat,

#15. To Martin Dorp

tamquam e sacris litteris adversus eum citabatur, Bene citas, inquit,  
domine, sed illum textum ego sic intellego, et iam interpretabatur  
non sine aliqua distinctione bimembri, quorum alterum pro adversario  
stare diceret, altero ipse effugeret. Quod si quando mercator 690  
instabat molestius contendere, eius textus non illum verum esse  
sensem, quem Theologus affirmabat, iurabat homo tam sancte, ut  
quivis possit credere, Nicolaum de Lyra eundem textum sic interpretari.  
Profecto, mi Dorpi, in illa una cena plusquam viginti  
poculenti textus, totidemque poculenta glossemata, inter pocula, 695  
at adeo ex poculis tamquam e serpentis dentibus terrigenae illi  
fratres, et nati sunt et periere.  
Quid tu ais ergo, Dorpi? Tu istiusmodi homines sacrarum  
inanes litterarum, quaestionibus illis Theologicis quantumcumque  
distentos, Theologorum censes insigniendos vocabulo? Non 700  
opinor, quamquam hercle, ut vere dicam, animi ambiguum tui haec  
tua me verba faciunt. 'Non persuadeas, Erasme, tibi eum demum  
absolutum esse Theologum, qui Bibliae seriem ad litteram intellegat,  
nec eum item, qui morales sensus aequae atque alter Origines,  
noverit eruere. Multa restant discenda, ut intellectu difficiliora, 705  
ita et utiliora gregi pro quo mortuus est Christus. Alioqui qui  
sciemus, ut sacramenta sunt administranda, quaenam sint eorum  
formae, quando absolvendus peccator, quando sit reiciendus, quid  
praeceptum sit restitui, quid servari possit, et innumera huiusmodi?  
Multum nisi erro, longe minori opera bonam Bibliae partem 710  
edisceres, priusquam vel unius perplexitatis nodum discas  
dissolvere, cuiusmodi plurimi cotidie occurrunt, ubi vel in quattuor  
verbis diutissime haerendum est, nisi tu has etiam voces Theologorum  
nenias, quaecumque ad sacramenta pertineant, sine quibus  
tamen sancta Dei Ecclesia Catholica profitetur salutem hominis 715  
periclitari.' Crede mihi, Dorpi, nisi haec tute scriberes, numquam  
adduci possem haec te sentire, ut crederem. Scilicet istae neotericorum  
quaestiunculae (nam de his agitur) non intellectu tantum difficiliores,  
sed gregi quoque, pro quo mortuus est Christus, utiliores  
sunt quam exactissima cognitio sacrarum litterarum omnium. Hui 720  
ex quantulo culice quam ingentem elephantem facis? Nam eam  
rem primum tam difficilem putas, ut Erasmus minore opera bonam  
Bibliae partem posset ediscere, quam vel unius perplexitatis  
nodum discat dissolvere, cuiusmodi plurimos cotidie in scirpo  
quaerunt, ubi tam diu in tenaci, ne dicam sordido, quattuor verborum 725  
luto haerendum est, dum posses amoenissimum ac saluberrimum  
totius Bibliae pratium a capite paene ad calcem sensim perambulare.  
Hactenus ergo periculum erat, ne quaestiunculas istas non  
didicisset; nunc, ut video, maius quippiam timendum est, ne tam  
longe supra captum eius sint ut apprehendere ne sufficiat quidem. 730  
Quid ille possit, omitto quaerere. Verum hoc scio, quosdam  
novisse me, ad cetera plane stipites, ingenio certe pistillo quovis  
obtusiore, qui in eiusmodi tamen argutiis non modo brevi promoverint,  
sed sodales suos quoque multo melioris ingenii, nec  
minoris industriae, equis (ut aiunt) albis in disputando praecesserint, 735  
ita quovis importune prorumpit audax et inverecunda stultitia,  
quum ingenuam animi indolem, et sanum plerumque

#15. To Martin Dorp

iudicium, nugandi remoratur pudor.

#15. To Martin Drop

Sed est profecto, Dorpi, quod merito gaudere debes, nec tuis  
viribus acceptum, sed bonorum omnium largitori Deo referre, 740  
cuius eximia in te benignitate profluxit haec tam rara felicitas,  
ut in sacris Litteris omnia tibi tam facilia videantur. Neque enim  
in hoc libro, quem signacula septem clausurunt, cuncta reperires  
aperta, nisi ille tibi Agnus librum resignasset, qui aperit et nemo  
claudit, claudit et nemo aperit. Sed hic ipse liber, Dorpi, qui tam 745  
facilis tibi videtur, Hieronymo certe visus est difficillimus, Augustinus  
putavit impenetrabilem. Neque quisquam est antiquorum  
omnium, qui se fateri est ausus intellegere, ut cuius intellectum  
putant altissimo Dei consilio vel ob id ipsum profundius obstrusum  
esse, ut curiosos oculos provocaret, et semotis ac labore eruendis 750  
opibus segnia excitaret ingenia, quae alioquin ad obvios expositosque  
thesauros ipsa securitate torpescerent. Iam (ut omittam)  
interim quam non sit vulgaris eruditionis opus, quam non cuiuslibet  
ingenii, quae a moribus interdum primo aspectu abhorreant,  
ea tamen commode ad mores ac tam feliciter appellere, ut non 755  
aliunde eo tracta, sed ad id ipsum nata videantur. Quam rem  
nonnulli nunc tam inepte moliuntur, ut quum hactenus sint progressi,  
ut rem ab ipsius magis loco detraxerint, quam ad suum  
perdlexerint, quum neque in re consilium sit, neque in verbis  
Venus, fit nimirum uti tota illa moralisatio, quam vocant, sine 760  
ulla gratia spirituque frigescat. Sed haec, ut dixi, omittam,  
At certe ipsum litteralem sensum tantum continere difficultatis  
puto, quantum nescio an quisquam omnium comprehendere  
possit. Neque enim cuiquam sentio litteralem horum verborum  
sensem intellectum esse, 'Dixit Dominus Domino meo, Sede a 765  
dexteris meis,' nisi ei qui ea Prophetam de ipso Christo vaticinatum  
intellegat. Quod, exceptis Prophetis, nec Iudeorum quisquam,  
quamquam in hos libros universam operam suam collocabant, intellexit,  
priusquam Christus eis hunc eius litterae sensum aperuit.  
Qui tametsi Apostolis ac discipulis suis interpretatus est Scripturas 770  
(neque enim, quod sciam, quaestiunculas istas cum eis disputavit  
umquam), non ausim tamen affirmare, universae Scripturae sensus  
eis ipsis aut praesentem tradidisse, aut per Spiritum Sanctum postquam  
ascendit infudisse. Nam ut multa sunt ibi quae de Christo  
Prophetae cecinerant, quorum alios omnes subterfugit intellectus, 775  
quousque ea omnia ipsius vita, passio, resurrectioque declaraverunt,  
ita mortalium impares esse vires puto ad indagandum, utrum  
adhuc in eisdem lateant aut de finali iudicio, aut aliis de rebus  
nobis incogitabilibus, neque ulli hominum aut hactenus cognita,  
aut ante cognoscenda mysteria, quam eventus eadem temporibus 780  
ac momentis soli praevisis inscrutabili Dei providentiae patefecerit.  
Sed esto, Dorpi, sit Scriptura facilis, difficiles quaestiunculae, nihil  
impedit tamen, quin illius cognitio harum possit esse disciplina  
fructuosior. Quamquam enim saltare, atque in gyrum se colligere  
(quod saltatriculae quidam ac circulatorum faciunt) difficilium est, 785  
quam ambulare, et dentibus panem facilius est quam testacea fragmenta  
conterere; neminem tamen esse puto, qui rectos illos vulgaresque  
naturae usus velit huiusmodi inanibus ostentis permutare.

Quamobrem utra res sit difficilior, non admodum magnifacio, at quod utiliores etiam sacrarum litterarum cognitione quaestiunculas istas esse vis gregi, pro quo mortuus est Christus, ferre profecto non possum; quas si cognoscendas assereres, haud refragarer; si Veterum lucubrationibus exaequares, non tolerarem. Nunc vero quum ancillas istas coquinarias ipsi Bibliae sacrosanctae litterarum omnium reginae non confers modo, sed praefers etiam (dabis mihi, Dorpi, veniam) continere me hercle non possum, quin illo Therentiano procul eas omnes abigam, 'Abite hinc in malam rem cum isthac magnificentia fugitive: adeo putatis vos aut vestra facta ignorarier?'	790	#15. To Martin Drop
Neque profecto satis admirari queo quum ea verba lego, quibus eas ita magnifice attollis, tamquam uti (apud Poetas) in Atlantis humeros caelum, ita in perplexas huiusmodi quaestiunculas, hoc est harundinem, universa prorsus Ecclesia inclinata incumbat, alioquin videlicet periclitatura ne tota semel collaberetur in cineres.	795	
Ais enim, 'Alioqui qui sciemus quomodo sint sacramenta administranda, quaenam sint eorum formae, quando absolvendus peccator, quando reiciendus, quid praeceptum sit restitui, quid servari possit?' Itane putas, Dorpi, ista quae tu nusquam alibi quam apud Neotericos quaestionistas inveniri vis, antiquos omnes sanctissimos Patres nec minus etiam doctos ignorasse omnia? Hieronymus, Ambrosius, Augustinus ad Sacramentorum formas ac materias caecutiebant? Ergo tota Ecclesia plus quam mille annos (nam plusquam mille anni a passione Christi numerantur ad Petri Lombardi tempora, e cuius Sententiis, velut ex equo Troiano, universum istud quaestionum agmen erupit), tot annos ergo, immo tot saecula, universa Christi Ecclesia aut sacramentis caruit, aut ista non habuit? quando recipiendus peccator, quando reiciendus, tam diu fuit incognitum? et item quid praeceptum esset restitui, nesciebant? Nam quid servari posset, concesserim apud Veteres non fuisse tam acute, quam apud istos disputatum. Sed ut Zacheus veritus ne male parta parce redderet, quadruplum sese redditurum professus est, ita veteres illi Patres, ut vel plus satis quisque restitueret hortabantur. Non erant illi, fateor, hac in re, quam isti sunt, tam in definiendo ac distinguendo curiosi. Sed ego tamen illorum (ut Therentius ait) aemulari malo neglegentiam potius, quam istorum obscuram diligentiam, apud quos anxie res disputatur, et quaeritur non tam quid restitui debeat, quam quid servari possit, non quam procul a peccato sit abscedendum, sed quam prope ad peccatum sine peccato possit accedi. Iam qui consilium convasatori dat, nimirum tamquam alienae pecuniae frugi dispensator, observat ut in reddendo citra subsistat potius vel mille passus, quam ultra latum (ut aiunt) unguem promoveat.	805	
Ego certe, mi Dorpi, nec te (ut pro) refragante contenderim, quaecumque sunt ad salutem necessaria, id est, sine quibus salvi esse non possumus, ea primum ab ipsis sacris Litteris, deinde priscis eorum interpretibus, ad haec communi ab antiquis Patribus quasi per manus tradita consuetudine, postremo sacris Ecclesiae sanctionibus, abunde nobis tradita. Quod si quid supra quam in his est, homines isti acuti curiosius addiderum, ut multa concedam	810	
	815	
	820	
	825	
	830	
	835	



commoda esse atque utilia, ita plane eius esse generis puto omnia, 840 #15. To Martin Drop  
 ut sine eis vivi possit. At fortasse dices, non omnia apud Veteres  
 tam inventu prompta, tamque in numerato esse, quam apud istos  
 recentiores, qui omnia cognata quasique similia in capita quaedam,  
 veluti in suam quodque tribum, descripserunt. In hac re, Dorpi,  
 fortasse accedo tibi, fateorque nonnihil esse commodi, velut in 845  
 domestica suppellectile, sic in re litteraria quoque ita seorsum habere  
 singula quaeque distincta, ut ad quodcumque velis, ilico manum  
 possis absque errore porrigere. Est istud quidem (ut dixi) commodum,  
 verum hoc tanto commodo quidam tam abutuntur incommode,  
 ut propemodum praestitisse videatur, hoc ipso etiam 850  
 commodo caruisse. Neque enim aliud quicquam magis in causa  
 fuisse puto, quare vetustissimus quisque sacrarum litterarum interpres  
 a tam multis tam diu neglectui habeatur, quam quod  
 infelicitum ingeniorum corrupta iudicia primum sibi, deinde aliis  
 quoque persuasere, nihil usquam esse mellis, quod non in illos 855  
 summularum alveos congestum sit. Ideoque fit ut illis contenti  
 solis, cetera omnia per incuriam contemnant. In cuius animi quendam  
 etiam ipse iam olim in quadam bibliopolae taberna incidi;  
 erat enim senex, qui alterum (ut aiunt) pedem habebat in sepulchro,  
 et certe non multo post utrumque, iam doctoratus (ut vocant) 860  
 honore plusquam annos triginta fuerat insignitus. Dico forte apud  
 eum, beatum Augustinum aliquando putasse, daemones omneis  
 substantias esse corporeas. Ibi ille statim supercilium contrahere,  
 et temeritatem meam rugosa fronte compescere. Tum ego, 'Non  
 dico,' inquam, 'hoc ipse, Pater, nec Augustinum in ea re defendo. 865  
 Homo erat, errare potuit. Credo ei quantum cui plurima, sed  
 nemini uni omnia.' Iam vero coepit homo excandescere, vel ob id  
 praecipue, quod tanto Patri calumniam tantam intenderem. 'Nam  
 putas me,' inquit, 'non legisse Augustinum? Immo,' inquit, 'priusquam  
 tu nascereris.' Me iam suis saevis dictis protelasset, nisi commode 870  
 fuisset paratus elenchus. Nam ut erat in taberna, sumo in  
 manus libellum Augustini de Divinatione Daemonum, verto ad  
 locum, atque ostendo; ubi locum semel atque iterum legit, ac  
 tertia demum lectione, me adiuvante, coepisset intellegere, tandem  
 admirabundus. 'Certe,' inquit, 'ego valde miror de hoc quod 875  
 Augustinus dicit sic in isto libro, quia certe non dicit sic in Magistro  
 Sententiarum, qui est liber magis magistralis quam iste.' Qui sunt  
 ex hac farragine, qui neque Veterum quemquam, neque Scripturarum  
 quicquam legunt, nisi in Sententiis, et earum commentariis,  
 hi perinde mihi videntur facere, ac si quis auctoribus omnibus 880  
 qui Latine scripserunt omissis, constructionum praeceptis ab Alexandro  
 petitis, reliquum Latinae linguae ex Perotti Cornucopia, et  
 Calepino conetur ediscere, quod persuasum habeat, in his omnia  
 Latinae linguae vocabula sese reperit, et profecto reperiet  
 plurima, eademque electissima. 885  
 Nempe ut apud recentiores Theologos, priorum dicta auctoritatis  
 loco leguntur inserta, ita hic quoque veteres poetae atque oratores,  
 aliquot etiam qui nunc ne exstant quidem. Sed neque haec umquam  
 facient Latinum, nec illa, mi Dorpi, Theologum, si sola sint, etiam  
 si decem millibus spinosissimarum quaestionum fuerit instructus, 890

## #15. To Martin Drop

quibus miror quum sit talis, qua in re possit Ecclesiae esse usui,  
 disputando fortasse adversus haereticos, (nam hoc nomine praecipue  
 sese solent venditare). At hi aut docti sunt, aut indocti. Si  
 indocti (ut est multo maxima pars) neque acumina ista, quibus  
 iste solus valet, neque verba tam insueta, quibus iste solus assuevit, 895  
 intellegent. Necesse est ergo talem disputationem tantum fructus  
 consequi, quantum si quis Turcam quempiam patriae dumtaxat  
 linguae peritum, composita oratione, sermone Gallico (nam eum  
 solum elegantem Galli putant) exhortetur ad fidem. Sin docti  
 sint haeretici, idque in illis ipsis quaestionibus (neque enim fere 900  
 accidit ut alias sint haeretici), quando iam redarguentur? Quis erit  
 disputandi finis? quum ex illis ipsis quaestionibus, quibus oppugnantur,  
 ipsis quoque referendi ministratur inexhausta materia,  
 ut propemodum eis accidere videatur, quod nudis inter acervos  
 lapidum pugnantibus, ut quo feriat neutri desit, quo se defendat 905  
 neuter habeat. Nempe quidam, qui in scholis inter primos leguntur,  
 et sunt non minus quam habentur acuti, ut omittam interim,  
 quod quasdam quaestiones de Deo tam ridiculas excogitarunt, ut  
 putes ridere, propositiones tam blasphemias, ut censeas irridere.  
 Certe contra fidem tam gnauiter obiciunt, tam segniter obiecta dissolvunt, 910  
 ut praevaricatores agere, et fidem ioco tueri, serio oppugnare  
 videantur. Haeretici ergo cum talibus compositi, quales  
 antea dixi Theologos, quum sint in eodem docti ludo, quando  
 succumbent? non cito hercle opinor, si non unum magis lignorum  
 fasciculum vererentur, quam multos syllogismorum fasces 915  
 pertimescerent.

Sed idoneus erit saltem qui contionetur ad populum. Hercules!  
 hoc ipsum est quod aiunt, 'Bovem ad ceroma.' Nam quum nihil  
 didicerit praeter quaestiones, quae sunt ad aures populi perquam  
 insolentes, minimeque omnium idoneae, ediscendus est ei nimirum 920  
 sermo quispiam ex sermonibus Discipuli, aut Veni mecum,  
 aut Dormi secure, res per se ineptae, quas dum homo tractat  
 ineptior, utpote nec ad id munus assuetus, et qui tutam illam  
 verborum congeriem ex alieno stomacho declamet, necesse est  
 ut contio tota frigescat. Quamobrem plane non video quaestiones 925  
 istae quid faciunt ei quem solae possident, nisi quod eum ad  
 cetera omnia reddunt inutilem, ut cui si quid ex his proponatur  
 subtilibus magis, quam solidis disputationibus, in quibus se ante  
 millies exercuit, iam domi suae est, iam cristas erigit, velut gallus,  
 qui in suo sterquilinio superbit. At extra illa saepta, si paulo producat 930  
 longius, ilico ignota rerum omnium facies tenebras ac  
 vertiginem offundit.

Nec iam Dialectica, rerum caecitate labanti, quantumvis fortis,  
 quantumvis acuta succurrit, quae ut cognita rerum natura, varias  
 inde species, multas argumentorum formas elicit, ita rebus ignoratis 935  
 ipsis necesse est sine ullo usu obmutescat, Adde quod illas ipsas  
 quaestiones, quas et penitus et solas per tot annos imbibit, quum  
 sese iam senex e scholasticorum contubernio, ubi eadem assidue  
 ventilantur, quapiam occasione subduxerit, iam intra biennium  
 acumina illa universa, numerosa nimium videlicet, evanida, nullo 940  
 rerum subnixa pondere, tamquam nebula fumusque disparent,

iamque ei nimirum usu venit ipsi, quod de Anima Pueri ex Aristotele  
subinde citari solet, ut ipsius anima fiat denique, velut tabula  
rasa, in qua nihil omnino depingitur, et mirum in modum versa  
rerum vice contingit, ut qui prius omnes sapientiae numeros in  
argumentosa loquacitate posuerat, iam senex infantissimus omnibus  
risui foret, nisi stultitiae suae superciliosum silentium sapientiae  
loco praetexeret, immo potius hoc ipso ridiculus, quod qui fuerat  
Stentore modo clamosior, nunc vitio tam longe diverso, taciturnior  
pisce reddatur, et inter loquentes sedeat, veluti caput sine lingua,  
atque (ut aiunt) personae mutae 'truncoque simillimus Hermae.'  
Denique, ut quid ego de hac tota re sentio semel intellegas,  
neque Theologos omnes taxo, neque neotericorum quaestiones omnes  
condemno; verum eas quae nihil ad rem pertinent, quae sunt  
huiusmodi, ut neque quicquam eruditioni conferant, et multum  
impietati detrahant—eas, inquam, non improbandas modo, sed  
despuendas quoque censeo. Ceteras vero, quae tractant aut humana  
graviter, aut divina reverenter, tum utrumque adhibita modestia  
qua veritatem sese investigare magis quam altercari probent,  
modo ne quemquam sibi totum vendicent, ne quemquam nimis  
diu detineant, et suo se pede metiantur, neque se melioribus conferant,  
nedum anteferant—has, inquam, sic institutas, admodum  
libenter amplector, hactenus tamen, ut eas tales esse fatear, quibus  
non inutiliter exercentur ingenia; tales esse pernegem, in quas  
salus universae procumbat atque innitatur Ecclesiae. Iam Theologos  
nos eos vitupero, qui has degustarunt, immo laudo etiam, qui  
ad altiorem sacrarum Litterarum peritiam, ad meliorem priscorum,  
et sanctissimorum, et doctissimorum Patrum eruditionem, has  
quoque non abiciendas accessiones adiecerunt. Verum huiusmodi  
Theologos (ut ex animo dicam) non probo, qui quaestionibus  
cuiusque generis non insenescent modo sed immoriuntur quoque,  
qui seu ingenii sterilitate quadam impediti, seu puerili scholasticorum  
incitati plausu, neglectis antiquorum omnium litteris, posthabitis  
etiam ipsis, quorum se doctores profitentur Evangeliiis,  
nihil omnino praeter quaestiunculas didicerunt, partim per se inanes,  
partim inanes his, qui ceterarum rerum omnium inanes ipsi sunt,  
idque iam senes, atque ideo deplorati, qui neque Scripturas commode  
tractare incognitis Veterum scriptis queant, neque ad ea  
cognoscenda (qua nunc sunt Latinae linguae penuria), pares esse  
possint.

Redire vero ad Grammaticam, atque inter pueros, immo vero a  
pueris etiam discere, hoc non solum disputet, sed etiam serum est.  
Istos ego, mi Dorpi, tantum abest ut laudem, ut etiam, quomodo  
apud Rhomanos, mali magistratus publicis sese cogebantur abdicare  
muneribus, ita istos quoque non tam re quam vocabulo  
Theologos adigendos censeam ad hunc magistratum, quo tam immerito  
funguntur, eiurandum. Neque mirum est tamen, esse  
aliquos in tanto Theologorum numero tales. Nam quis ordo  
obsaepiri tam diligenter potest, ut non ambitione, pretio, gratia  
aut aliis malis artibus, aliquis indignus irrepat, qui quum sit in  
editum receptus, quam potest plurimos sui similes in eundem  
locum suo suffragio sublevat? Ita fit, ut nullus ordo sit, qui non

#15. To Martin Dorp

945

950

955

960

965

970

975

980

985

990

## #15. To Martin Dorp

indignis abundet. Nam ut in Senatu Romano fuerunt, quorum  
maiestatem nulli reges aequabant, ita rursus erant quidam adeo  
tenuis atque inglorii, ut misere inter spectacula vulgi compressu  
995 elisi perierint, Quamquam ut nec illorum fulgori istorum humilitas  
obfuit, nec istorum tenuitatem Senatorium nomen exemit contemptui,  
ita nec indignos Theologos nomen eripit contumeliis,  
nec eorum contemptus, aut erga singulos, qui vere sunt, honoris  
quicquam adimit, aut erga universos quicquam reverentiae ac  
1000 maiestatis imminuit, cuius ego certe tam conservandae atque  
ampliandae sum cupidus, quam quisquam vivit usquam cupidissimus.  
Nam de Erasmo stultum fuerit idem polliceri, quum nemo  
nesciat, in sacrum Theologorum ordinem nihil perperam, aut dici  
aut fingi posse, ut non proprie ac peculiariter ipsius agatur negotium.  
1005 Habes igitur hac in re animum, mi Dorpi, meum, nec dubito  
hercle quin etiam (si tu is es quem ego mecum fingo) tuum; quem  
si probas, etiam Erasmi puta; sin minus, tantum meum, immo nec  
meum diutius quam tu voles futurum. Neque enim quicquam  
1010 animo est umquam tam obstinate affirmatum meo, ut non paratus  
sim eo iubente mutare, quem sciam numquam quidquam sine  
ratione iussurum. Sed haec hactenus.

Ad reliquas epistolae tuae partes ero tanto brevior, quanto in hac  
fui vel aequo verbosior, utrumque etiam merito. Nam ut ea, de  
quibus ante disserui, Erasmus numquam vidit, ita de quibus deinceps  
1015 sum dicturus, et scripsit ipse, et se diligentius pollicetur scripturum,  
tum quaedam vero sunt huiusmodi, ut in his divus etiam  
Hieronymus non suo solum exemplo quasi praeiudicio Erasmi partem  
tueatur, sed totam litem quoque, tamquam edita in scriptis  
1020 sententia, secundum eum pronuntiaverit. Nec enim quicquam est  
quod tu, ne quicquam in Scriptura mutetur, e Graecorum fide  
codicum prohibes, quod non olim adversus beatum Hieronymum  
et obiectum sit, et ab eo validissime confutatum—nisi hoc videri  
novum vis, quod translationibus, ut ais, quae multae olim fuerant,  
1025 eiectionibus, 'ne varietate codicum fideles vacillarent.' Hanc  
unam a sanctis Patribus acceptam, ab Hieronymo castigatam, atque  
ad nos usque transmissam comprobavit Ecclesia, non uno aliquo  
Consilio, sed perpetua consuetudine ad eam recurrendi, quoties  
in ullo Consilio de fide nodus incidisset. Neque enim alioquin fieri  
1030 potuisse ut ceterae omnes interierint, atque haec ad nos sola  
pervenerit, nisi id non forte accidisset, sed adhibita a maioribus  
nostris industria fuisset curatum.

Primum, mi Dorpi, nemini dubium esse puto, quin haec ipsa  
editio ante Hieronymi tempora (neque enim alioquin ipse hanc  
potissimum castigasset) et recepta sit ab Ecclesia, et assiduo citandi  
1035 usu comprobata, quod ego vel solum in causa fuisse puto, quare ad  
nos usque sola duraverit. Cur ergo Hieronymus ausus est mutare  
quicquam, idque non aliis modo et optimis et sanctissimis viris  
approbantibus factum, sed ipso quoque Augustino adhortante ut  
1040 fieret? Mutavit vero Hieronymus, ut ipse fatetur, si quid in sensu  
fuit, quo Latinus codex discreparet a Graeco. Hoc ille putavit  
utilius, quam ea quae tu Erasmo suades ut faciat, videlicet, ut ea  
tantum annotet quae commodius ac significantius Interpres vertere

potuisset, sensum vero, si quando discrepet, manere patiat, nec  
mendae manifestae Latinos admoneat. Quod divus Hieronymus 1045 #15. To Martin Dorp  
non usque adeo curandum censuit, eius tu praecipuam curam habendam  
putas. Quod ille iudicavit potissimum, ab eo tu potissimum  
deterres. Sed hic occurris ac fateris, id ab Hieronymo recte factum,  
quod videlicet tunc opus erat, dum adhuc vulgata haec editio non  
satis esset emendata, at nunc repurgatis vitiis supervacaneum 1050  
iterum purgandi laborem fore. Nam si opus tam nunc esset, quam  
tunc erat, non est ratio cur minus bene mereretur, a quo nunc idem  
denuo fieret, quod tunc Hieronymus fecit. Primum, neminem esse  
omnium puto (dicam enim audacius) nec Hieronymum quidem 1055  
ipsum, qui profiteri ausus sit, esse se tam certum sui, ut in vertendo  
nihil eum possit omnino subterfugere. Usque adeo non deerit vel  
mediocribus interdum, post meliores etiam in quo versentur  
utiliter.

Ergo quis vertendi finis erit, inquis? facillimus, si evenerit, ut  
quisquam tam commode verterit, aut ab alio non optime versum, 1060  
alius ita correxerit, ut his manentibus integris, non inveniant posteri  
quod mutandum censeant. At periculum est interim, ne variae  
translationes dubios faciant animos fidelium, utram credere debeant  
veriore, quod ipsum in causa fuisse censes, ut reliquae  
omnes de industria reiectae sint, hac una servata, ne fideles vacillant; 1065  
qua in re usque adeo ego abs te dissentio, ut quod tu  
maiorum curae tribuis, ego temporum assignem incuriae, qua nimirum  
non illae tantum translationes, sed multa etiam alia periire.

Alioquin etiam si unam in Ecclesiis tenendam recepissent, reliquas  
tamen quid necesse fuit abicere, ex quibus non erat periculum ne 1070  
fideles vacillant? Sed quemadmodum nunc Evangelistarum  
varia narratione, series rerum in luculentiore pervenit notitiam,  
ita tum ex diversorum collatione interpretum studioso lectori  
daretur occasio, si quem auc verbum fefellisset equivocum, aut  
orationis amphibologia decepisset, aut sermonis proprietatem imposuisset, 1075  
ex reliquis coniciendi quid verum sit. Quod sane utilissimum  
esse, et Augustinus sentit, et Origenes experimento didicit,  
et Iacobus Faber Psalterii quintuplicis editione docuit. Atque haec  
ideo dixi, ut ostenderem etiam si divi Hieronymi labor adhuc  
maneret integer, non illum tamen reprehendum esse, quisquis, 1080  
si quid ab illo quoque praeteritum invenisset, hoc ipse velut relictas  
a messore spicas colligeret.

Nunc vero quis non putet codices Latinos nihilo minus atque  
olim e Graecis esse corrigendos, quum ita sint rursus infecti mendis,  
ut ne vestigia quidem Hieronymianae emendationis appareant? 1085  
Quod usque adeo in confesso est, ut ipse tu qui maxime negas,  
fatearis tamen. Nam quum ideo maxime contendas, corrigendi  
laborem frustra sumi, quod Hieronimi castigationes asseris magna  
patrum diligentia servatas esse integras, tum in proximo  
fere versu subdidisti, 'Responde iam, Erasme, utram probet editionem 1090  
Ecclesia, Graecamne, qua non utitur, an Latinam, quam  
solam citat, quoties ex sacra Scriptura aliquid definiendum est,  
vel praeterito Hieronymo, si quando aliter legat: quod quidem  
non raro contingit.' Immo tu nunc responde, Dorpi, si (ut ipse dicis,

et vere dicis) non raro legat aliter Hieronymus, quam vulgaris  
 habet editio, quomodo potest esse verum quod ante dixisti, eandem  
 editionem ita manere correctam, ut ille correxerat? Neque  
 enim quemquam arbitror esse crediturum, illum quicquam contra  
 suam ipsius correctionem proposuisse legendum. Tam ergo nunc  
 opus correctione est, quam olim fuit. An vero tantundem liceat,  
 hoc restat inquirendum. Quamquam nec inquirendum hoc, nec  
 dubitandum videtur, quin emendati codices tam nunc sint Ecclesiae  
 utiles, quam olim fuerunt.

Sed Ecclesia nunc, inquis, istam editionem comprobavit. Atque  
 eadem Ecclesia eodem etiam modo eandem editionem ante Hieronymi  
 correctiones approbaverat, id quod iam ante respondi. Quamquam  
 non pigebit eandem orationem tuam, quam tu tam invictam  
 censes, denuo excutere, ne me praeterveli quicquam dissimulanter  
 putes. Videris ergo mihi sic colligere: Augustinus nec Evangelio,  
 duxit esse credendum, nisi Ecclesiae compelleret auctoritas. At  
 Ecclesia comprobavit in hac translatione verum esse Evangelium.  
 Consequitur ergo, si quid sit in Graecis codicibus diversum, ut  
 verum in illis Evangelium esse non possit. Haec est (quantum perspicio)  
 argumentatiois tuae summa, quae mihi videtur eiusmodi,  
 quam non sit difficile solvere. Nam primum Ecclesia sic in Latinis  
 codicibus contineri credit Evangelium, ut fateatur tamen e Graeco  
 translatum. Credit ergo translationi, sed magis tamen archetypo.  
 Credit Evangelium in Graecis esse verum, in Latinis verum esse  
 credit eatenus, quatenus fidit interpreti, in quo (ut opinor) numquam  
 tantam habet fiduciam, quin eum labi cognoscat humana  
 fragilitate potuisse. At in Conciliis citatur ex Latino codice, non  
 ex Graeco. Mirum vero si Latini ex Latino citent codice! quasi ideo  
 fecerint, ut de industria fidem Graecis archetypis abrogent. Apostoli  
 nonne citabant ex Prophetis secundum translationem Septuaginta  
 interpretum, omissa interim Hebraei textus veritate, dum  
 Graecis scriberent? Nec ideo tamen Hieronymus factum putavi  
 esse praeiudicium, quasi Graeca translatio quam Hebraica littera  
 Apostolorum censeretur auctoritate sincerior. Ego certe hac persuadeo  
 mihi, idque (ut opinor) vere, quicquid ab Apostolis nobis  
 traditum est, non esse iam a quovis melius versum, quam ab ipsis  
 Apostolis praescriptum. Ideoque fit, ut quotiens in Latinis codicibus  
 occurrat quicquam, quod aut contra fidem aut mores facere videatur,  
 Scripturarum interpretes aut ex aliis alibi verbis, quid illud  
 sibi velit dubium expiscentur, aut ad unius Evangelium fidei, quod  
 per universam Ecclesiam in corda fidelium infusum est, quod  
 etiam, priusquam scriberetur a quoquam, Apostolis a Christo, ab  
 Apostolis universo mundo praedicatum est, dubios huiusmodi sermones  
 applicent, atque ad inflexibilem veritatis regulam examinent;  
 ad quam si non satis adaptare queunt, aut sese non intellegere,  
 aut mendosum esse codicem non dubitant, cuius morbi  
 medelam censeat, aut a diversis interpretationibus, tamquam  
 medicis, implorandam, (quod tibi tam periculosum videbatur), aut  
 velut a fonte quodam, ab ea lingua repetendam, unde ea Scriptura  
 in Latinum perfluxit eloquium.

Verum tu, mi Dorpi, concedis, olim recte fecisse eos, qui Latinos,

1095

#15. To Martin Dorp

1100

1105

1110

1115

1120

1125

1130

1135

1140

1145

quamquam ab Ecclesia receptos, atque approbatos codices e Graecis emendaverint, sed idem tamen negas nunc recte fieri, propterea quod verisimile sit, ipsorum libros Graecorum, aut de industria fuisse depravatos ab ipsis, iam olim ab Ecclesia Rhomana desciscentibus, aut postea saltem per incuriam vitiatos, neque enim esse 1150  
credibile, si Latinorum, quibus perpetua fidei cura fuit, codices paulatim tamen labefactati sunt, incorruptos adhuc restare Graecorum, apud quos ipsa iam olim fides corrupta sit. Haec ratio, Dorpi, non flexit Hieronymum, quo minus Instrumentum Vetus ex Hebraeo sermone transferret, quamquam si quid hic valere debet, 1155  
ibi multo magis debuisset, quum nemo nesciat, Iudeos ex professo infestiores fuisse hostes Christianis omnibus, ut quibus in universo, repugnabant, quam Graecos Latinis, quibus cum communi Christianorum nomine convenerunt, licet in quibusdam dissenserint. Et profecto (ut vere dicam) videtur mihi neququam credibile, 1160  
ullam gentem in depravandos libros umquam conspirare voluisse (ut ne dicam) nec potuisse quidem. Quae enim spes esse potuisset, neminem ab ea re alieno animo fore? aut clam id fore consilium, quod si rescisceretur (ut erat necesse, quum a Iudeis ad Christum, a Graecis ad Latinos aliqui nullo non die profugerent) nonne praevidebant 1165  
fore quum nihil assequerentur, suae praeterea parti sese praeiudicium allaturos? si se faterentur eam fovere causam, quam sibi conscii essent non aliter posse se, quam codicum depravatione defendere? Sed de Iudeis Hieronymus viderit. Graecos certe ab hac falsitatis suspitione liberat vel istud, quod in his, de quibus eis 1170  
nobiscum fuit controversia, eorum libri cum nostris consentiunt, nec de littera umquam, sed de intellectu litterae quaestio fuit. Quamquam nemini potest esse dubium, eos si mutare voluissent quicquam, non ea primum modo, sed sola quoque fuisse mutaturos, 1175  
quae pro nobis, contra eos tamen faciunt, quae si falsassent, non fuisset causa cur in aliis idem facturi putarentur. Nunc vero quid comminisci quisquam possit, cur alia falsare voluissent, quum haec ipsa reliquerint integra, quae vel sola falsare voluissent? Sed incuria saltem vitiatos esse credi potest, praesertim si hoc nostris contigit, quibus verisimile est libros fidei, sicut fidem ipsam, maiori semper 1180  
curae fuisse. Possem hic opponere non Hieronymum modo, sed Augustinum quoque, quorum uterque censet emendatiores esse Graecos codices, quam Latinos. Sed ego ratione malo, quam auctoritate contendere. Hoc certe assero, neminem esse tam cuiusquam libri incuriosum, 1185  
ut ita transcribendum locet, tamquam pensi non sit habiturus, nihil vitiosumne an emendatum referat, quum alioqui possit operae et impensis parcere, si omnino ne scribatur curet. Persuadeo ergo mihi, Graecos etiam curasse ut diligentia in transcribendis ipsorum libris adhiberetur, quod nemo dubitaverit qui libros eorum diligenter 1190  
inspexerit. Hoc praeterea rursus affirmo, apiculos, distinctiones, et accentuum notas in causa esse, quo minus facile apud eos in scribendo erretur, nec ab hoc affirmando deterreor, quod tu hoc argumentum in adversam partem retorsisti, propterea quod (ut ais) facilius erratur, ubi multa sunt observanda. Verum ego contra 1195  
censeo, ibi minus facile errari, ubi facile erratur, ut ego quoque

## #15. To Martin Dorp

Dialecticorum more aenigma proponam. Verum sic opinor tamen,  
 immo sic experior, quemadmodum in planitie dum festinamus intrepide,  
 ubi nemo casum exspectat, saepe labimur, cum a praecipitio  
 salvi sensim, nec nisi certo atque explorato gressu descendamus, 1200  
 haud aliter evenire scribendo, ut ad exemplar perplexum, scriptor  
 eo transcribat verius, quo videlicet attentius, quum ex pulchro  
 codice ipsa securitate labatur. Quamquam et nostros vitiatos esse,  
 et eos remansisse sinceros, vel hinc elucescit, quod in nostris eadem  
 nunc vitia deprehendimus, quae Hieronymus olim censuit emendanda. 1205  
 In illis eadem adhuc videbis verba, ex quibus ea Hieronymum  
 constat emendasse. Ergo quas ille mendas olim eiecit, nunc  
 non licebit ex isdem codicibus rursus expungere? Et quum religiones  
 (quas vocant) omnes, fas sit saepius renascentibus vitiis  
 reformare, libros semel purgatos repullulantibus mendis nefas  
 repurgare ducemus? 1210  
 Iam quod quaeris, quid sit quod Latinos codices non sinat incorruptos,  
 deinde tibi ipse respondes, 'Quid nisi calcographorum  
 incuria pariter, et imperitia?' et ilico subiungis, 'Vide iam utros  
 invenies rariores, qui Graecis imprimendis sint idonei, an qui 1215  
 Latinis; et scies utros codices censere debeas castigatiores.' Quid  
 tu his verbis, Dorpi, velis non intellego. Neque enim te vereri puto,  
 ne in Annotationibus in Scripturas Erasmus impressis utatur libris,  
 cum neque scriptorum codicum desit copia, neque in eam rem  
 impressis uti, etiam si velit, possit, quum Novum Testamentum, 1220  
 in quod eius desudat labor, numquam hactenus quod sciam,  
 Graece calcographorum typis excusum sit. Quod si hoc voluisti  
 dicere, quum calcographi Graecas imprimant litteras quam Latinas  
 depravatus, idem in veteribus etiam utriusque linguae scriptoribus  
 accidere, semoveamus istos, Dorpi, qui litteras sic Latinas imprimunt, 1225  
 ut Graecae magis quam Latinae, sic vicissim Graecas, ut  
 Arabicae magis quam Graecae videantur. Comparemus in utroque  
 genere, qui utrumque possunt, cuiusmodi Aldus Manutius Rhomanus  
 erat imprimis, et nunc quoque Ioannes Frobenius Basiliensis.  
 Hos atque eiusmodi calcographos audeo affirmare, quod ipse quoque 1230  
 experimentis comperio, verius ac sincerius Graeca quam ipsa  
 Latina referre. Quod ipsum multaue itidem alia ad hanc rem  
 facientia, multo certius ipse legendo quam audiendo intelleges,  
 si te quoque aliquando ad Graecam linguam pernoscendam converteris;  
 id quod valde opto, nam suasurus frustra sim, quod nec 1235  
 Erasmus persuasit, adversus quem, immo temet adversus ipsum,  
 sedulo te defendis, ne cogare videlicet ex Graecarum litterarum  
 cognitione proficere.  
 Quamobrem ut ad eas te litteras pro animo istoc tuo tam adversus  
 eas offirmato, hortari supersedeo, ita pro meo in te amore 1240  
 optare tibi non desino, nec spem tamen umquam depono, fore  
 aliquando, nec id quidem haud multo post, ut cessantibus hac  
 de re disputationibus, in quibus assidua tua illa in scholis victoria,  
 non patitur te libenter cedere, quod (ut video) iam nemo potest  
 alius, ipse nimirum persuadeas tibi, quum istos imperatores tuos 1245  
 quibus nunc militas, quorumcumque interim gratiam tam magnae  
 eruditionis parti praefers, aut maturiore iudicio neglexeris, aut



## #15. To Martin Dorp

certe etiam illis ipsis utile et tibi, et eorum consiliis fore persuaseris,  
 quo videlicet Graecistas istos suis ipsorum gladiis confodias,  
 maioreque adversus eos auctoritate disseras quam nunc, quum de 1250  
 re tibi tam in totum ignorata disputes. Qua de re tamen quum  
 perinde scribas, ac si supervacaneam putes operam quae in Graecas  
 litteras impenditur, mihi profecto non persuades, ea te sentire,  
 quae scribis. Neque enim simile veri fit, te vel ea prudentia, commoditates  
 eius linguae non videre, vel eo in bonas artes omnes 1255  
 studio non concupiscere, praesertim quum abs te quoque, dum  
 neglegendam disputas, propemodum afferantur causae, quibus incitari  
 maxime ad eam consequendam possis. Nam si (ut tute verissime  
 certe ac sapientissime dixisti) unaquaeque lingua ea praecipue  
 dote praestat atque excellit alias, si contingat ei ut maiorem bonarum 1260  
 disciplinarum thesaurum in suis litteris velut arculis contineat.  
 Quis hac una ratione tua nesciat, Graecam esse eam quae summopere  
 sit quum ab universis mortalibus, tum vero seorsum a Christianis  
 amplectenda, utpote a qua et omnes disciplinae reliquae, et  
 Novum Testamentum fere totum nobis felicissime successit—nisi 1265  
 tu illam hoc translationum cotidiano proventu velut assiduo partu,  
 effeta nunc tandem, atque exhaustam putas.  
 At primum ex his ipsis Commentatoribus Aristotelis, quos tu  
 in illa oratione commemoras, quam sive ut Laurentium vituperes,  
 sive ut laudes Aristotelem (nam utrumque acriter ex aequo facis) 1270  
 elegantissime certe scripsisti, Alexandro inquam, Themistio, Aminonio,  
 Simplicio, Philopono, Olympiodoro, quotus quisque ex  
 his, inquam, est, excepto uno Themistio, qui non adhuc sua tantum  
 lingua legatur—nisi quod Alexandri problemata in Latinum 1275  
 venere sermonem! Ex reliquis si quid Latin[a]e legitur (neque  
 enim ignoro, haberi et Alexandri, et Simplicii fragmenta) id totum  
 eius generis est, ac tam parum Latinum, ut a Latinis propemodum  
 minus quam ipsa Graeca intellegatur. Neque iam aut de Poetis  
 aut Oratoribus dico quicquam, sed neque de aliis Philosophis, 1280  
 aut aliis etiam eiusdem Aristotelis Commentatoribus verbum  
 facio ullum, quamquam vel unus Ioannes Grammaticus tantum  
 habet acuminis, tantum eruditionis. praesertim Aristotelicae. ut  
 si cum eo posses ipsius lingua loqui, reduceret te (satis scio)  
 unus ille Grammaticus, cum Grammaticis omnibus, quibus nunc  
 parum propitius videris, in gratiam. At ex antiquis Christianae 1285  
 doctrinae scriptoribus, quum multo maximam partem Graece  
 constet scripsisse, perpauca pro tanto numero versi sunt, quidam  
 vero ita versi, ut potius videantur subversi. Ad Aristotelem  
 ipsum venio, quem it ego ut supra multos, ita cum multis amo,  
 quem tu in memorata oratione tua videris non supra multos 1290  
 modo, sed pro multis quoque, atque adeo pro omnibus amplecti.  
 Hic ergo ipse non poterit totus tibi sine Graecarum peritia litterarum  
 innotescere.  
 Nam ut omittam illud, quod nihil eius tam commode versum  
 est, ut non idem ipsum suis ipsius verbis acceptum in pectus 1295  
 influat potentius. Et illud item, quod quaedam opera eius adhuc  
 Graeca feruntur, quorum titulos nescio an Latini habeant. Certe  
 ex his ipsis operibus, quae nunc habent, sic habent quaedam, ut

etiam non habeant: aequa sorte ipsum etiam Metheorologicorum opus tam constat esse, quam dolendum est, quum nescio an ullus ex tam multis eius viri laboribus dignior scitu sit, aut ipsa rerum natura ab ulla sui parte mirabilior, quam ab ea, quae ut nobis proxima circumfusaque undique, ita magis ignorata atque incerta est, quam astrorum positio, motusque siderum, quae tam porro semota sunt. Sed hoc opus tamen spero propediem fore, ut a Thoma Linacro nostrate, illustrissimi Regis nostri medico, Latinis donetur auribus, utpote cuius iam nunc duos libros absolvit, perfecissetque nimirum opus, atque edidisset universum, nisi Galenus eum exorasset, ut quum ipse dux atque imperator Medicae rei sit, vel seposito interim Aristotele, Latinus eius opera, prior ipse redderetur. Prodibit ergo Aristoteles aliquanto serius, sed prodibit tamen nihil incultior praeterea incomitatus. Nam Alexandri Aphrodisei commentarios, in idem opus una vertit, initurus apud Latinos omnes immortalem gratiam, in quorum non vulgarem utilitatem, Philosophi praestantissimi operi tam egregio, praestantissimum interpretem sic adiunxerit, ut eius labore demum ab Latinis possit intellegi, quod hactenus a nemine (ut ego certe suspicor) qui Graece nescierit, intellectum est. Nam quum ipse iam olim idem Aristotelis opus audirem Graece, eodem mihi praelegente atque interpretante Linacro, libuit interdum experiendi gratia vulgatam etiam translationem inspicere, e cuius lectione mentem ilico subiit eiusdem Philosophi de Physicis suis dictum. Nam ut illa sic ait edita, ut tamen edita non sint, ita haec quoque sic versa videbantur, ut nullo pacto versa viderentur, usque adeo, ut quae Graece callebam probe, eadem ipsa versa non intellegerem. Neque est quod a Latinis interpretibus sperari possit auxilium, quum Albertus quoque, quem ad aemulationem Alexandri Magni, Magnum vocant, quique se Periphrasten Aristotelis profitetur, Paraphrastes verius in eo opere iudicari debeat; ita, quum eius officium sit Aristotelis sensum aliis verbis referre, affert prorsus (ut aiunt) ex diametro diversa. At Gaitanus (nam is quoque facit commentarios) describit nobis, unus terrae pugillus, in quot pugillos aquae liquescit, et aquae item pugillus unus in quot pugillos aeris dissolvitur, et quo non ulterius ad eundem modum progreditur? Sed tamen dum has tam immensurabiles mensuras metitur, ad Aristotelis interim sensum ne gry quidem. Infinitum, mi Dorpi, fuerit explicare, quam multa desunt ei cui Graeca desunt. Neque tamen ignoro, et alios multos, et te imprimis ipsum, sine Graecis litteris, ipsam doctrinae arcem versus eisque provectum, quo multi non possint etiam Graece docti sudantes atque anhelantes ascendere. Sed hoc unum tamen ausim affirmare, si ceteris disciplinis tuis tu litteras praeterea Graecas adieceris, quantum nunc alios et Graece peritos exsuperas, tantum tunc te etiam ipsum superabis. Sed de litteris hactenus.	1300	#15. To Martin Dorp
	1305	
	1310	
	1315	
	1320	
	1325	
	1330	
	1335	
	1340	
	1345	
De Moria, quoniam Erasmus, qui eam olim meo patrocinio commendavit, eandem rursus tuendam suscepit, tibi non est necesse multa disserere, quum res alioqui per se facilis reddita		

<p>sit, partito labore facilior. Itaque ut non dubito quin ille sit          ea dicturus, immo in illa brevi epistola iam nunc dixit, quae          sufficere apud omnes debent, ita ego quae dicam, quantumcumque          apud alios valitura sint, apud te (ut opinor) invalida esse          non possunt. Et primum miror, quid haec sibi tua verba velint,          'Ecce repente infausta Moria tamquam Davus interturbat omnia.'</p>	1350	#15. To Martin Dorp
<p>At quomodo nunc repente? quasi nunc primum Moria repente          prodierit, quae iam plus annis septem septies interim novis excusa          formis in clarissima luce versata, in omnium sinus recepta sit.          Aut quamobrem, quaeso, infausta? quae quam felicibus auspiciis          processerit, nonne vel hoc abunde demonstrat, quod non debuisset          totiens in tot exemplaria diffundi, nisi tam multos invenisset quibus          impense placuisset? nec hos ex faece vulgi, (neque enim eas          merces facile distractas esse mirarer, quae placerent indoctis,          quorum ubique turba scaturit) sed ex doctissimis. Nam eam non          nisi doctis placere, vel hoc indicio est, quod non nisi docti intellegunt;</p>	1355	
<p>quod ipsum fortasse fuit in causa, ut hi duo aut tres Theologi,          quos Moria commovit, irascerentur, quod ab aliis persuasi          credunt, plus ab ea dictum, quam dictum sit, alioqui fors non          succensuri, si ea ipsa, quae dicuntur, ipsi intellegerent.          Sed tu, mi Dorpi, putas nullos rideri debuisse Theologos, quamquam          tales eos esse, quales Moria ioco describit, ipse propemodum          serio fateris, quum ais, 'Asperae facetiae, quibus multum veri admixtum          est, acrem sui memoriam relinquunt.' Verum est hercle          quod dicis. Non tam acriter has tulissent facetias isti Theologistae,          nisi quam erant asperae, tam etiam verae fuissent. Ergo quum tales</p>	1360	
<p>sint, quales ipse fatearis esse, probas? Non opinor, Vituperas ergo?          apud te certe (scio) facis, faceresque palam, nisi in animum induxisses          tuum, nemini esse adversus, et ita te comparare statuisses,          ut te omnes prorsus cuiuscumque modi sint, docti indocti, boni          malique, laudent, cui (ut ais) volup sit, si vel catelli cauda velut          amicitiae symbolo blandiantur. Facis tu profecto, mi Dorpi, cautius,          sed nec ille tamen deterius, qui in malos aperte ac simpliciter          (quod Gerardus facit Noviomagus) invehitur, quanto minus qui          (quod Erasmus facit) sumpta Moriae persona, et prudenter magis,          et minus licenter iocatur, cuius quum iocos salesque non feras, et</p>	1365	
<p><i>παλιωδεῖν</i> eum velis; in Satyris Noviomagi tamen (ut scribis)          nihil invenisti quod mutari velles, quum tamen illae Satyrae sint          mordaciores, ubi sunt lenissimae, quam Moria, ubi mordet maxime,          meritoque. Nam id Poeseos natura poscit, quae nisi sit acerba, non          est Satyra. Itaque operae pretium est audire, quam satirice in          Monachos ubique ac Fratres invehitur, ut illorum superbiam,          luxum, inscitiam, computationes, ingluviem, libidines, hypocrisimque          describit, non minus eleganter quam acerbe, nec minus etiam          merito. Quum licet multi illis sint opprobriis indigni, non desint          tamen aliqui, in quos singula quadrant, quidam etiam in quos          universa competant. Quamobrem non miror, nihil in eis reperisse          te quod mutari velles, sicuti nec ego certe. Sed hoc miror, cur          abs te non possit impetrare Moria ut impune iocaretur in Theologos,          quum illae abs te obtineant Satyrae ut tam acriter obiurgent          religiosos, atque in his Theologos etiam. Sed omitto Gerardi</p>	1370	
	1375	
	1380	
	1385	
	1390	
	1395	
	1400	

Satyras.

#15. To Martin Dorp

Si quis tuas, mi Dorpi, excutiat epistolas, nihilne reperire possit  
 quo tu ullum hominum genus aliquo mordaci dicto perstrinxeris?  
 An illud edentulum prorsus esse putas, quo in memorata epistola  
 ad D. Menardum Abbatem, respergis Antistites, qui dum illum 1405  
 laudas, alios hoc pacto deploras, 'Heu me, heu miseros eos, qui non  
 religiosos agunt, sed caballis stipati, Caesaris triumphos nobis  
 referunt, quos satius foret humi repere, quam ad inferos equites  
 properare, ni pedites timeant serius illuc pervenire.' Haec, mi Dorpi,  
 tam mordax facetia usque adeo tibi blandita videtur, ut ideo de 1410  
 equis potissimum locutus videare, ne tam bonum dictum perderes;  
 alioquin, opinor, vides, non usque adeo magnum facinus  
 esse, si abbates equitent, et bestiis in quos creati sunt usus utantur.  
 Audiui etiam, nec alios Antistites equitare semper, et illum tuum 1415  
 interdum, ut in illum etiam ipsum paene iocus tuus recidat, a quo  
 eum cupis in alios avertere. Sed ita sua cuique blanditur ratio, tam  
 bene suus cuique crepitus olet, ut quum ad aliorum iocos frontem  
 contrahimus, ut velut asperos non patimur, nostros neque magis  
 festivos, et magis mordaces amplectamur. Sed haec in religiosos  
 Antistites iocatum te negabis, verum deploras potius, praesertim 1420  
 quum ab illa inauspicata interiectione auspicaris, 'Heu.' Ego certe,  
 quacumque figura proferatur iocum, puto quod ita dicitur, ut  
 nemo sine risu audiat. Quamquam quid refert ioco an serio mordeas?  
 immo refert adeo, quum nemo fere sit qui iocoso in se dicto  
 non arrideat, serium nemo sit qui ferat. Alioqui si deplorare licitum, 1425  
 iocari vetitum putas, facile Moriae fuerit toti orationi iocose,  
 interiectionem dolendi praeponere, et mutata figura Theologos  
 eosdem, quos ante derisit, isdem verbis denuo deplorare. Neque  
 enim facile discernas, utrum deplorandi magis, an ridendi sint.  
 Sed in Antistites fortasse quidvis licere debet, etiam mediocres, 1430  
 at in Theologos, ut ut sint, licere debet nihil.  
 Nam eo fere tendunt, quae in hac novissima ad Erasmus scribis  
 epistola, ais enim, 'Mirans tantos concivisse motus tuam Moriam  
 quae pluribus placet, non Theologis modo, sed Episcopis etiam.  
 Atqui ego te demiror, Erasme, qui pluris facias Episcoporum in 1435  
 hac re iudicium, quam Theologorum; siquidem Episcoporum  
 nostri saeculi vitam, mores, eruditionem dicam, an inscitiam,  
 noveris, quorum ut sunt certe nonnulli tanto digni fastigio, ita  
 mira est paucitas.' Hic tu, Dorpi, quum Theologos aegre levissimo  
 ioco patiaris aspergi, Episcopos apertis opprobriis magna cum 1440  
 auctoritate perfundis, ut in quibus non tantum eruditionem requiris,  
 et carpis inscitiam, sed vitam quoque ac mores contumeliose  
 condemnas. Sed Theologos plurimum refert (ut ais) integrae  
 apud populum auctoritatis esse, quasi nihil referat, apud populum  
 quales aestimentur Episcopi, qui quem locum teneant in Ecclesia 1445  
 Christi, quam longe supra Theologos tuos, non est ignotum tibi,  
 qui Pontifices liquidissime novisti in Apostolorum successisse  
 locum. Neque cautius prospexisse putes tibi, quod nonnullos feceris  
 Episcopos tanto dignos esse fastigio; quum nec ipse Moriam  
 credas indignorum vitia dignis imputare Theologis, quae tamen vel 1450  
 hoc te vincit, quod nihil impedit per eam multos dignos esse

Theologos. At Episcoporum per te bonorum non modo paucitas  
est, sed etiam 'mira paucitas.' Sed donemus hoc tibi, nihil esse  
mali, Pontifices vel ridere dicteris, vel maledictis incessere, modo  
ne sacrosanctos Theologorum magistratus attingas. Quid ad hoc  
dicis? quod illos ipsos Theologos non nomine quidem, sed descriptione  
tam evidente, ut non ullo nomine designari potuissent expressius,  
ita mordes, ut paene laceres, in proemio quod in Pyrgopolinice  
Plauti fabulam lepidissime conscripsisti. Verum interim  
Plauti me nomen admonuit eorum quae tu sparsim per epistolam  
tuam quum in ceteros Poetas, tum in Terentium nominatim ex  
Beati Augustini verbis congeris, quae res longiorem disquisitionem  
flagitat, quam ut a me in hac disputetur epistola. Sed hoc tamen  
abs te quaero, utrum ibi illis verbis hoc voluisse videtur Augustinus,  
Christianis videlicet non esse legendum Therentium? Quod si ab  
eo perdiscendo non deterreat, nihil adversus Poetarum lectiones  
facit ille locus. Sin Augustinum id egisse putas, ut a Poeseos studio  
Christianos averteret, rursus abs te percontor, ipsene Therentium  
adhuc docendum censeas? Quod si censes, quid attinet id tam  
citare diligenter, cui non putas esse parendum? Sin docendum  
neges, ab Augustino videlicet persuasus, miror profecto quo pacto  
acciderit, ut tandem nunc primum tam sero persuaserit ille, quem  
te non dubito tam diu ante legisse, nec interea tamen abstinuisse a  
Plauto legendo, nec a legendo tantum, sed nec a docendo, exhibendo,  
agendoque publice, Poeta nihil quam Therentius est castiore,  
immo nec tam casto quidem. Quid quod eiusdem Militem Gloriosum  
facetissimo prologo locupletasti? Aululariae, non proemium  
modo, sed qui comediae defuerat, finem adiecisti, qui mihi, seu sermonis  
elegantia spectetur, seu sales, isti vere Plautini, nulla parte  
totius comediae videtur inferior. Cuius rei vel hi ipsi versus erunt  
indicio, quibus (ut dixi) Theologos istos amusus, quos nunc tueris,  
ita belle describis, ut nemo derideat salsius, nemo insectetur vehementius.  
Nam quid his carminibus (referam enim) vel magis  
facetum possit esse, vel magis elegans?  
'Primum omnium qui sunt amusi, et litteris  
Non proletariis male inaugurati, eos  
Ablegat hinc in maximam malam crucem.  
Siquidem stomachabundi oblatratores facere  
Pergant etiamdum, quod numquam non factitant,  
Clamoribus ampullosis infremere, et  
Venena livoris effunditare sui,  
Et obloqui, et obgannire, et dentibus omnia  
Arrodere carnivoracibus, et sicut canes  
Solent, quibuslibet allatrare sibi obviis.  
Eos homines (siquidem sint et ipsi homines)  
Quum illitterati sint, quum sint agrarii,  
Mihi sedulo iussit Plautus hinc abigere.  
Sin forte sint praesto, nisi comprimant sibi os,  
Nihilque graxint, minatus est fore ulmeos,  
Ubi hospitio excipientur Acherontico.'

#15. To Martin Dorp

1455

1460

1465

1470

1475

1480

1485

1490

1495

1500

Quod si te neges tunc fuisse Theologum (siquidem scripta sunt  
 abhinc septennium) certe vix sesquiannus elapsus est, quod eadem  
 recollecta edidisti, iam certe Theologus, quadriennio post habitam  
 1505  
 luculentissimam orationem tuam de Assumptione Deipare Virginis.  
 Quid ergo refert an Theologus effeceris, an prius facta,  
 Theologus edendo comprobaveris? immo refert adeo. Nam ad  
 scribendum impetu plerumque trahimur; intermissa quum retractamus,  
 1510  
 certum adhibetur iudicium. Ergo, mi Dorpi, dum e dentatis  
 Gerardi Satyris, quibus monachorum spurcissima describit  
 vitia, nihil mutandum censes; dum ipse religiosorum Antistitum  
 sic misereris ut rideas, sic rides, ut mordeas, ceterorum Episcoporum,  
 praeterquam mire paucorum, inscitiam, vitam, ac mores  
 1515  
 acerbe vituperas; dum Theologos istos ipsos, in quorum moriam,  
 Moriam iocari nefas ducis, ipse amusus vocas, oblatratores,  
 stomachabundos, litteris non proletariis male inauguratos, ampullosis  
 infrementes clamoribus, venena livida effundentes, obloquentes,  
 obgannientes, dentibus omnia carnivoracibus arrodentes,  
 1520  
 in obvios quosque, sicut canes solent, allatrantes, illitteratos, agrarios,  
 postremo vix homines, in maximam malam crucem censes  
 ablegandos. Dum haec, mi Dorpi, facis, quomodo tibi non venerunt  
 in mentem tua illa tam bene consulta consilia, quibus Erasmus  
 nunc tam amice ac tam prudenter admones? Ubi tunc illud  
 1525  
 Sallustii, 'Extremae esse dementiae nihil aliud quam odium se  
 fatigando quaerere'? Ubi tunc illud Cornelii Taciti, 'Asperae  
 facetiae, quibus multum veri admixtum est, acrem sui memoriam  
 relinquunt'? Quo tunc fugeret illud Epicteti, 'Ne putes omnibus  
 iucunda auditu, quae tibi sunt iucunda dictu'? Profecto, mi Dorpi  
 1530  
 carissime, sic est a natura comparatum, ut modum semper ab  
 aliis exigamus, libertatem omnes indulgeamus nobis. Novi ego qui  
 Reuclinum—Deus bone, quem virum! —non satis aequo animo ferrent,  
 quod in aemulos suos, videlicet imperitissimos doctissimus, in  
 stupidissimos vir prudentissimus, in vanissimos nebulones homo  
 1535  
 integerrimus, ab isdem tam immani lacessitus iniuria, ut si manu  
 se vindicasset, ignoscendum ei videretur. —Novi, inquam, qui non  
 ferrent, quamquam eius etiam studiosi, quad stilo contra illos  
 libere, nec magis libere tamen quam vere, affectus suos effunderet.  
 Novi itidem eos ipsos, qui haec non ferebant, paulo post tamen in  
 1540  
 rebus et minoris momenti, neque ad se tam proprie pertinentibus,  
 multo etiam atrocius excandescere. Tanto nimirum proclivius est  
 alienis affectibus quemque temperare, quam suis, Ergo non licuit,  
 inquis, mihi vel Satyras Gerardi probare, vel in Theologos amusus,  
 (adde, Antistites atque Episcopos quoque) vel ioco vel serio dicere,  
 1545  
 modo vera, neque nominato quoquam? Immo vero, mi Dorpi, usque  
 adeo licuisse tibi censeo quod fecisti facere, ut mihi nihil umquam  
 in vita melius fecisse videaris, modo ea ne desit aequitas, qua tibi  
 quad laudi ducis, idem in alio non vitio verteris.  
 Istud ergo totum de Moria, mea, mi Dorpi, sententia, et sine  
 1550  
 causa mones, quum nihil sit quod moneri debeat, et si quid esset,  
 post tot annos etiam sero mones. Nam quod in calce prioris epistolae  
 tuae posuisti, reconciliatum iri Theologis istis Erasmum, quos  
 Moria commovit, si Moriae laudibus Sapientiae laudem opponeret,

#15. To Martin Dorp

mediocrem mihi risum medius fidius excitavit. Sapiunt scilicet, si  
hoc Moriae Encomio Moriam sic putant esse laudatam, ut laudari  
cupiant eadem figura Sapientiam. Quod si censent, quid irascuntur?  
quum sint ipsi quoque a tam laudata Moria tam abunde  
laudati. Praeterea, non video quo pacto veris Sapientiae laudibus  
istorum in se invidiam Erasmus lenire possit, quin potius velit  
nolit multo acerbiores redderet, quippe quum eos tam ex Sapientiae  
contubernio cogere eicere, quam nunc coactus est inter  
peritissimos Moriae mystas asciscere.  
Haec scribenti mihi supervenerunt litterae, quibus ad se meus  
me Princeps revocat. Hae me adhuc scripturientem coegerunt, ut  
sisterem aliquando, atque istam finem vel invitum epistolam,  
quae quum tam longa sit, ut brevior fortasse fuerit, 'Scriptus et in  
tergo necdum finitus Orestes.' Nescio tamen quo tecum colloquendi  
studio adhuc cupiebat increscere.  
Quamquam iam nunc nihil intactum reliquimus, certe, quod  
sciam, nihil per dissimulationem praetermisimus. Neque enim  
istud reor exspectaturum quemquam, ut Moriam a *βλασφημι*arum  
atque impietatis etiam suspitione defenderem, tamquam ea  
Christi religio male audierit. Nam hos et in prioribus litteris tuis  
ita posuisti, ut plane te ostenderes contra animi tui sensum alienam  
referre sententiam, et in hac epistola posteriore, quum cetera  
omnia, quamquam illa quoque magna ex parte non tua, tum in  
quibus haerere aliquis potuit color pro hoc ingenio atque hac doctrina  
tua, magnifice atque ampliter excolueris, hanc tamen de impietate  
calumniam consulto, velut impiam ipsam sacrilegamque,  
ac non manifestariam modo, verum futilem quoque atque ineptam  
prorsus omisisti. Ea ergo de re nihil erat mihi dicendum, de ceteris  
dixisse me puto. Nihil ergo restabat aliud de quo tractare volueram.  
Sed nisi Principis me interpellassent litterae, scripturus fortasse  
fui iisdem de rebus plenius.  
Verum ut non ingrata est haec epistolae complicandae necessitas,  
quod vereor ne (qua nunc est longitudine) tibi possit esse molestiae,  
ita non laetor ademptam mihi facultatem, qua haec eadem  
liceat sub incudem revocare, atque hunc rudem et informem fetum  
meum saepius lambendo refingere. Quod facere profecto  
decreveram, ut ad te, doctissime Dorpi, cultior aliquanto veniret,  
cui me meaque omnia probata esse cupio. Quorum ruditati non  
ideo solum veniam dabis, quod properus iste discessus effecit, ne  
mihi vel relegere liceret, sed ob id quoque quod ista scribenti  
mihi non modo libraria nulla, sed nec liber fere ullus affuit.  
Quamquam ne nunc quidem ingrata tibi qualiacumque fore in tua  
humanitate prima spes est, secunda in mei ipsius industria, qua  
me sedulo cavisse confido, ne quicquam in his esset quod tuas  
aures merito posset offendere, nisi mihi (ut homo sum) meorum  
amor imposuit. Quod si usquam incidat, culpam admonitus,  
agnoscam ingenue, nec tuebor meam. Nempe ut quos amo si quid  
eorum intersit, non gravatim admoneo, sic ab amicis ipse admoneri  
valde medius fidius gaudeo. Neque hoc me fugit tamen, Erasmo  
quaedam ex stomacho te non obiecisse tuo, sed ab aliis accepta  
potius protulisse, ut tu vicissim intellegas, me multa his in litteris,

#15. To Martin Dorp

1555

1560

1565

1570

1575

1580

1585

1590

1595

1600

illis per te potius respondisse, quam tibi, quem ego non  
 solum ut amantissimum diligo, et doctissimum suspicio, verum  
 etiam ut optimum virum revereor. 1605 #15. To Martin Dorp  
 Vale, carissime Dorpi, vereque tibi persuade, neminem esse  
 tui magis vel in Hollandia tua studiosum, quam sit Morus apud  
 toto divisos ab orbe Britannos, ut cui non minus carus es quam 1610  
 ipsi es Erasmo. Nam carior esse non potes, ne mihi quidem.  
 Iterum vale, Brugis, Vicesimo primo Octobris.  
 Vale Brugis vicesimo Octobris. Iterum vale.

16. To Erasmus  
 <London.>  
 <c. 17 February 1516.>

THOMAS MORUS ERASMO SUO S. D.

POSTEAQUAM a nobis digressus es, Erasme carissime, ter omnino  
 litteras abs te recepi. Si toties dicam rescripsisse, fidem fortasse mihi  
 non es habiturus, etiam si sanctissime mentiar; praesertim quum ipse  
 me tam probe noscas et ad scribendas epistolas pigrum, neque tam  
 superstitiose veracem ut mendaciolum usquequaque velut parricidium 5  
 abominer. Paeus noster istic legatione fungitur, quamquam  
 non prorsus istic; ita enim abest a nobis ut tamen non adsit tibi.  
 Per litteras enim nobiscum ei licet loqui, praesenti vero nec tecum:  
 utinam re bene gesta brevi redeat domum, ut dimidia saltem mei  
 pars mecum vivat. Nam te quando liceat exspectare non video, cui 10  
 animus est Italiam petere; ubi in eos incidet qui vereor ut te patiantur  
 avelli. Ego interim videor mihi dimidio mei carere, dum  
 abest ille; altero dimidio dum tu. Spero propediem fore ut illi egregia  
 aliqua dignaque illo viro fortuna contingat. Ita plane sentio et  
 Regis animum et Cardinalis voluntatum et bonorum prorsus omnium 15  
 studia in eum ornandum evehendumque propendere.  
 De te vero, nisi me mea spes tam saepe frustraretur, etiam multo  
 maiora sperarem, quamquam nunc quoque bene sperare quid vetat?  
 Neque enim quia parum processit hactenus, ideo futuri quoque spes  
 adempta est, immo nunc maxime confido. Neque eadem perpetuo 20  
 cuiquam est fortuna, neque diutius potest esse maligna tibi, cui  
 Pontifex, reges, episcopi, omnes prope mortales, quaqua versus orbis  
 patet Christianus, impendio favent ac demirantur. Apud nos quo in  
 te animo sint episcopi et seorsum Cantuariensis, tum Princeps ipse quo  
 te favore complectitur, supervacaneum foret commemorare. At quod 25  
 hactenus nullum in te beneficium aut te dignum aut tam magno tantorum  
 amore virorum provenerit, partim tute qui neglexeris ea quae  
 ambiunt alii, partim nescio quae fortuna fuit in causa; veluti nunc  
 quoque accidit de illo canonicatu quem vocant Tornacensi, quem  
 dominus Montioyus obtinuerat tibi. Videris nunc ab eo non abhorrere; 30  
 scribis enim omnia te misisse instrumenta. Montioyo, quae ad eum  
 tibi conferendum viderentur idonea. At ego, si meministi, quum  
 esses mecum Brugis, ea de re sermonem habui tecum, id quo tu  
 enumeratis omnibus eius beneficii commodis et incommodis item



alieno esse animo videbare; nec id celasti Sampsonem, qui se Tornaci gerit Eboracensis Episcopi vicarium. In quam sententiam non hoc to solum impellebat, quod verebare ne non esset tibi perpetuus, nisi alterius etiam episcopi consensus accessisset, a quo non exspectabas ut illius factum haberet ratum cuius 'omnia facta conatur infringere; sed illud quoque quod praeterquam quod propemodum decem librae nostrates ilico tibi in primo erant ingressu munerandae, domus praeterea ducentis nobilibus aut pluris etiam redimenda. Ea est ibi consuetudo; cui nisi parueris, vix sex nobiles annuos consequeris, at nec illos quidem; quantum accepi, nisi ibi perpetuo degas. His tu rationibus adductus mihi ac Sampsoni videbare illum canonicatum non admissurus.	35	#16. To Erasmus
Paulo posteaquam tu a me discesseras, ego Tornacum concessi. Ibi. a domino Montioyo atque item a Sampsoni audiui Archiepiscopum Eboracensem utriusque eorum scripsisse, ut id beneficium donaretur alii, cui, ut videbatur, fuerat pollicitus, quum ignoraret tibi fuisse destinatum. Hoc ego quum audiui, dissimulato quod intellexi, beneficium animo non admodum respondere tuo, suasi ut rescriberent tibi esse concessum, remque in eo esse statu ut mutari non possit, nisi tibi do meliore fortuna prius esset provisum. Rescripsit Eboracensis eum locum haud quaquam fore idoneum tibi, quod et praesenti parum esset locuples et nihil afferret absenti: se sponsorem acciperent melioris tibi conferendi. Ita quum ego aderam, nec me certe dissuadente, decreverant illud beneficium ei donare cui volebat Episcopus. Quid sit factum postea nescio. Verum hoc scio, nisi illud habes, Cardinalem et pinguius tibi debere et brevi spero persoluturum. Amicissimam saepe de te mentionem inicit.	40 50 55 60	
Pensionem tuam non erat opus ut ego ab Episcopo exigerem. Ipse enim ex semet memor, priusquam meas accepisset litteras, egerat de ea re cum Maruffo, cuius ad haec, ut scis, negotia opera semper utitur, interim etiam pecunia, quoad collata ratione statis temporibus paria inter se faciant. Verum protinus habitis litteris meis (nam versabatur Oxfordiae) iterum hominem exstimulat per epistolam ut viginti libras nostrates celeriter ad te transmitteret; pollicitus eas Maruffo redditurum se, ubi primum ex tuo chirographo cognovisset eas ad te esse perlatas. Conveni Maruffum. Ipse ait se scripturum tibi ut chirographum properes ad sese mittere, quo te testeris accepisse pecuniam; quo ad Episcopum delato nummos ea velut occasione sibi numeratos tum demum ad te curaret perferendos. Ego quum haec audirem, veritus sum aliquid subesse periculi, ne si pecunia iam tum non solveretur ei, ea mora vicissim derivaretur in te. 'Ergo non est' inquam 'hac simulatione opus. Aut pecuniam ilico mitte Episcopi nomine ac fide; aut si nisi prius receptum graveris impendere, efficiam protinus ut in manu habeas.' 'Immo,' inquit ille, 'nihil est quod metuas. Nam sic agam ut Erasmo statim haec pecunia adsit; quin iam nunc quoque adest. Nam habet a me chirographum quo possit ubi volet ducatos mille conficere: e quibus quicquid acceperit, debet hoc mihi (sic enim inter nos convenit) ex hac pensione resolveri.' Haec ille dicit. Ego via credo nisi collata prius in eius mensam pecunia ullas eum litteras tibi pro conficienda pecunia tradidisse. Quare si res secus habet quam dicit, effice mature ut intellegam.	65 70 75 80 85	

Archiepiscopus Cantuariensis officio Cancellarii, cuius onus iam aliquot, ut scis, annos mirum quam laborabat excutere, tandem exsolutus est; ac desideratum iamdiu secretum nactus, gratissimo inter litteras otio ac negotiorum bene ab se gestorum recordatione perfruitur. Princeps ei Cardinalem suffecit Eboracensem; qui ita se gerit ut spem quoque omnium, quamquam pro reliquis eius virtutibus maximam, longe tamen exsuperet, et (quod est difficillimum) etiam post optimum decessorem valde probetur ac placeat. 90  
 Nostra legatio, quoniam haec quoque tibi curae est, ut mea omnia, satis feliciter processit, nisi quod longiore tractu quam aut speravi aut volui res protelata est. Etenim quum domo discedens vix bimestrem absentiam exspectaverim, ultra sex menses in ea legatione contrivi. Verum longam tandem moram exitus satis gratus est insecutus. Ergo ubi negotium, quamobrem ipse veneram, ad finem vidi perductum et alia tamen rursus ex alis nasci, quae longioris morae viderentur initia (neque enim umquam inter principes desunt), datis ad Cardinalem litteris redeundi veniam impetravi mihi; usus ad eam rem cum ceterorum amicorum opera tum praecipue Pacei: neque enim adhuc abierat. Sed dum redeo, Gravelinii subito occurri, idque tam propere festinanti ut vix ei liceret, dum nos mutuo salutaremus, subsistere. Tunstalus iam nuperrime reversus dies vix decem hic moratus, nec ullo tamen eorum pro suo arbitrio suaviter acto, ‘sed omni eo tempore anxie atque odiose consumpto in earum expositione rerum quas legatus in mandatis habuerat, ecce rursus eodem subito nova legatione retruditur, idque certe scio, si negare liceret, invitissimus. 110  
 Mihi numquam admodum legati mamma arrisit. Neque videtur perinde nobis laicis quem sacerdotibus convenire vobis, qui primum uxores ac liberos aut domi non habetis aut ubique reperitis. Nos sicubi paulo absumus, coniugum protinus as sobolis desiderio revocamur. 115  
 Deinde sacerdos quum emittitur, totam familiam potest ubi velit circumducere et regis interim expensis pascere quos domi pasturus erat suis. At mihi absenti duplex alenda familia, altera domi, altera peregre. Commeatus mihi satis benigne dabatur a Rega pro eorum numero quos eduxi mecum; verum eorum quos interim necesse fuit domi relinquere nulla est habita ratio: a quibus ego, quamquam scis quam clemens maritus, quam indulgens pater, quam mitis dominus, tamen ne tantulum quidem quivi impetrare ut mea causa tantisper quoad domum redirem ieiuni persisterent. Postremo sacerdotibus laborum atque impensarum gratiam auctoramentis ecclesiasticis proclive est principibus sine ullo sumptu suo rependere; nobis neque tam laute neque tam facile prospicitur: quamquam mihi revertenti pensio annua ab Rege decreta est, eaque plane, seu quis honorem spectet seu fructum, neutiquam contemnenda. Quam ego tamen hactenus recusavi, videorque mihi perpetuo recusaturus; quod ea suscepta praesens haec mea in urbe condicio, quam ego etiam meliori antepono, aut mihi foret relinquenda aut, quod minime vellem, cum aliqua civium offensione retinenda: quibus si qua cum Principe, quod nonnumquam accidit, oriretur de privilegiis quaestio, minus me sincerum ac sibi fidum ducerent, tamquam annuis Principi mercedibus obstrictum. 135

Cauterum in illa mea legatione quaedam me impendio delectarunt. Primum tam longum ac tam perpetuum Tunstali contubernium; quo ut nemo est omnibus bonis litteris instructor, nemo vita moribusque severior, ita nemo est usquam in convictu iucundior. Deinde quod cum Buslidiano mihi intercessit amicitia, qui me et pro egregia fortuna sua magnifice et pro animi bonitate comiter recepit. Domum tam singulari artificio excultam, tam eximia suppellectile instructam ostendit; ad haec tot vetustatis monumenta, quorum me scis esse percupidum; postremo tam egregie refertam bibliothecam, et ipsius pectus quavis etiam bibliotheca refertius, ut me plane obstupefecerit. Eum audio iam nunc ad Principem nostrum legatione functurum. Sed in tota peregrinatione mea nihil mihi contigit optatius quam Petri Aegidii Antuerpiensis hospitis tui consuetudo, hominis tam docti, faceti, modesti ac vere amici ut peream nisi eius unius convictum libenter mihi velim bona mearum fortunarum parte redimere. Is ad me misit apologiam tuam et commentarios item in Psalmum illum, Beatus Vir, quos tu Beato Rhenano vel tanto ac tam perpetuo amici monumento vere beato dedicasti. Dorpius epistolam suam imprimendam curavit et apologiae tuae praeponendam. Illum optaveram, si qua incidisset occasio, convenire. Id quando non licuit, per epistolam saltem salutavi, immo per epistolium quoddam Laconicum, nam longiori non suppetebat tempus: at insalutatum praeterire non potui hominem, qui mihi mirum in modum cum ob eximiam eruditionem tum multis etiam aliis nominibus placet, nec ideo in postremis, quod taxata Moria scribendae tibi apologiae praebuit occasionem. Gaudeo Hieronymum ac Novum Testamentum tam bene procedere. Mirum est quanto undique desiderio exspectantur ab omnibus. Linacer, mihi crede, Erasme, de te et optime sentit et ubique loquitur; id quod ego nuper ab his accepi qui ei amantissime atque effusissime apud Regem in cena de te loquenti adfuerunt: quo in sermone Rex ea vicissim respondit, ut hi qui mihi retulerunt, opinionem plane conceperint fore ut brevi aliquid egregiae in te fortunae conferatur; quod ego superos precor ut ratum esse velint.

Vale, Erasme carissime, et Rhenanum et Lystrium meo nomine saluta; quos ego et tua praedicatione et ipsorum scriptis et cariores habeo et penitius etiam notos quam multos ex his quibuscum versor cotidie. Uxor mea te salutatur, et item Clemens qui litteris et Latinis et Graecis ita proficit in dies ut non exiguam de eo spem concipiam, futurum eum aliquando et patriae et litteris ornamento.

Iterum vale atque his unis litteris in multos menses esto contentus: quibus avaros sum imitatus; qui quod raro quemquam invitant, si quando ad cenam vocant, prolixissime convivium instruunt, ut una cena cotidianum sumptam invitandi effugiant. Iam tertio vale.

Episcopus Dunelmensis inscriptionem Senecae gratissimam habuit. Vide quam te libenter imiter, qui tibi nunc itidem ut tu nuper mihi aliena manu scribo, tam certus imitator, ut ne hoc quidem meapte manu fuerim scripturus nisi ut certum tibi facerem litteras has meas esse.

#16. To Erasmus

17. To Cuthbert Tunstall

<London>  
<1516>

#17. To C. Tunstall

In legationibus versari quamquam liberali atque in me propenso Principe, tamen mihi non modo non ambienti, sed abhorrenti quoque ab auctoramentis aulicis quid potest esse lucri?

19. To Erasmus  
<London>  
<c. 21 June 1516>

THOMAS MORUS ERASMO RHOTERODAMO S.

IUBES, carissime Erasme, omnibus de rebus me diligenter ad te scribere; quod quo faciam libentius eo imprimis animor, quod priorem epistolam meam intellego placuisse tibi amoris in te mei testimonio. At quum scribas eo praeterea nomine gratam fuisse, quod declaret virtutibus dicendi proficere, rursus profecto ad silentium invitas; nam quidni pigeat litteras ad te dare, quas curiose expendi atque examinari videam? quippe quum profectus incrementa collaudas, rubore perfundor, conscius videlicet quantum cotidie ex illo nihil quod inerat ante decrescat. Quod certe necesse est accidat ei qui forensibus litigiis ab omni genere doctrinae tam alienis (in quod pistrinum meae me vitae ratio detrusit) assidue dstringitur; quibus ineptiis ita nunc vexamur, ut neque animus cogitationi suppetat nec verba sermoni. Quamobrem si verba pensiculas, si dicendi vires examinas, hoc est si soloecismos ac barbarismos numeras, tacere iubes; sin de rebus tuis meisque audire qualibet oratione contentus es, accipe de pecunia primum utpote re primaria.

Recepta epistola tua ilico Maruffum accerso, dico te litteras ad Archiepiscopum scripsisse, quibus testaris opera eius te recepisse pecuniam. Proin 'Cedo,' inquam, 'aut pecuniam aut syngrapham per quam Antwerpiae possit exigere.' 'Faciam' inquit, 'sedulo, postquam a Cantuariensi accepero; quam post tales Erasmi litteras illico numerandam haud dubito.' 'At Erasmus' inquam' binas scripsit; alteras quas nisi pecunia aut syngrapha recepta vetuit tradi; alteras iussit negata pecunia substitui, quibus Episcopum facit certiore nullum hactenus nummum ad se pervenisse. Tu ergo tecum delibera quid faciendum putes.' Homo, ubi hoc audit, veritus offensam Episcopi, syngrapham protinus scripsit deditque mihi, accepitque litteras tuas ad Episcopum; quas festinato transmisit una cum suis, quibus velut exigens gratias scripsit se curasse iam olim perlatam ad te pecuniam, nunc demum habere abs te litteras testes acceptae, et te misisse litteris Episcopi inclusam apocopen, quae tibi solutam declararet—(hoc ego dixeram quum flagitaret apocopen): proinde si dominationi videretur, iuberet ei dissolvi qua in gratiam eius tamdiu caruisset. Archipraesul ubi has litteras Maruffi legisset (nam ita evenit ut eas prius legeret quam tuas), postea tuis resignatis, ubi apocopen nullam repperit, despicit

in solum atque ad pedes circumspicit, nuncubi excidisset aperienti. Ubi nullam invenit, iubet testes esse qui aderant, nullam apocopen fuisse inclusam epistolae; deinde lectis litteris tuis desiit apocopen desiderare, doctus adhuc desiderari pecuniam; quam e vestigio misit ad me, mendans ut quam celerrime quamque e tua re maxime curarem ad te perferendam. 40

Postridie rediit Maruffus insaniens. ‘Heus,’ inquit, ‘More, errasti pessime; nempe litteras ad Episcopum, quas mittere debueras, retinuisti, misisti vero quae maxime erant supprimendae.’ ‘Quid ais?’ inquam; ‘malefactum profecto. Vide quid est unoculum. mittere tabellarium; nam ille in dinoscendis litteris lapsus est, haud ego. Ea plane epistola tradita est tibi quam ille rectam dixit ac certe scio credidit.’ ‘At cede,’ inquit, ‘saltem nunc illam alteram quae mihi fidem apud Episcopum redintegret; quae iam sive tuo sive tabellionis errore prope interit.’ ‘Atqui’ inquam ‘nimium cautus hac in re fui, quippe gnarus occultandam epistolam quae significabat deesse pecuniam, ratus esse quam retinueram, dum tuae securitati studeo prospicere, in ignem miser inieci.’ Ibi stomachari ille ac furere, ego solari hominem ac benigne polliceri totam hanc turbam me compositurum. Itaque significavi Episcopo Maruffum scripsisse iam olim ad te uti suo nomine reciperes, quum crederet id te facturum; te vero refugisse alienum aes, atque eo factum vi ille receptam crederet, tu non accepisse scriberes. Quod si hoc quoque commentum meum tua revincat epistola, iam dispiciendum est mihi aliud quippiam, ne meae apud dominum fidei iacturam faciam, dum alterius laboro resarcire. Ceterum Maruffi syngrapham ei restitui; nam pecuniam apud alium magis e re tua collocavi. Recipies enim pro qualibet libra nostrate Flandricae pecuniae xxxs. iiiid.; ille dabat ‘viiiid. in qualibet libra minus. 65

Dominus Cardinalis laetissima fronte et litteras tuas et libros quos ante misisti recepit; ac perquam benigne pollicetur, quae spero praestitutum. Basileam tibi undique arridere gaudeo certe tua causa, cui ubique adesse cupio quod impense placeat; verum non adeo tamen ut te prorsus nobis intercipiat, qui si commodo sumus inferiores illis, amore medius fidius haud quaquam cedimus. Fasciculum illum litterarum perlegi hominum et doctorum et te qua dignus veneratione prosequentium; in quibus tamen nihil video novi. Neque enim ab his quicquam honoris in te profectum est (quamquam plurimum), quod non ubique gentium, quibus ulla sit cura litterarum, fuerat exhibendum. Paeus neque rediit neque putatur adhuc rediturus; non dubito quin et intellegas illum a secretis esse Regi nostro. Cum Tunstallo post adeptum magistratum, quo scriniis praefectus est, versatum te et convivam agitasse intellego. De versiculis nostris nihil scribo; tu vide quid statuas. De epistolio nostro ad Dorpium percupio scire quid sentias. Vale, carissime Erasme. Clemens meus quam potest maxime te salutatur, etc. 80

#19. To Erasmus

20. To Erasmus  
 London  
 3 September <1516>

MORUS D. ERASMO S. P. D.

#20. To Erasmus

NUSQUAM nostram nusquam bene scriptam ad te mitto: praescripsi epistolam ad Petrum meum. Cetera tu ut recte cures, expertus sum non esse opus ut te adhorter. Litteras tuas reddidi Veneto Oratori, qui videtur aequissimo animo fuisse recepturus Novum Testamentum, quod interceptit Carmelianus. Nam totus deditus est sacris litteris, perfunctus lectione eorum paene omnium qui scribunt quaestiunculas; quibus tribuit tantum ut ne Dorpius quidem tribuat amplius. Ambitiose congressi sumus, accuratis orationibus ac longis laudibus nos invicem scabentes. Sed ut vere dicam, plane delectat me; videtur enim honestissimus et rerum humanarum peritissimus ac iam divinarum cognitioni deditissimus; postremo, quod ego non in postremis pono, studiosissimus tui.

A Cantuariensi de rebus adhuc nihil audio. Coletus de tua re nihil habuit sermonis cum eo: cum Eboracensi habuit; quem tam in te propensum invenisse se dicit atque in tuas laudes tam effusum ut ne optare quidem potuerit amplius, nisi ut verba illa tam egregia aliquando rebus exaequet; id quod exspecto et brevi et ampliter facturum. Tuam pecuniam quae apud me deposita est, meus Ioannes ad divi Michaelis tradet Aegidio; nam ante id festum non est venturus Antwerpianam. Si edas posthac Epigrammata mea, tu expende tecum an putes ea premenda quae scripsi in Bryxium, nempe in quibus sunt quaedam amarulentiora; quamquam videri possim ab illo provocatus conviciis dictis in patriam. Tamen, ut dixi, tu haec considera et denique omnia quae putabis invidiosa. Si quae sint praeterea vel inepta, ea sic dispone omnia ut ex usu meo censebis fore: quippe ut Quintilianus ait Senecam esse eum quem vellet suo ingenio scribere et alieno iudicio, ita ego is sum quem conveniat scribere et alieno iudicio et non meo ingenio. Vale et D. Tunstal ae dominum Buslidium saluta, meo nomine. Raptim Londini 3<sup>a</sup> Septemb.

22. To Erasmus

<London>

<c. 20 September 1516>

MORUS ERASMO S. P. D.

ACCEPI litteras abs te scriptas Caleti, quibus te (quod gaudeo) commoda navigatione usum intellego. Praepositus Caseletanus rettulit mihi te, priusquam ille domo profectus est (nam nunc apud nos fungitur legatione), Bruxellas incolumen pervenisse. Maruffus nuper occurrit mihi, clamans nescio quo errore suo incommodo pecuniam tuam esse solutam. Ego praeterea misi ad te aliam syngrapham eius nuper xx li[brarum] nostratum ab Archiepiscopo; in qua expungenda spero te eadem fortuna usurum, si properes priusquam contra admoneat suos; nam hoc videtur omnino facturum. Is qui has perfert litteras, xx li[bras] quas apud me deposuisti, persolvat Aegidio, videlicet xxx vestrates li[bras] pro xx nostratibus.

Nuper egi apud Ursuicum de equo tuo. Dicit se brevi curaturum ut habeas, sed adhuc non esse sibi qualem velit ad te mittere. Misi ad te iam pridem Nusquamam, quam ego gestio et brevi prodire et bene ornatam etiam egregia et magnifica laude, eaque si fieri posset a pluribus non litteratis modo, sed etiam his qui sint ab administranda republica celebrati; maxime propter unum (quem etiam tacito nomine subire tamen tibi puto) qui nescio quo affectu (nam hoc tu divina) dolet editam ante annorum eneada decursam. Haec tu curabis ut putabis ex usu esse meo. Ceterum gestio scire an Tunstallo ostenderis aut saltem (quod fecisse puto) depinxeris; quod malo. Nam sic ei bis placebit, et quod te referente res apparebit elegantior quam scribente me, et quod eum legendi labore levaveris. Vale.

#22. To Erasmus

15

20

23. To Erasmus  
London  
<22 September 1516>

THOMAS MORUS ERASMO S. P. D.

ERASME carissime, salve. Dominus archiepiscopus Cantuariensis curavit ad te mittendas 20 libras nostrates. Misi ergo ad te Maruffi syngrapham et simul Archiepiscopi litteras ad me, ut possis intellegere et illum esse pecuniae suae liberalem et me nequaquam malignum dispensatorem alienae; praeterea ut festines Episcopum facere acceptae pecuniae certiore, uti sit Maruffo causa repetendi. Scripsi cuidam nostrati qui meam pecuniam nundinis istis recipiet, ut solvat Aegidio libras 30 Flandricas, quibus ille tuo nomine fateatur dissolutas illas xx libras nostrates, quas tu nuper apud me deposuisti. Litteras tuas misi Lathimero et meas item de re Roffensis Episcopi; verum adhuc ab illo nihil accepi, sed nec ab Episcopo quidem. At Coletus iam graecatur strenue, usus in ea re precaria opera Clementis mei; credo fore ut pergat et pervadat naviter, maxime si tu ab Lovanio usque stimules; quamquam fortasse satius erit eum impetui suo permittere. Solet, ut scis, disputandi gratia repugnare suadentibus, etiam si id suadeant in quod ille sua sponte maxime propendat. Adii Ursuicum; is se memorem dicit equi esse tui brevique effecturum ut habeas; quod quum faciet, ego efficiam ut cognoscas, ne suppositio possis falli. Raptim Londini postridie Matthaei apostoli.

5

10

15

20

25. To Peter Gilles  
<London>  
<c. October 1516>

THOMAS MORUS PETRO AEGIDIO S.D.

Pudet me propemodum, carissime Petre Aegidi, libellum hunc, de Utopiana republica, post annum fere ad te

## #25. To Peter Gilles

mittere, quem te non dubito intra sesquimensem exspectasse,  
 quippe quum scires mihi demptum in hoc opere inveniendi  
 laborem, neque de dispositione quicquam fuisse cogitandum, cui  
 tantum erant ea recitanda, quae tecum una pariter audivi narrantem  
 5  
 Raphaelem, quare nec erat quod in eloquendo laboraretur,  
 quando nec illius sermo potuit exquisitus esse, quum esset primum  
 subitarius, atque extemporalis, deinde hominis, ut scis, non perinde  
 Latine docti quam Graece, et mea oratio quanto accederet propius  
 10  
 ad illius neglectam simplicitatem, tanto futura sit propior veritati,  
 cui hac in re soli curam et debeo et habeo. Fateor, mi Petre, mihi  
 adeo multum laboris his rebus paratis detractum, ut paene nihil  
 fuerit relictum, alioquin huius rei vel excogitatio? vel oeconomia  
 potuisset, ab ingenio neque infimo, neque prorsus indocto postulare,  
 15  
 tum temporis nonnihil, tum studii, quod si exigeretur, ut  
 disserte etiam res, non tantum vere scriberetur, id vero a me  
 praestari, nullo tempore, nullo studio potuisset.  
 Nunc vero quum ablatis curis his, in quibus tantum fuit sudoris  
 exhauriendum, restiterit tantum hoc, uti sic simpliciter scriberentur  
 20  
 audita, nihil erat negotii, sed huic tamen tam nihilo negotii  
 peragendo, cetera negotia mea minus fere quam nihil temporis  
 reliquerunt. Dum causas forenses assidue alias ago, alias audio,  
 alias arbiter finio, alias iudex dirimo, dum hic officii causa visitur,  
 25  
 ille negotii, dum foris totum fere diem aliis impartior, reliquum  
 meis, relinquo mihi, hoc est litteris, nihil. Nempe reverso domum,  
 cum uxore fabulandum est, garriendum cum liberis, colloquendum  
 cum ministris, quae ego omnia inter negotia numero, quando fieri  
 necesse est (necesse est autem, nisi velis esse domi tuae peregrinus)  
 30  
 et danda omnino opera est, ut quos vitae tuae comites, aut natura  
 providit, aut fecit casus, aut ipse delegisti, his ut te quam iucundissimum  
 compares, modo ut ne comitate corrumpas, aut indulgentia  
 ex ministris dominos reddas.  
 Inter haec quae dixi elabitur dies, mensis, annus. Quando ergo  
 35  
 scribimus? nec interim de somno quicquam sum locutus, ut nec  
 de cibo quidem, qui multis non minus absumit temporis, quam  
 somnus ipse, qui vitae absumit fere dimidium. At mihi hoc  
 solum temporis acquirere quod somno ciboque suffuror, quod  
 40  
 quoniam parcum est, lente, quia tamen aliquid, aliquando perfeci,  
 atque ad te, mi Petre, transmisi Utopiam ut legeres, et si  
 quid effugisset nos, uti tu admoneres. Quamquam enim non hac  
 parte penitus diffido mihi (qui utinam sic ingenio atque doctrina  
 aliquid essem, ut memoria non usquequaque destituor) non  
 usque adeo tamen confido, ut credam nihil mihi potuisse excidere.  
 45  
 Nam et Ioannes Clemens puer meus, qui adfuit, ut scis, una,  
 ut quem a nullo patior sermone abesse in quo aliquid esse fructus  
 potest, quoniam ab hac herba qua et Latinis litteris et Graecis  
 coepit evirescere, egregiam aliquando frugem spero, in magnam  
 me coniecit dubitationem, siquidem quum, quantum ego recordor,  
 50  
 Hythlodaeus narraverit Amauroticum illum pontem, quo fluvius  
 Anydrus insternitur, quingentos habere passus in longum, Ioannes  
 meus ait detrahendos esse ducentos, latitudinem fluminis haud  
 supra trecentos ibi continere. Ego te rogo, rem ut revoces in



## #25. To Peter Gilles

memoriam. Nam si tu cum illo sentis, ego quoque assentiar et  
 me lapsum credam, sin ipse non recolis, scribam, ut feci, quod ipse 55  
 recordari videor mihi, nam ut maxime curabo, ne quid sit in libro  
 falsi, ita si quid sit in ambiguo, potius mendacium dicam, quam  
 mentiar, quod malim bonus esse quam prudens. Quamquam facile  
 fuerit huic mederi morbo, si ex Raphaele ipso, aut praesens scisciteris,  
 aut per litteras, quod necesse est facias, vel ob alium scrupulum, 60  
 qui nobis incidit nescio meane culpa magis, an tua, an  
 Raphaelis ipsius. Nam neque nobis in mentem venit quaerere,  
 neque illi dicere, qua in parte novi illius orbis Utopia sita sit.  
 Quod non fuisse praetermissum sic, vellem profecto mediocri pecunia  
 mea redemptum, vel quod suppuget me nescire, quo in mari 65  
 sit insula de qua tam multa recenseam, vel quod sunt apud nos  
 unus et alter, sed unus maxime, vir pius et professione Theologus,  
 qui miro flagrat desiderio adeundae Utopiae, non inani et curiosa  
 libidine collustrandi nova, sed uti religionem nostram, feliciter  
 ibi coeptam, foveat atque adaugeat. Quod quo faciat rite, decrevit 70  
 ante curare ut mittatur a Pontifice, atque adeo ut creetur Utopiensibus  
 Episcopus, nihil eo scrupulo retardatus, quod hoc antistitium  
 sit illi precibus impetrandum. Quippe sanctum ducit ambitum,  
 quem non honoris aut quaestus ratio, sed pietatis respectus  
 pepererit. 75  
 Quamobrem te oro, mi Petre, uti aut praesens, si potes commode,  
 aut absens per epistolam, compelles Hythlodaeum, atque efficias,  
 ne quicquam huic operi meo, aut insit falsi, aut veri desideretur.  
 Atque haud scio an praestet ipsum ei librum ostendi. Nam neque 80  
 alius aequae sufficit, si quid est erratum corrigere, neque is ipse  
 aliter hoc praestare potest, quam si quae sunt a me scripta, perlegerit.  
 Ad haec, fiet ut hoc pacto intellegas, accipiatne libenter, an  
 gravatim ferat, hoc operis a me conscribi. Nempe si suos labores  
 decrevit ipse mandare litteris, nolit fortasse me, neque ego certe 85  
 velim, Utopiensium per me vulgata republica, florem illi gratiamque  
 novitatis historiae suae praeripere. Quamquam ut vere dicam,  
 nec ipse mecum satis adhuc constitui, an sim omnino editurus.  
 Etenim tam varia sunt palata mortalium, tam morosa quorundam  
 ingenia, tam ingrati animi, tam absurda iudicia, ut cum his 90  
 haud paulo felicius agi videatur, qui iucundi atque hilares genio  
 indulgent suo, quam qui semet macerant curis, ut edant aliquid  
 quod aliis, aut fastidientibus, aut ingratis, vel utilitati possit esse,  
 vel voluptati. Plurimi litteras nesciunt, multi contemnunt. Barbarus  
 ut durum reicit, quicquid non est plane barbarum, scioli aspernantur  
 ut triviale, quicquid obsoletis verbis non scatet, quibusdam 95  
 solum placem vetera, plerisque tantum sua. Hic tam tetricus est,  
 ut non admittat iocos, hic tam insulsus, ut non ferat sales, tam  
 simi quidam sunt, ut nasum omnem, velut aquam ab rabido morsus  
 cane, reformident, adeo mobiles alii sunt, ut aliud sedentes  
 probent, aliud stantes. Hi sedent in tabernis, et inter pocula de 100  
 scriptorum iudicant ingeniis, magnaue cum auctoritate condemnant  
 utcumque lubitum est, suis quemque scriptis, veluti capillicio  
 vellicantes, ipsi interim tuti, et quod dici solet, *ἔξω βελους*, quippe  
 tam leves et abrasi undique, ut ne pilum quidem habeant boni

viri, quo possint apprehendi. Sunt praeterea quidam tam ingrati, 105 #25. To Peter Gilles  
 ut quum impense delectentur opere, nihilo tamen magis ament  
 auctorem, non absimiles inhumanis hospitibus, qui quum opiparo  
 convivio prolixè sint excepti, saturi demum discedunt domum,  
 nullis habitis gratiis ei, a quo sunt invitati. I nunc et hominibus  
 tam delicati palati, tam varii gustus, animi praeterea tam memoris 110  
 et grati, tuis impensis epulum instrue.  
 Sed tamen, mi Petre, tu illud age quod dixi cum Hythlodæo,  
 postea tamen integrum erit hac de re consultare denuo. Quamquam  
 si id ipsius voluntate fiat, quandoquidem scribendi labore  
 defunctus, nunc sero sapio, quod reliquum est de edendo, sequar 115  
 amicorum consilium, atque in primis tuum.  
 Vale, dulcissime Petre Aegidi, cum optima coniuge; ac me ut  
 soles ama, quando ego te amo etiam plus quam soleo.

26. To Erasmus  
 London  
 31 October <1516>

THOMAS MORUS DOMINO ERASMO SUO S.

RESCRIBO, mi Erasme, serius, quod certi aliquid scribere cupiebam  
 de equo tuo ab Ursuico; verum id ut possem ne adhuc quidem  
 contigit, quoniam is in curam quandam suam multis ab urbe millibus  
 contulerat se, necdum redierat. Ubi venerit, quem in dies  
 exspectamus, res agetur sedulo. Pecuniam apud me depositam 5  
 Aegidio nostro persolutam esse non dubito; nam litteras accepi  
 a procuratore meo scriptas Antwerpiae, quibus scribit se protinus  
 soluturum. Eas litteras quas olim ad me legendas misisti e Basilea,  
 non potui committere huic tabellario; sed mittam tamen brevi,  
 quum fuero nactus aliquem quem possim magno onerare fasciculo. 10  
 Bedillus exhibuit mihi epistolam ab Episcopo Basiliensi ad Cantuariensem  
 nec non eam qua respondit Archiepiscopus, utramque  
 archetypam; sed hanc nimium archetypam, quippe ita expunctam  
 atque interlitam, ut nisi ab eo qui scripsit legi omnino non possit,  
 atque haud scio an ab illo etiam. 15  
 Litterae tuae atque item meae quibus hortabamur Lathimerum ut  
 unum aut alterum mensem viveret apud Roffensem, serius ad eum  
 venerant, quippe qui iam decreverat Oxoniam petere; quod uti  
 tantisper differret, nullo pacto quivit persuaderi. Scis huiusmodi  
 philosophi quam immutabiles sibimet leges sive sua decreta [faciant]; 20  
 credo quod delectentur constantia. Placet ei vehementer tua conversio  
 Novi Testamenti, in qua tamen illi religiosior videris esse quam  
 vellet. Non placet ei quod sabbati vocem reliqueris, et quaedam  
 talia, quae tu mutanda aut non censuisti aut non es ausus. Sed ille  
 nullum prorsus verbum admittit quod Romanis auribus fuerit 25  
 insolens. Laudavi iudicium eius quatenus Hebreorum res ac ritus  
 paterentur. Ceterum sum hortatus (id quod facturus videtur) ut  
 singula verba quae ille aliter verti voluisset, annotata ad te transmitteret  
 cum iudicio suo. Hoc studio eius scio te vehementer

gavisurum	30	#26. To Erasmus
Sed alii sunt, Erasme carissime, qui coniurarunt apud nos haud simili animo tua scripta perlegere; quorum tam horrendum consilium me sollicitat. Itaque ne properes edere quae nunc edidisti		
quoniam serum est consulere, hoc saltem tibi pro mea in te fide ac sollicitudine suadeo te quaesoque atque obtestor, ut celeriter ita	35	
recenseas atque emendes omnia, uti minimum usquam locum relinquas calumniae; quippe cuius occasiones omnes acutissimi quidam viri decreverunt et pervestigare diligenter et libeater avideque arripere. Qui sunt, inquis, hi? Nominare profecto vereor, ne	40	
tibi concidat animus terrore tam potentium hostium; sed dicam tamen, quo fias videlicet cautior. Summus ille quem nosti theologus Franciscanus, cuius tu honorificam fecisti mentionam in	45	
editione Hieronymi, inita coniuratione cum lectissimis viris eiudem ordinis et farinae constituit contra tua, si qua invenire possit, errata scribere. Atque id quo possit facilius fieri atque efficacius, coniuraverunt	45	
partitis inter se tuis operibus, quum singula curiose perlegerint, nihil inde prorsus intellegere. En vides quantum discriminis impendet tibi; contra curandum est pro magnitudine periculi	50	
tuas ut compares copias. Profecto, Erasme, in nocturno quodam senatu 'sic statuerant bene madidi. Verum postridie, ut audio, ubi villum edormierant, oblitum puto propositi sui oblitteratoque decreto quippe quod vino inscripserant, destiterunt coepto atque a legendo se ad mendicandum rursus rettulerunt; quam rem ipso usu longe sibi comprobassent utilius.	55	
Epistolae Obscurorum Virorum operae pretium est videre quantopere placent omnibus, et doctis ioco et indoctis serio, qui, dum ridemus, putant rideri stilum tantum; quem illi non defendunt, sed gravitate sententiarum dicunt compensatum et latere sub rudi vagina pulcherrimum gladium. Utinam fuisset inditus libello alius titulus!	60	
profecto intra centum annos homines studio stupidi non sensissent nasum quamquam rinocerotico longiorem.	65	
Nusquamam nostram gaudeo probari meo Petro; si talibus placeat, incipiat placere et mihi. Cupio scire an Tonstallus probet, an Buslydius, an Cancellarius vester; quibus ut probetur supra votum est, hominibus tam felicibus ut in his rebuspublicis suis	70	
primos ducant ordines, nisi eo propitientur quod in illa republica nostra illi tales viri, litteris ac virtute tanti, principes plane essent futuri; quum in suis quanticumque sint (sunt sane magni) magnos tamen habeant nebulones auctoritate ac potentia pares, ut ne dicam superiores. Nam eo non credo moveri tales viros, quod ibi non	75	
essent multos habituri subditos ac subiectos, quomodo nunc reges populum vocant, hoc est plus quam servos, quum tanto sit honorificentius imperare liberis, ac longe absint tam boni viri ab ea invidia; ut optent male esse aliis, quum sibi sit bene. Spero igitur fore ut illis etiam placeat opus nostrum; quod mirum in modum cupio. Quod si contrariam penitus infixit persuasionem illis fortunae suae felicitas, mihi abunde suffecerit tuus calculus ad iudicium meum. Nos duo turba sumus apud animum meum; qui mihi videor feliciter posse tecum quavis in solitudine vivere.	80	
Vale, Erasme dulcissime mihi que oculis carior.	80	

Impetravi a Maruffo litteras benigniores; hoc mihi visum est et expeditius et consultius quam de ea re iterum sollicitare Episcopum. Non quin is libenter etiam de quavis re audiat, quae quidem ad te pertineat; sed malo tamen ab eo maiora.

Londini antelucanis horis festinanter pridie omnium divorum. 85

#26. To Erasmus

28. To Cuthbert Tunstall

<London>

<c. November 1516>

Quamquam omnes litterae, vir dignissime, mihi sunt iucundae quae perferuntur abs te, tamen quas scripsisti proxime fuerunt longe iucundissimae: propterea quod praeter communes illas reliquarum commendationes ab elegantia atque amicitia (quibus tuarum nulla non scaturit) hac peculiarem quandam gratiam afferebant secum elogii tui de Republica mea, utinam tam veri quam candidi. Rogaveram Erasmus nostrum ut tibi inter confabulandum rem exponeret; ne legendam vero ingereret vetui. Non quod legi abs te nollem (quo nihil magis cupiebam) sed memor sapientissimi consilii tui quo decreveras non ante novorum quicquam in manus sumere, quam veterum auctorum te lectione expleveras; quam rem si profectu metiare, iam dudum aetatem complexisti, sin affectu, numquam perficies. Verebar itaque quem egregia aliorum multorum opera devocare ad se non potuere, ne numquam fieret ut libenter ad meas nugas descenderes. Nec fecisses certe nisi te amor magis impulisset, quam traxisset res. Quamobrem quod tam diligenter perlegisti Utopiam, hoc est, quod amicitiae nostrae tantum laboris impendisti, maximas ago gratias: quod vero placuit opus, non minores. Nam hoc quoque non minus amicitiae tribuo, quam te habuisse in consilium loco censoriae virgae video. Quamquam utcumque res habet, dici profecto non potest quanto hoc tuo tam candido suffragio gaudeam. Nam sentire te quae dicis propemodum mihi persuadeo, quum et te sciam ab omni furo alienissimum, et memet videam humiliorem quam cui sit abs re palpandum, amantiorem tui quam cui sit illudendum. Quamobrem sive incorruptus vidisti verum, laetor vehementer tuo iudicio; sive legenti tibi mei studium imposuit, non minus amore delector; quem necesse est esse vehementem qui iudicium suum Tunstallo possit abripere. 5  
10  
15  
20  
25

29. To Erasmus

<London>

<c. 4 December 1516>

MORUS ERASMO S. P. D.

DE equo tuo conveni Ursuicum. Is se negat adhuo nactum talem quem dignum censeat qui mittatur ad te, sed, nisi mittat ante, ad proximas nundinas omnino missurum. Remisi nuper ad te Maruffi

syngrapham cum liberalioribus litteris, ut ipse affirmat. Nam ego  
 nequivi legere, nec Lilius noster, quamquam probe calleat Italice. 5 #29. To Erasmus  
 Pecuniam quam apud me reliquisti Aegidius noster iamdudum habet:  
 nam procurator meus rediit, qui dicit se solvisse.

D. Palgravus, amicus noster et tibi, ut scis, iam olim deditissimus,  
 Lovanium petit incubiturus legibus, sed ita tamen ut bonas litteras  
 Latinas Graecasque solito sibi more adiungat. Hic quoniam audivit 10  
 te ibi commoraturum, quamquam pro vetere sua tecum consuetudine  
 nihil sibi non possit de te polliceri, tamen (vide quantus apud te  
 passim videor, quo ego non hercle minus triumpho quam alii regum  
 familiaritate gloriantur) impense rogavit ut ad illam gratiam qua se  
 valere tecum per se putat, meam etiam commendationem diligenter 15  
 adiungerem; uti sibi liceat tuo consilio atque auxilio ad bonarum  
 litterarum profectum frui. Scio, mi Erame, non esse te multis  
 verbis rogandum ut in studiis adiuves hominem ad litteras propensum,  
 tantae spei, tam notea diligentiae, et qui iam nunc scis  
 quantum promoverit, amicum praeterea et meum et tuum, hoc est 20  
 bis tuum: qui velut munus quoddam hoc tibi iam olim desumpsisti,  
 ut aetatem omnem dies noctesque in adiuvandis omnium hominum  
 studiis insumeres. Quamquam, si quid hoc ad cumulum possit  
 addere, etiam rogo ut quod nulli negas, hoc Palgravo nostro praestes  
 etiam prodigentius; cui eas litteras omnes dedi ad te perferendas, 25  
 quae tibi olim ab amicis Basiliensibus missae apud [me] iam diu  
 sunt servatae. Quae res commode accidit. Nam neque certior quisquam  
 offerri potuit qui eas perferret, neque ipse quicquam [optare]  
 quo veniret gratior quam tam multas, tam diu desideratas, paene  
 etiam desperatas, hominum tam carorum doctissimas epistolas; 30  
 quas tamen iussi ne ante tibi traderet quam stipulatione facta promiseris  
 sic te accepturum tamquam ille tibi in singulis  
 commenda[re]tur.

Ausculto cotidie atque arrectis auribus asto de re illa tua Siciliensi,  
 quae Deum precor uti contingat feliciter. D. Tunstallus 35  
 litteras nuper ad me dedit plenas affectus amicissimi: cuius iudicium  
 tam candidum, tam honorificum de republica, nostra dispeream,  
 Erasme dulcissime, nisi me magis exhilaravit quam talentum Atticum.  
 Itaque nescis nunc quantum gestio, quantum crevi, quanto  
 memet altiozem gero: ita mihi assidue versatur ob oculos perpetuum 40  
 destinari mihi principatum ab Utopianis meis, quin iam nunc mihi  
 videor incedere coronatus insigni illo diademate frumentaceo, conspicuus  
 paludamento Franciscano, praeferens venerabile sceptrum e  
 manipulo frugis, stipatus insigni Amaurorum comitatu atque ita  
 celebri pompa legatis atque principibus aliarum gentium occurrere, 45  
 miseris plane prae nobis, stulte videlicet superbientibus, quad veniant  
 ornati pueriliter et mundo muliebri onusti, vinctique auro illi despuibili,  
 purpura et gemmis atque aliis bullatis nugis deridiculi.

Quamquam nolim aut te aut Tunstallum nostrum ex aliorum ingeniis  
 aestimare me, quorum fortuna mores mutat. Equidem etsi superis 50  
 visum est nostram humilitatem ad hoc fastigii et sublimitatis  
 evehere, cui nullum regum posse conferri censeo, veteris tamen illius  
 consuetudinis quae mihi olim privato fuit vobiscum, numquam me  
 sentietis immemorem. Quod si non gravemini tantillum viae facere

ut Utopiam veniatis ad me, profecto efficiam ut mortales omnes quos  
 clementia nostrae regit imperium, id honoris exhibeant vobis quem  
 debent eis quos intellegunt ipsorum principi esse carissimos. 55 #29. To Erasmus  
 Prosecuturus eram longius hoc dulcissimum somnium, sed Aurora  
 consurgens, vah misero, discussit somnium et principatu me excussit,  
 atque in pistrinum meum me, hoc est in forum, revocat. Hoc tamen 60  
 me consolor, quod vera regna video non multo prolixiora.  
 Vale, carissime Erasme.

30. To Erasmus  
 London  
 15 December <1516>

THO. MORUS D. ERASMO S. P. D.

NON dubito redditas tibi litteras meas, Erasme carissime, quas  
 Palgravus noster perferendas accepit, una cum epistolis amicorum  
 Basiliensium. Gaudeo Dorpium resipuisse, videlicet delinitum conviciis  
 quem blanditiae reddiderant ferociorem. Profecto sic est 5  
 quorundam hominum ingenium ut, si paululum obsequaris, insolescant,  
 contemptius habiti frangantur et fiant abiectissimi. Cupio  
 misere, si commode fieri posset, quae ultro citroque sunt inter vos  
 perscripta, legere.  
 Lupsetus restituit mihi aliquot quaterniones tuas quas olim apud  
 se tenuerat. In his est Iulii Genius, et declamationes duae, altera 10  
 de pueris statim a pueritia erudiendis, altera consolatoria; tua manu  
 omnia, sed prima tantum scriptio, neque quicquam satis integrum.  
 Extra haec sancte negat tui quicquam apud se esse quod tu desideras.  
 Haec si mitti ad te postules, ilico fac intellegam.  
 Linacer protinus a Natali quae vertite Galeno mittet Luteciam 15  
 excudenda, comite Lupseto qui calcographis castigato aderit. Nescis  
 quam sit gavisus ea mentione librorum suorum, quam in epistola tua  
 fecisti quam nuper scripsisti ad me; crede mihi, is toto pectore tuus  
 est. Wintoniensis Episcopus, vir ut scis prudentissimus, in celeberrimo  
 cetu magnatum quum de te ac tuis lucubrationibus incidisset 20  
 sermo, testatus est omnibus approbantibus versionem tuam Novi  
 Testamenti vice esse sibi commentariorum decem, tantum afferre  
 lucis; eadem adeptis figuris Graecis Latine dici, etiam si nihil  
 aliud in editione Vulgata fuisset mendae quod mutaretur. Utopiam  
 nostram, ex tuis litteris concepta spe quam avide devoro, in dies 25  
 nunc exspecto haud alio animo quam mater peregre redeuntem filium.  
 Vale, Erasme dulcissime.  
 Londini raptim 15<sup>o</sup> Decembris.  
 Misi litteras tuas Lathimero, nec dubito facturum quod vis, sed  
 etiam libenter facturum. Uxor mea millies tibi salutem iussit dici, 30  
 atque agi etiam gratias de tam accurata salutatione tua, qua longaevitatem  
 ei precatus os; cuius eat, ut ait, ideo avidior, quo mihi  
 possit diutius esse molesta.

31. To William Warham  
<London>  
<January 1517>

#31. To W. Warham

Semper quidem felicem paternitatis tuae sortem iudicavi;  
et dum Cancellariae munere praeclare fungereris, et nunc  
feliciorum, postquam eodem defunctus in otium optatissimum  
quo tibi possis ac Deo vivere, secessisti. Ocium inquam non iucundius  
tantum quam erant illa negotia, sed omnibus etiam honoribus  
mea quidem sententia magis honorificum. Nam gerere Magistratus  
id quidem plurimis contingit et interdum pessimis. At quum  
habebas maximum, et qui quantum auctoritatis habet ac licentiae  
dum geritur, tantum depositus calumniis obnoxius est; eum sua  
sponte deponere (quod tua paternitas magno labore vix impetravit,  
ut liceret facere) nisi modesto non libet, nisi innocens  
non audet.

Quamobrem huius animi tui nescio modestiorisne qui munus  
tam amplum ac magnificum voluisti relinquere, an sublimioris  
qui potuisti contemnere, an innocentioris qui non metuisti deponere,  
certe optimia ac prudentissimi, multos quidem sed imprimis  
me suffragatorem et admiratorem habes, qui dici non potest  
huic tam rarae felicitati tuae quam impense gratuler, mihi que  
tuo nomine gaudeam; quum tuam paternitatem videam procul ab  
saecularibus negotiis, procul ab forensium tumultu rerum secedentem,  
et gesti magistratus et positi honorifica fama rarissima gloria  
frui; ac reliquum vitae tempus ante actae conscientia laetum,  
clementer ac placide in litteris ac philosophia traducere. Cuius tuae  
condicionis dulcedinem in dies magis ac magis illustrem, mihi mea  
reddit miseria, qui quamquam nihil habeam negotii quod quidem  
memoratu sit dignum [erat nihilo minus quum haec scriberet Consiliarius  
regius, et regni proquaestor et frequenti legatione occupatus]  
tamen ut imbecillae vires facile premuntur parvis rebus,  
ita dstringor assidue ut ne tantulum temporis habeam liberum  
quo tuam paternitatem vel invisam aliquando vel praetermissum  
officium per epistolam excusem, adeo ut vix licuerit has parare  
litteras.

Quibus haud satis lepidum hunc libellum tuae dominationi  
commendarem [Utopiam suam dicit] quem quum Antwerpiensis  
quidam amicus meus [Petrus Aegidius] elapsum potius quam  
elaboratum, amori indulgens suo, editione dignum putavit, atque  
insciente me curavit excudendum, quamquam ipse indignum vel  
hac dignitate tua vel rerum usu vel eruditione tua censeam, tamen  
sum ausus mittere; fretus videlicet tum benignitate tua, qua semper  
soles omnium ingeniis candide favere, tum experto tuo in me  
favore confisus: quo spero fore ut si opus parum per se arrideat,  
Auctor tamen aliquid conciliet gratiae.  
Vale, Praesul amplissime.

32. To a Member of the Royal Court  
<London>

<January 1517>

#32. Member of Court

Ego Utopiam meam uni Cardinali Wolsaero (si non eam ante meus Petrus, me, ut scis, insciente, multasset primum virginitatis florem) animo desponderam; si modo cuiquam, ac non celibem perpetuo apud me servarem aut Vestae forsitan consecrarem; sacrisque eius initiarem ignibus.

33. To Erasmus

<London>

13 January <1517>

MORUS ERASMO S.

MARUFFI syngrapham eiusdem generis esse puto cuius has meas litteras; quas miror si potes legere. Sed ignoscas mihi, dulcissime Erasme; nam neque tempus ad scribendum neque animus ad cogitandum suppetit, tam assiduis negotiis premor. Sed si recepisti pecuniam a Maruffo, scribendum est ad Cantuariensem, quo Maruffus quod solvit recipiat. Egi per epistolam Buslidio nostro gratias. Paludano tute ages nomine meo non minores quam Aegidio; nam quae illi scripserunt, tibi deberi voluerunt. Non credas quam vehemens amator tui, quam acer propugnator studiorum tuorum sit Linacer. Grocinus quamobrem tantopere conventum te voluerit, nondum licuit expiscari; nam is Londinum adhuc nondum venit. Vale, Erasme dulcissime. Raptim die Hilarii.

5

10

34. To Antonio <?Bonvisi>

<London>

<January 1517>

De me quod tale quicquam existimes, ex affectu potius quam iudicio profectum suspicor. Offundit enim plerumque amor ubi altius insederit, hominum cogitationibus tenebras; quod tibi video contigisse, maxime quum Utopia nostra tam impense placuerit, quem ego librum plane dignum censeo qui in sua semper insula delitesceret.

5

37. To Cuthbert Tunstall

<London>

<1517?>

Quod in litteris tuis tam accurate mihi agis gratias de meis officiis in causis tuorum tuendis, facis tu quidem perhumaniter, qui meum factum per se exiguum tua bonitate amplificas, sed pro nostra amicitia timidiuscule, si quicquam a me perfectum tamquam debiturus accipias, ac non velut tuum potius ac tibi debitum officium tuo tibi iure desumas.

5



[Et post multa.]

#37. To C. Tunstall

Succinum quod ad me misisti, pretiosum muscarum sepulchrum,  
 multis nominibus mihi fuit gratissimum. Nam et materia ea est  
 quae colore et luce nullam gemmam non provocet, et forma multo 10  
 praestantior quae cordis figura quasi symbolum quoddam amoris  
 in me tui repraesentat; quem neque avolaturum umquam et semper  
 incorruptum fore, ex eo te intellegi velle interpretor, quod  
 muscam animal neque minus volatile quam est Veneris filius,  
 neque magis durable, sic tamen inclusam atque implicatam succini 15  
 visco video ut non possit effugere, sic aromaticis conditam  
 succis ut non possit interire.  
 Quod non habeo quo te redonem, non valde moveor. Scio enim,  
 te vicissitudinem non exspectare munerum, et ego tibi etiam libens  
 debeo. Sed hoc me angit aliquantulum quod quae meae facultatulae 20  
 tenuitas est, numquam gerere me tam officiose possim, ut non  
 indignus tamen hac tanta amicitiae tuae significatione videar.  
 Quamobrem cum aliis approbare me non possim, necesse est mea  
 conscientia tuaque contentus sim.

40. To Erasmus  
 London  
 16 July <1517>

THOMAS MORUS D. ERASMO ROTERODAMO S. P.

IN magnam me sollicitudinem coniecisti, Erasme carissime,  
 proximis litteris tuis (nam binas accepi), quibus intellego Petrum  
 nostrum neque satis adhuc esse commoda valetudine, et nescio quid  
 praeterea pertimescere. Quod quale sit ut tu divinas magis quam scis,  
 sic utinam quicquid ipse divinas, id mihi quoque fuisses vaticinatus: 5  
 qui nunc quum ne divinare quidem quicquam queam, ut meticulosa  
 res est amor, multa cogor vero fortasse deteriora metuere. Tum hoc  
 male me habet, quod tamquam parum malorum habeant morbus  
 atque aegritudo, uxoris aborsus etim velut in cumulum adiectus  
 est. Vide quam iniqua est rerum vicissitudo mortalium, quibus 10  
 quum prospera non nisi sensum atque gradatim arrepant, adversa  
 cunctim ingerunt sese, raroque accidit ut malum aliquod incommittatum  
 veniat. Sed tamen ut sunt res humanae mutabiles neque omnis dies  
 noverca, spero fore ut omnis eius molestia magno quopiam rursus  
 atque insperato bono rependatur: quod ut quam maturime videam 15  
 in primis mihi votis est.  
 Niger ille Carmelita quod tibi tam iniquus sit, haud hercle miror;  
 homini dissimillimo, nempe indoctus doctissimo ac malus optimo.  
 Sed in Moriam quod invehitur, id vero vix credi potest, homo totus ex  
 Moria conflatus. O hominem insolenter ingratum! Adeon' eum pudet 20  
 imperatricis suae? quae mellitissimam ei filiolum suam philautiam  
 Connubio iunxit stabili propriamque dicavit,  
 qua se perpetuo oblectet, alioqui sibi ipsi non ferendus. Sed nec illud  
 quidem agnoscit deae tam propitiae tam recens beneficium, quae nuper  
 ei tanti muneris candidato sola suffragatorum calculos eblandita est? 25

dum offuso luminibus eorum praestigio, illius divinum oculis afflavit honorem, fecitque uti plausibiliter honoratissimorum hominum praerogativa tanto munere dignus renuntiaretur, scilicet os humerosque deo similis, competitore interim turpiter ob maciem atque calvitium tristibus sapientiae signis eiecto. Ergo fugitivus nunc ingratus debacchatur in dominam, et praetensa τη σοφίας λευκτη μωρίας ουου dissimulat sese. Bene habet quod exstant auriculae saltem, quibus, ut spero, ex ephippiis et phaleris ad clitellas aliquando retrahetur. Sed illius alterius boni senis non possum satis demirari sententiam, qui pius scilicet ac modestus tam immodeste dimicat pro gloria: qua si sic insistet, totus excidet. Quanto melius tu qui lacessitus ad pugnam pacem agitas, itaque temperare statuis stilum ut neque veritatem deseras indefensam et aemulum etiam mitiges, ne res in rabiem exent. Denique hoc est victoria parta remittere triumphum, fructumque studiosorum ducere tua ipsius gloria potioem, ne dissensione Graecorum invalescant barbari, eorum pugna pro se usi. Quam mentis moderationem si cum animi sui magnitudine coniunxisset olim Caesar, clariorem haud dubie famam conservatae ab se reipublicae quam ab omnibus victis ac subiugatis gentibus reportasset. Quamquam ego vel maxime istam ipsam modestiam tuam existimo ab magno atque excelso pectore proficisci. Quid enim ea humilitate sublimius, quae deam ipsam superbiorum despicit ac deridet gloriam? quae te fugientem ita quovis sequitur instatque, ut iam saturo paene fastidio sit. Tabellam quae mihi tuam Petrique nostri imaginem referat non credas quam avide exspectem, quamque male precer illi morbo qui vota mea tam diu remoratur. Dominus Cardinalis amantissimam nuper apud me tui mentionem habuit, et plane videtur tibi magnum aliquod bonum destinare. Epistolam meam, qua scribis te nolle fraudari, Guilielmus meus tam diligenter reposuit ut invenire non possit. Tamen, quando ita vis, ubi ubi sit, inventam et ad te missam curabo. Vale. Londini raptim 16<sup>a</sup> Iulii. Mitto ad te fasciculum ab oratore Veneto atque eius secretario, praeterea ab Episcopo Roffensi.

#40. To Erasmus

30

35

40

45

50

55

41. To Erasmus  
London  
19 August <1517>

THOMAS MORUS ERASMO S. P. D.

DILATUS ac procrastinatus Polgravi nostri cotidie iturientis discessus effecit ut et meas litteras et aliorum serius multo quam aut ego volebam aut tu debebas acciperes. Videbatur enim commodissime relaturus ad te meas, qui tuas ad me attulisset. Sic necesse fuit prioribus praesentes addere, quibus constare tibi dilationis ratio possit, simul uti quid nunc agatur apud nos intellegas: qui si umquam alias, nunc maxime in maerore et periculo versamur, multis undique morientibus, omnibus fere qui Oxoniae, qui Cantabrigiae, qui Londini sunt, intra paucos dies decumbentibus, amissis plurimis optimis

5

atque honestissimis amicis; atque in his (quod tibi quoque dolori esse  
doleo) Andrea nostro Ammonio, in quo et litterae et omnes boni  
magnam fecere iacturam. Is valde sibi videbatur adversus contagionem  
victus moderatione munitus; qua factum putavit ut, quum in  
nullum paene incideret cuius non tota familia laboraverat, neminem  
adhuc e suis id malum attigerit: id quod ipse et mihi et multis  
praeterea iactavit non admodum multis horis antequam exstinctus est.  
Nam hoc sudore nemo nisi primo die perit.  
Ego uxorque ac liberi adhuc intacti, reliqua familia tota revaluit.  
Hoc tibi affirmo, minus periculi in acie quam in urbe esse. Nunc, ut  
audio, saevire Caleti incipit, quum nos eo extrudimur legatione functuri;  
tamquam parum sit in contagione vixisse, nisi sequamur etiam. Sed  
quid facias? Quod sors feret, ferendum eat. Ego animun mihi in  
omnem eventum composui. Tu vale.  
Raptim Londini 19<sup>a</sup> Augusti. [M.D.XX.]

41a. To Peter Gilles  
<London>  
<c. August 1517>

THOMAS MORUS PETRO AEGIDIO SUO. S.P.D.

Impendio me, carissime Petre, delectavit hominis  
illius acutissimi censura quam nosti, qui in Utopiam nostram usus  
est hoc dilemmate: 'Si res ut vera prodita est, video ibi quaedam  
subabsurda. Sin ficta tum in nonnullis exactum illud Mori iudicium  
requiro.' Huic ego, mi Petri, viro, quisquis is fuit (quem et  
doctum suspicor et amicum video) multas magnas habeo gratias.  
Tantum etenim mihi iudicio hoc suo tam ingenuo quantum nescio  
an quisquam alius ab edito libello gratificatus est. Nam primum  
sive mei studio sive ipsius operis illectus, non laboris videtur fuisse  
pertaesus quo minus totum perlegeret neque id quidem defunctorie  
ac praecipitanter quomodo sacerdotes horarias preces solent, videlicet  
hi qui solent, sed ita sensim ac sedulo ut interim singula  
sollerter expenderit, deinde notaris quibusdam idque etiam parce  
declarat, cetera se non tenere sed iudicio comprobasse. Postremo  
his ipsis verbis quibus me sug[g]ilat, tantum tamen attribuit laudis  
quantum non hi qui de industria laudavere. Indicat enim facile  
quam sentiat de me magnifice qui siquid non satis exactum legerit  
ibi quaeritur spe se sua destitui, quum mihi interim supra spem  
accidat, si vel e multis aliqua saltem edere non prorsus absurda  
possim. Quamquam (ut ipse quoque vicissim non minus ingenue  
agam cum illu, non video cur sibi tam occulatus et quod Graeci  
dicunt οξυ δερχθείς videri debeat, qui aut subabsurda quaedam  
in Utopiensium institutis deprehenderit aut me in republica formanda  
quaedam non satis utiliter excogitasse quasi alibi nihil  
usquam gentium sit absurdi, aut quisquam umquam philosophorum  
omnium, rempublicam principem aut domum denique privatam  
sic ordinaverit, ut nihil instituerit quod praestet immutari. Qua  
in re (nisi sancta esset apud me praestantissimorum virorum consecrata

vetustate memoria) possem profecto e singulis aliqua proferre  
 in quibus damnandis universorum calculos essem haud 30 #41a. To Peter Gilles  
 dubie relaturus. Iam quum dubitet vera ne res an commentitia  
 sit, hic vero exactum ipsius iudicium requiro. Neque tamen inficias  
 eo si de republica scribere decrevissem, ac mihi tamen venisset  
 in mentem talis fabulae, non fuisse fortassis abhorriturum ab  
 ea fictione qua velut melle circumlitum suaviuscule influeret in 35  
 animos verum. At cute sic temperassem tamen, ut si vulgi abuti  
 ignoratione vellem litteratoribus saltem aliqua praefixissem vestigia  
 quibus institutum nostrum facile pervestigarent. Itaque si  
 nihil aliud at nomina saltem principis, fluminis, urbis, insulae  
 posuissem talia, quae peritiores admonere posset, insulam nusquam 40  
 esse, urbem evanidam, sine aqua fluvium, sine populo esse principem,  
 quod neque factum fuisset difficile et multo fuisset lepidius  
 quam quod ego feci, qui nisi me fides coegisset historiae non sum  
 tam stupidus ut barbaris illis uti nominibus et nihil significantibus,  
 Utopiae, Anydari, Amaroti, Ademi voluisse. Ceterum, mi Egidii, 45  
 quandoquidem aliquos esse video tam cautos ut quae nos homines  
 simplices et creduli Hythlodaeo referente perscripsimus, ea  
 homines circumspecti ac sagaces aegre adducuntur ut credant, ne  
 pariter mea fides apud eos cum historiae fide periclitari possit,  
 gaudeo licere mihi pro meo partu dicere, quod Therentiana Misis 50  
 ait de Glicerii puero, qui ne suppos[it]itius haberetur, 'Diis Pol,'  
 inquit, 'habeo gratias quia pariundo aliquot affuere liberae.' Etenim  
 hoc mihi quoque accidit per quam commode quia Raphael  
 non mihi modo ac tibi illa sed multis praeterea honestissimis viris  
 atque gravissimis nescio an plura adhuc et maiora, certe neque 55  
 pauciora narravit neque minora quam nobis, quia sine his quidem  
 increduli isti credant Hythlodaeum adire ipsum licet, neque enim  
 adhuc mortuus est. Accipi modo e quibusdam recens e Lusitania  
 venientibus calendis Martiis proximis tam incolumem ac vegetum  
 fuisse hominem quam umquam alias. Exsuscitentur ergo ab ipso 60  
 verum aut quaestionibus si libet exculpant, modo mihi intellegant  
 opera tantum meam, non alienam etiam fidem esse praestandam.  
 Vale, mi carissime Petre, cum uxore lepidissima et scita filiola,  
 quibus uxor mea longam precatur salutem.

43. To His Daughters and Margaret Gyge  
 <1517?>

THOMAS MORUS MARGARETAE, ELISABETHAE, CAECILIAE DULCISSIMIS  
 NATIS ET MARGARETAE GYGE HAUD SECUS AC SI NATA ESSET,  
 CARAE. S.P.D.

Satis explicare non possum, puellae iucundissimae,  
 quam vehementer mihi placeant elegantes epistolae vestrae, nec  
 illud minus quod video vos in itinere quamquam subinde loca  
 mutant, nihil tamen omisisse consuetudinis vestrae, sive in dialecticis  
 exercitationibus, sive in conficiendis declamationibus, sive 5  
 componendis carminibus. Iam plane mihi persuadeo vobis ut par

est, carum esse me, quando absentis tantam rationem vos habere  
 video ut ea certatim agatis quae praesenti scitis voluptati fore.  
 Quem ego animum erga me vestrum ut mihi iucundissimum esse  
 sentio, sic efficiam reversus ut eundem vobis sentiatis utilem. Nam 10  
 hoc habete persuassimum nihil esse quicquam quod me inter haec  
 molesta negotia magis reficit, quam quum ea lego quae proficiscuntur  
 a vobis. Quibus vera esse illa perspicio quae praeceptor  
 vester amatissimus vestri tam amanter scribit de vobis, ut nisi  
 litterae vestrae studium erga litteras egregium declararent, videri 15  
 possit amoris potius indulsisse quam veritati. Nunc vero ex his  
 quae scribitis fidem illi conciliatis, ut ea credam esse vera quae  
 propemodum supra fidem iactat, quam pulchre et quam acute disseritis.  
 Itaque gestit animus domum recurrere, ut discipulum nostrum  
 componamus audiamusque vobiscum, qui paulo segnior est 20  
 hac in re, quod desperare non potest quin vos inventurus sit citra  
 praeceptoris praedicationem subsistere. Quas ego spem concipio  
 (ut novi pertinaces esse vos) praeceptorem ipsum brevi si non  
 disserendo, certe litem non deserendo superaturas. Valete, puellae  
 carissimae. 25

#43. To Daughters

46. To Erasmus  
 Calais  
 7 October <1517>

T. MORUS DESIDERIO ERASMO S. P. D.

PERTULIT tandem Petrus cocles, Erasme carissime, tuam Egidiique  
 nostri diu expetitas effigies; quae quam impense me delectent, proclivius  
 cuivis est e suo sensu consequi quam dicendo mihi. Nam  
 quis vel explicet verbis vel cogitatione non sentiat, quorum hominum  
 vel creta modo vel carbone vultus adumbrati capere etiam quemlibet 5  
 poterant qui non ad omnem litterarum virtutisque sensum prorsus  
 obstupuerat, me vero singulariter etiam permovere talium amicorum  
 qualitercumque repraesentata memoria, eorum nunc mirifice rapi me  
 tanto artificio deliniatis atque expressis imaginibus ut quae veteres  
 facile pictores omnes provocaverint? quas quisquis intuetur, is nimirum 10  
 fusiles eas potius aut sculptiles arbitretur quam pictas: ita porro  
 eminere atque exstare videntur iusta virilis corporis crassitie. Non  
 credas, Erasme mi *ερασμιότατε*, quam valde amorem in te meum, cui  
 nihil adici potuisse ipse mihi persuaseram, studium hoc tuum artius  
 adhuc obligandi me intenderit, quamque ego vehementer hac triumpho 15  
 gloria, quod tanti abs te aestimor ut tam egregio monumento declares  
 non alium esse quemquam a quo tu amari malis. Nam sic ipse certe  
 —satis pol superbe, sed tamen sic—interpretor, quod istud abs te  
 missum est mihi quo non in dies modo sed in horas etiam tui apud  
 me memoria renovetur. Equidem scio me sic perspectum tibi ut non 20  
 sit in eo mihi valde laborandum, me ut tibi probem (quamquam multis  
 alioquin ineptiis non vaco) vacare saltem longissime ab Trasonicis  
 affectibus. Sed tamen, ut verum fatear, unum hunc pruritum gloriae  
 excutere profecto non possum, quo mirum quam suaviter titillor,

quoties animum subit sere demum posteritati me Erasmi amicitia 25 #46. To Erasmus  
litteris, libris, tabulis, omnibus denique modis contestata commendandum.  
Utinam ea mihi facultas esset quae insigni aliquo  
documento possit efficere ne indignus amore tam impenso viri, cum  
suo saeculo, tum secuturis aetatibus incomparandi, videar! Sed quum  
tam longe supra meam hanc mediocritatem sit ullo meo facto praestare 30  
illud ut mundus intellegat, sedulo certe enitar ut saltem non ingratus  
esse tuo unius testimonio comprober.  
Apologiam tuam perlegi studiosissime: qua certe sic affectus  
sum ut eloquentiam tuam, quum nusquam magis viderim, nusquam  
minus sim admiratus. Quippe illud mihi sustulit admirationem, 35  
quod in tam facili causa cuiusvis licet esse disserto, non tibi modo, qui  
facilem possis facere ex difficillima. Peream ni miseret eius me,  
hominem suae scholae plausu eo progressum atque incitatum ut ad  
ostentationem virium eam sibi declamandam sumpserit controversiam,  
qua nihil umquam fuit magis *ἀσύστατον*: est enim maxime 40  
*επερορρηπες*. Spero fore ut hac monitione tua respiscat. Placuit  
milifice mihi ut omnia sed tamen notabiliter figura qua *κενοδοξίαν*  
eius facete reprehendis, qui secundam editionem suam videri voluerit  
annotationibus tuis priorem; quum tamen in eadem cum tuis depugnet,  
pugnet, nondum factis scilicet. 45  
Scriptorem tuum dimisi in Angliam datis grossis decem in viaticum;  
Petro nobilem, quod erat eam adducenti tabulam perpusillum,  
sed ille equi consulebat. Opto prospere tibi ac feliciter cedat munus  
quod misisti Principi De instituendo principe. Valde me perculit,  
per immortalem Deum, mors Buslidii, hominis quum non vulgariter 50  
eruditi, tum animi et amantis in nos atque in omnes candidi. Mihi  
adeo hic desidendum est a principio Septembris, ut vix duos dies  
impetrare licuerit, quibus ad oppidum Audomari transcurrerem, praecipue  
ut Abbatem viderem saltem sancti Bertini, quem tu mihi olim  
descripseras. Repperi plane talem, invitatus atque exceptus largiter 55  
ab illo in convivium. Homo prolixo quosvis [accipiens], me vero  
valde effuse: senex iucundissimus ad memoriam tui reiuvenescens.  
Vale, carissime Erasme.  
Tunstallus in Angliam rediit. Iterum vale. Caleti vii die Octobris.

47. To Peter Gilles  
<Calais>  
7 October <1517>

THOMAS MORUS PETRO AEGIDIO SUO S.D.

Mi carissime Petre, salve. Misere cupio ecquid tu  
convalescas intellegere; quae res non minori mihi curae est quam  
quidvis mei: itaque et inquiri diligenter et omnes omnium voces  
excipio sollicitus. Aliquot mihi meliores de te spes renuntiarunt,  
seu (quod opto) compertas, sive ut desideriiis meis inserviant. 5  
Scripsi litteras Erasmo nostro. Eas tibi apertas mitto; signabis ipse:  
nihil opus est quod illi scribitur clausum ad te venire. Versiculos  
quos in tabellam tam inscire feci quam illa scite depicta est, ad

te perscripsi. Tu si digna videbuntur, Erasmo impartiri; alioqui Vulcano dedas.	10	#47. To Peter Gilles
Vale vii octobris. Versus in tabulam duplicem, in qua Erasmus ac Petrus Aegidius simul erant expressi per egregium artificem Quintinum, sic ut apud Erasmum exordientem Paraphrasin in epistolam ad Rhomanos picti libri titulos praeferrent suos, et Petrus epistolam teneret Mori manu inscriptam ipsi, quam et ipsam pictor effinxerat.	15	
TABELLA LOQUITUR		
Quanti olim fuerant Pollux et Castor amici, Erasmum tantos Egidiumque fero. Morus ab his dolet esse loco, coniunctus amore Tam prope quam quisquam vix queat esse sibi. Sic desiderio est consultum absentis, ut horum Reddat amans animum littera, corpus ego.	20	
IPSE LOQUOR MORUS		
Tu quos aspicias, agnitos opinor Ex vultu tibi, si prius vel umquam Visos; sin minus, indicabit altrum Ipsi littera scripta: nomen alter, Ne sis nescius, ecce scribit ipse; Quamquam is qui siet, ut taceret ipse, Inscripti poterant docere libri Toto qui celebres leguntur orbe. Quintine o veteris novator artis, Magno non minor artifex Apelle, Mire composito potens colore Vitam affingere mortuis figuris; Hei cur effigies labore tanto Factas tam bene talium virorum, Quales prisca tulere saecula raros, Quales tempora nostra rariores, Quales haud scio post futura an ullos, Te iuvat fragili indidisse ligno, Dandas materie fideliori, Quae servare datas queat perennes? O si sic poteras tuaeque famae et Votis consuluisse posterorum! Nam si saecula quae sequentur ullum Servabunt studium artium bonarum, Nec Mars horridus obteret Minervam, Quanti hanc posteritas emat tabellam?	25	
Mi Petre, cum omnia mirifice Quintinus noster expresserit, quam mirificum in primis falsarium videtur praestare posse! nam ita inscriptionem litterarum ad te mearum imitatus est ut ne ipse quidem idem iterum possem itidem. Quare nisi aut ille in suum aliquem usum aut tu in tuum eam servas epistolam, remitte rogo ad me: duplicabit miraculum apposita cum tabella. Sin aut perierit aut vobis usui erit, ego experiar meae manus imitatore ipse rursus imitari.	30	
Vale cum lepidissima coniuge.	35	
	40	
	45	
	50	
	55	

## #48. To Edward Lee

48. To Edward Lee  
<Autumn 1517>

Quod vero, mi Laee, rogas, ne quid amoris erga te mei  
imminuam, confide, mi Laee, mihi, etiam si in hac causa aequior  
in eam partem sum quae oppugnatur; at sicut optem ab urbe  
salvas abduci copias, te tamen amabo semper, et amorem abs te  
meum tanti fieri gaudeo. Nec in tuam rem sicubi causa postulet 5  
incumbam segnius quam in hanc inclino. Usque adeo ut si certe  
quid edideris aliquando tuum (nam editurum te multa non dubito)  
si vel Erasmus in alienum opus curiosos iniecerit oculos, ac  
totum opposito conetur opusculo demoliri (quamquam aliquanto  
meliore loco videretur, quod nisi retaliaret iniuriam) ipse tamen 10  
tecum quantumvis infirmis viribus, firmissima voluntate praestabo.  
Vale, mi Laee carissime.

52. To Erasmus  
Calais  
25 October <1517>

THOMAS MORUS D. ERASMO S. P. D.

Accepi, mi Erasme, literas ab Ventfordo, quas per eundem tabellarium  
protinus ad te transmitto: ex quibus hominem facile deprehendes  
antiquum adhuc morem obtinere. Non petam ut ignoscas  
quod tuas aperui; vides enim ut scriptae tibi sic mihi inscriptae 5  
sunt. Nec dubito quin eodem errore ad me contra scriptae sint quae  
sunt inscriptae tibi; quarum ego legendarum tam avidus eram ut  
resignare non libuerit. Si quid in his videris quod me putabis velle  
scire (quod ego certe non puto), significa. Opinor ad te perlatas  
quibus te certiore facio de recepta tabula; de qua rursus, ac milies,  
mi Erasme, rursus, tibi ago gratias. De Petro tuo postquam ivit 10  
in Angliam nihil audio. Utinam ibi tuum vere dignum rege munus  
aliquid tibi ab Rege conciliet boni! Feliciter tibi cedat quod iniunxit  
*Ἀυτόκράτορ*: nam ipsi succedit nihil, immo per Deum omnia. Tuum  
consilium proba, qui non vis principum negotiosis nugis implicari:  
et me plane amas, quum iisdem optas ut extricer, in quibus haud 15  
credas quam invitus versor; neque potest quicquam esse odiosius  
quam haec est legatio. Nam et relegatus sum in oppidulum maritimum  
et solo et caelo iniucundum; tum domi qui meapte natura  
vehementer ab litibus abhorream, etiam quum lucrum afferunt,  
quantum necesse est hic afferant taedium, quum veniant comitatae 20  
damno. Sed dominus benigne pollicetur omnia repensurum Regem.  
Quum recepero, faciam ut scias. Interim vale; tu fortassis ultra  
non optas. Domino Leo multam ex me salutem dicito, et Palgravo  
nostro, si rediit. Iterum vale. Caleti. xxv. die Octobris. [M.D. XX]



54. To Erasmus  
Calais  
5 November <1517>

#54. To Erasmus

THOMAS MORUS ERASMO SUO S. P. D.

HODIE litteras abs te accepi, simul ad Coletum atque Roffensem una cum libello. Curabo quam primum ut perferantur, ne libellus amittat gratiam novitatis. Quum epistolam legerem, mirabar cur non ad Cantuariensem quoque scripsisses, ut rem tuam ipse tractares apud eum; apud quem profecto, ni fallor, nemo alius tantum potest. Quamquam si per me malis, et efficacius putas a praesente rem agi posse quam per epistolam, libentius id faciam quam iusseris: sed non erit perficiendi facultas tam cito quam ego tuam rem vellem fieri. Nam hoc solemne est apud nos, a legatione redeuntem recta Regem petere, nec obiter ad quemquam divertere. Ad hoc, negotia nostra tam lente procedunt ut verear ne sit diutius hic morandum quam aut speravi aut e re sit mea: nisi forte nihil videbitur hic spei quare sit manendum. Interim tamen si tu voles, res agi potest per litteras: nec dubito quin voles. Sic agam ergo ut deponatur huius anni pensio apud Maruffum et syngrapha mittatur ad te. Sed de redimenda pensione mihi certe non videtur agendum: quum quod nemo est qui debeat redimere, nisi is qui, ut ego audio, nihil habet unde possit; tum quod vereor ne Archiepiscopus sic interpretetur tamquam a nobis animum prorsus abieceris. Quamobrem de redemptione rursus cogita: si decreveris, ego non deero. Interim ipse de solutione tractabo, nec mihi videris facturus male si tuas etiam litteras addideris; id quod fortassis exspectat. Gaudeo Paraphrasim sub prelo esse. Invideo medius fidius Lovanio, cui tantum contigit beneficium quantum, ut video, vix agnoscit. Sed is de quo scribis, aut ego fallor aut numquam mutabitur. Tunstallus plane sentit te nimium bonum esse, qui ei toties deceptus pergas credere. Paceus adhuc non redit, neque scire possum quando sit rediturus: sed neque comminisci queo quid habeat negotii. Certe quantum inquirendo comperire possum, iam diu nihil est neque cum Imperatore neque cum Elvetiis: nec tamen licet remigrare domum, quum plus, opinor, quam annum iam Constantiae desederit. Miror ab illo non redditum tibi librum. Scribam ad eum de hac re diligentissime; neque enim quicquam at quod malim perfici vel litterarum causa vel mea, quoniam sentio te meditari in eo opere ut exstruas amicitiae nostrae monumentum, quod ego pyramidibus omnibus et omnibus mausoleis antefero. De Hermanno videris ipse. Erga Battum certe sic olim tua praedicatione sum affectus ut eius memoriae propemodum perinde ac meae faveam. Tantum tibi cogitandum est quo pacto nos coniunges cum illo qui me vix viro, immo ne viro quidem, decessit. Sed ista commode tu machinaberis. Sed heus tu, proximus sum egomet mihi. Partem paciscor plane proximam tibi. Loquacior sum, ut scis, quam ut esse patiar persona muta, praesertim in ea comoedia ex qua mihi immortalitatem spondeam. Vale, mi carissime Erasme. Gaudeo versiculos meos in tabellam

tibi placuisse. Tunstallus hendecasyllabos plus satis laudavit, hexastichon moderate. Sed id fraterculus quidam ausus est etiam reprehendere, quod vos Castori et Polluci conferebam, quos dicebat potius comparari debuisse Theseo ac Pirithoo aut Pyladi et Oresti, qui, quod vos estis, invicem erant amici, non fratres. Ego fraterculum ne vera quidem dicentem potui ferre, resecutus hominis bonam operam malo epigrammate. 50

Duos amicos versibus paucis modo  
Magnos volens ostendere,  
Tantos amicos dixeram quanti olim erant 55  
Castorque Polluxque invicem.  
'Fratres amicis' ait 'inepte comparas'  
Ineptiens fraterculus.  
'Quid ni?' inquam. 'An alteri esse quisquam amicior  
Quam frater est fratri potest?' 60  
Irrisit ille inscitiam tantam meam,  
Qui rem tam apertam nesciam.  
'Est ampla nobis' inquit 'ac frequens domus  
Plus quam ducentis fratribus,  
Sed ex ducentis pereo si reperis duos 65  
Fratres amicos invicem.'  
Iam iterum vale, Caleti. v. Novembris. raptim, valde festinante  
tabellario, urgente, opinor, illum auriga.

57. To John Fisher  
<c. 1517-1518

In Aulam (quod nemo nescit et Princeps ipse mihi ludens interdum libenter exprobrat) invitissimus veni. In qua adhuc non minus male haereo quam quisquam equitandi insolens haeret in sella. Sed Princeps (a cuius intimo favore longe absum) tam comis est ac benignus universis, ut quivis (cui paululum insit plusculae spei) inveniatur, unde possit ei semet interpretari carissimum, more matronarum Londinensium, quibus persuasum est Deiparae Virginis imaginem quae prope arcem visitur, ubi pressius intuentes eam apprecatae sunt, arridere. Sed ego neque tam felix sum ut tam beata signa conspiciam, et abiectioris animi quam ut ipse mihi confingam. Ceterum tanta est virtus et doctrina Regis et in utroque cotidie velut de integro invalescens industria, ut quo magis ac magis eius Maiestatem video bonis vereque regiis artibus increscere, eo minus minusque sentiam aulicam hanc vitam mihi ingravescere. 15

60. To the University of Oxford  
Abingdon  
29 March <1518>

THOMAS MORUS REVERENDIS PATRIBUS, COMMISSARIO PROCURATORIBUS,  
AC RELIQUO SENATUI SCHOLASTICORUM OXON IENSIUM.

SALUTEM. P.D

#60. To Oxford

Dubitavi nonnihil, Eruditissimi Viri, liceretne mihi de  
 quibus nunc decrevi rebus ad vos scribere; nec id usque adeo stili  
 respectu mei dubitavi, (quamquam quum ipsum quoque pudet in  
 coitum prodire virorum tam eloquentium) quam ne videri nimium  
 superbus possim, si homuncio non magna prudentia, 5  
 minore rerum usu, doctrina vero minus quam mediocri, tantum  
 mihi arrogem, ut ulla in re, sed praecipue litteraria, consilium dare  
 unus audeam vobis omnibus, quorum quivis ob eximiam eruditionem  
 prudentiamque sit idoneus, qui multis hominum millibus  
 consulat. 10  
 Verum contra (Venerandi Patres) quantum me primo conspectu  
 deterruit, singularis ista sapientia vestra tantum me penitius  
 inspectu recreavit, quum subiit animum, sicuti stulta atque arrogans  
 inscitia neminem dignatur audire; ita quo quisque est sapientior  
 doctiorque, eo minus sibi ipsi confidere aut cuiusquam aspernari 15  
 consilium. Sed et hoc me vehementer animavit, quod nemini  
 umquam fraudi fuit apud aequos iudices, quales vos imprimis estis,  
 etiamsi quis in consulendo non satis prospexisse videatur; sed laudem  
 semper gratiamque meruisse consilium, quod quamquam non  
 prudentissimum, fidum tamen fuerit, et amico profectum pectore. 20  
 Postremo, quum apud me considero, quod hanc quantulamcumque  
 doctrinam meam, secundum Deum, vestrae isti Academiae acceptam  
 ferre debeo, unde eius initia retuli, videtur a me officium  
 meum fidesque in vos exigere, ne quidquam silentio transeam,  
 quod vos audire utile esse censeam. 25  
 Quamobrem quum in scribendo totum periculum in eo viderem  
 situm, si me quidam nimis arrogantem dicerent, contraque intellegerem,  
 silentium meum a multis damnari, ingratitude posse;  
 malui omnes ut me mortales audaculum praedicarent, quam quisquam  
 ingratum iudicaret, in vestram praesertim scholam, cuius 30  
 honori tuendo vehementer ipse me devinctum sentiam; maxime  
 quum res sit tanta, quanta profecto, ut mea fert opinio, nulla multis  
 iam annis obtigit, quae (si honori commodoque gymnasii vestri  
 bene consultum vultis) exactius fuerit vestra gravitate  
 animadvertenda. 35  
 Ea res cuiusmodi sit accipite. Ego quum Londini essem, audivi  
 iam nuper saepius, quosdam scholasticos Academiae vestrae, sive  
 Graecarum odio litterarum, seu pravo quopiam aliarum studio;  
 seu, quod opinor verius, improba ludendi nugandique libidine, de  
 composito conspirasse inter sese, ut se Troianos appellent. Eorum 40  
 quidam (senior quam sapientior, ut ferunt) Priami sibi nomen  
 adoptavit, Hectoris alius, alius item Paridis, aut aliorum cuiuspian  
 veterum Troianorum, ceterique ad eundem modum, non  
 alio consilio, quam uti per ludum iocumque, velut factio Graecis  
 adversa, Graecarum litterarum studiosis illuderent. Itaque hac ratione 45  
 factum aiunt, ne quisquam eius linguae quidquam qui degustasset,  
 aut domi suae, aut in publico possit consistere, quin digito  
 notetur, cachinno rideatur, et appetatur scommatibus, ab aliquo  
 ridiculorum illorum Troianorum; qui nihil rident aliud nisi quas

solas nesciunt, omnes bonas litteras; usque adeo ut in Troianos istos aptissime quadrare videatur vetus illud adagium, Sero sapiunt Phryges.	50	#60. To Oxford
Hac de re quum assidue multos audirem multa referentes, quamquam et displiceret omnibus, et mihi in primis esset acerbum, scholasticos esse aliquot apud vos, qui talibus ineptis, et otio abuterentur suo, et bonis aliorum studiis essent molesti; tamen quoniam videbam numquam undique sic posse prospici, ut e tanta hominum turba, omnes et saperent, et frugi modestique essent, coeperam apud me rem pro levi ducere.	55	
Ceterum posteaquam huc Abingdoniam invictissimum Regem sum comitatus, accepi rursus ineptas illas in rabiem demum coepisse procedere. Nempe nescio quem e Troianis illis hominem, ut ipse sentit, sapientem, ut fautores eius excusant, hilarem atque dicaculum, ut alii iudicant, qui facta eius considerant, insanum, hoc sacro ieiunii tempore, contionibus publicis, non modo contra Graecas litteras et Latinarum politiem, sed valde liberaliter adversus omnes liberales artes blaterasse. Tum quo sibi tota res congrueret, neu tam stolidum sermonis corpus uteretur sano capite, neque integrum ullum Scripturae caput tractavit, quae res in usu fuit veteribus, neque dictum aliquod brevius e Sacris Litteris, qui mos apud nuperos inolevit, sed thematum loco delegit Brytannica quaedam anilia proverbialia; itaque non dubito sermonem illum tam nugacem vehementer offendisse eos qui intererant, quum eos videam omnes tam iniquis auribus rem accipere, qui vel frustatim inde quidquam audiunt, quorum quotus quisque est, qui modo vel scintillam habet Christianae mentis in pectore, qui non lamentatur maiestatem sacrosancti contionatoris officii, quod mundum Christo lucrifacit, nunc ab his violari potissimum, quorum officio potissimum incumbit eius muneris auctoritatem tueri! In quod contionandi officium, quae potuit excogitari contumelia insignior, quam, qui contionatoris nomen profitetur, eum in sacratissimo totius anni tempore, magna Christianorum frequentia, in ipso Dei templo, in altissimo pulpito, velut ipsius Christi solio, in venerabilis Christi corporis conspectu, quadragesimalem sermonem in Bacchanales convertisse nenias? Quo vultu credimus auditores eius stetisse, quum illum, a quo spiritualem sapientiam venerant audituri, gesticulantem et ridentem, cachinnosque edentem e pulpito simii in morem cernerent; et cum pia mente verba vitae exspectassent, abeuntes nihil audisse recordarentur, praeter oppugnatas litteras, et praedicandi officium ineptia praedicatoris infamatum. At quod saeculares disciplinas omnes insectatur, si bonus ille vir mundo se procul subducens diu vitam traduxisset in heremo, atque inde repente prodiens isthac oratione uteretur, insistendum esse vigiliis, orationi, ieiuniis, hac via gradiendum, si qui caelum petant; cetera nugae esse; quin ipsarum etiam studium litterarum compedum vice esse, rusticos atque indoctos expeditius ad caelum provolare; ferri utcumque fortassis haec oratio a tali persona posset, et veniam mereretur simplicitas, quam qui audirent benigne, interpretarentur sanctimoniam, qui vero gravissime, piam saltem atque devotam inscitiam.	60 65 70 75 80 85 90	
	100	

At nunc quum vident in suggestum scandere, hominem paenulatum,  
 humeros instratum velleribus, habitu qui profiteatur litteratum;  
 atque inde in medio Academiae, quo nemo nisi litterarum  
 causa venit, palam contra omnes fere litteras debacchari, istud  
 profecto nemo videt, qui non caecam putet atque insignem malitiam, 105  
 superbamque adversus meliores invidiam. Quin demirantur  
 multi vehementer, quid homini in mentem venerit, cur putaret  
 sibi praedicandum aut de Latina lingua, de qua non multum intellegit,  
 aut de scientiis liberalibus, e quibus adhuc minus intellegit,  
 aut postremo de Graeca lingua, cuius *ὀδὲ γρη* intellegit, quum ei 110  
 tam uberem suppeditare materiam potuissent septem peccata mortalia,  
 res nimirum contionibus idonea, tum cuius creditur ipse  
 neutiquam imperitus, qui quum sic institutus sit, uti quicquid  
 nescit, id reprehendere malit quam discere, quid est, si haec inertia  
 non est? 115  
 Ad haec quum palam infamat quoscumque scire quidquam deprehenderit,  
 quod ipse quo minus addiscat, segnitias aut ingenii  
 desperatio prohibet, annon haec invidia est? Denique quum nullum  
 scientiae genus in pretio vellet esse, nisi quod ipse scire se  
 falso sibi persuaserit, atque ab ignorantia maiorem sibi laudem arroget 120  
 quam ab scientia quorundam fert modestia; numnam haec  
 suprema est superbia? Itaque quod ad saeculares litteras pertinet,  
 quamquam nemo negat salvum esse quemquam sine litteris, non  
 illis modo, sed prorsus ullis posse, doctrina tamen, etiam saecularis,  
 ut ille vocat, animam ad virtutem praeparat; quae res ut ut sese 125  
 habeat, nemo saltem dubitat, litteras unam prope atque unicam  
 esse rem, propter quam frequentatur Oxonia, quandoquidem  
 rudem illam et illitteratam virtutem quaevis bona mulier liberos  
 suos ipsa docere, non pessime posset domi; praeterea non quisquis  
 ad vos venit, protinus ad perdiscendam theologiam venit, oportet 130  
 sint qui et leges perdiscant.  
 Noscenda est et rerum humanarum prudentia, res adeo non  
 inutilis theologo ut absque hac sibi fortassis intus non insuaviter  
 possit canere, at certe ad populum inepte sit cantaturus: quae  
 peritia haud scio an alicunde uberius, quam e poetis, oratoribus 135  
 atque historicis hauriatur. Quin sunt nonnulli, qui cognitionem  
 rerum naturalium, velut viam sibi, qua transcendant in supernarum  
 contemplationem, praestruunt, iterque per philosophiam,  
 et liberales artes, (quas omnes iste saecularis nomine litteraturae  
 damnat) iter faciunt ad theologiam, spoliatis videlicet Ægypti 140  
 mulieribus in reginae cultum. Quam theologiam (quoniam hanc  
 solam videtur admittere, si vel hanc admittat) non video tamen  
 quo pacto possit attingere, citra linguae peritiam, vel Hebraeae,  
 vel Graecae vel Latinae, nisi forte sibi persuasit homo suavis, satis  
 [in] id librorum scriptum esse Brytannice, aut totam prorsus 145  
 theologiam putat intra septem illarum claudi quaestionum, de  
 quibus tam assidue disputant, in quas pernoscendas, pars exigua  
 fateor linguae Latinae suffecerit.  
 Verum enim vero, intra litteras angust[i]as, augustam illam caeli  
 reginam theologiam sic coerceri pernego, ut non praeterea sacras 150  
 incolat atque inhabiret Scripturas, indeque per omnes antiquissimorum

ac sanctissimorum Patrum cellas peregrinetur, Augustini dico, Hieronymi, Ambrosii, Cypriani, Chrysostomi, Gregorii, Basilio, atque id genus aliorum, quibus (ut nunc contemptim vocant) positiva scribentibus, theologiae studium stetit, a Christo passo, plus annis mille, priusquam argutae istae nascerentur, quae iam prope solae ventilantur, quaestiunculae. Quorum opera Patrum quisquis a se iactat intellegi, sine suae cuiusque eorum linguae non vulgari peritia, diu id iactabit imperitus, prius quam ei periti credant. 155

At si nunc velamen ineptiae suae contionator ille praetexat, non saeculares ab se damnatas litteras, sed immoderata earum studia; non video in eam partem tam passim peccari, ut opus fuerit, publica contione corrigi, ac revocari velut in praeceps ruentem populum. Neque enim valde multos audio in hoc litterarum genere eo usque pervasisse, quin paulo adhuc progressi longius, aliquanto tamen citra medium subsisterent. Ceterum ille bonus vir, ut facile declararet, quam longe ab ea sermonis moderatione abesset; quicumque Graecas appetere litteras, aperte vocavit haereticos, ad haec lectores earum diabolos maximos denotavit; auditores vero diabolos etiam illos, sed modestius, et, ut ipsi videbatur facete, minutulos. Itaque hoc impetu, immo ista furia, sanctus iste vir, diaboli vocabulo notavit virum quendam, quem omnes talem esse sciunt, qualem is qui vere diabolus est, perquam aegre ferret, contionatorem fieri; quamquam haud nominatim citavit hominem, 160

verum tam aperte tamen hominem designavit, ut omnes tam intellegerent quem notaret, quam ipsum qui sic notasset, notarent amentiae. 175

Haud ita, viri litteratissimi, desipio, ut in me sumam Graecarum patrocinium litterarum, apud prudentias vestras, quibus facile intellego, earum utilitatem perspectam esse prorsus et cognitam, etenim cui non perspicuum est, quum in ceteris artibus omnibus, tum in ipsa quoque theologia, qui vel optima quaeque invenere, vel inventa tradiderunt accuratissime, fuisse Graecos? Nam in philosophia, exceptis dumtaxat his, quae Cicero reliquit et Seneca, nihil habent Latinorum scholae, nisi vel Graecum, vel quod e Graeca lingua traductum est. 180

Taceo Novum Testamentum, totum fere primo scriptum Graece. Taceo vetustissimos quosque atque peritissimos sacrarum litterarum interpretes fuisse Graecos, Graeceque scripsisse, hoc certe non sine eruditorum omnium consensu dicam, quamquam iam olim quaedam translata sunt, et multa iam nuper melius; tamen neque dimidium Graecorum voluminum, Latine donatum est, neque quicquam fere sic a quoquam versum, ut non idem adhuc in sua lingua legatur aut emendatius, aut certe efficacius, eamque ob causam veterum quisque Doctorum Latinae Ecclesiae, Hieronymus, Augustinus, Beda, multique itidem alii, sedulo se dederunt perdiscendo Graecorum sermonem; idque pluribus libris iam tum traductis, quam multi nunc, qui sibi impendio videntur eruditi, solent legere. Nec didicere solum, sed posteris consuluerunt etiam, his imprimis, qui vellent esse theologi, idem ipsi ut facerent. 195

Quamobrem, non est, ut dixi, consilium apud prudentias vestras 200

Graecae linguae studium defendere; sed pro meo in vos officio  
 potius inhortari, ne quemquam permittatis, aut publicis contionibus,  
 aut privatis ineptis a Graecarum studio litterarum deterreri, 205  
 apud Academiam vestram, quam linguam universa sanxit Ecclesia  
 in omni schola docendam esse. Itaque pro prudentia vestra facile  
 videtis, non omnes prorsus esse stupidos, qui ex vestris, Graecae  
 sese linguae dederunt, verum aliquot ex his esse eiusmodi, ut  
 vestra schola, non in hoc regno tantum, sed per exteras etiam 210  
 gentes, eorum fama doctrinae, multum verae gloriae sit consecuta,  
 praeterea multos iam coepisse videtis, quorum exempla sequentur  
 alii, multum boni vestro conferre Gymnasio, quo et omnigenam  
 litteraturam, promoveant, et modo nominatim Graecam, quorum  
 nunc fervidus in vos affectus, mirum in modum frigescat, si tam 215  
 pium propositum suum ludibrio isthic haberi sentiant, praesertim  
 quum Cantabrigiae, (cui vos praelucere semper consuevistis), illi  
 quoque qui non discunt Graece, tamen communi scholae suae  
 studio ducti, in stipendium eius qui aliis Graeca praelegit, viritim,  
 quam honeste contribuunt. 220  
 Haec, inquam, vos videtis, multaue item alia, quibus inveniendis  
 ingenioli mei parvitas non sufficit, cui propositum est potius  
 eorum vos commonefacere, quae alii dicunt ac sentiunt, quam  
 quid vos facere deceat consulere, qui multo acutius quam ego facio  
 perspicitis, nisi tales improbe suborientes factiones mature comprimatis, 225  
 fore ut pluribus paulatim contagione infectis, peior pars  
 in maiorem tandem possit excrescere: atque ita futurum, alii ut  
 cogantur in vestrum, qui boni ac sapientes estis, auxilium manus  
 apponere; nam ego certe neminem esse reor, qui ullo tempore  
 umquam fuit e vobis, quin Academiae vestrae statum, tam ad se 230  
 pertinere ducat, quam ad ipsos vos qui nunc vivitis ibi.  
 Neque dubitandum est, quin Reverendissimus in Christo Pater,  
 Cantuariensis Antistes, qui et cleri totius nostri Primas est, et  
 vester Cancellarius, non erit hac in re ulla ex parte remissus, idque  
 vel cleri causa vel vestra, quorum utriusque valde sentit interesse, 235  
 ne studia isthic intercidant; intercident autem, si contentionibus  
 laborante Gymnasio, a stultis passim atque inertibus artes bonae  
 permittantur impune derideri.  
 Quid autem Reverendissimus in Christo Pater Cardinalis Eboracensis,  
 qui et litterarum promotor, et ipse litteratissimus Antistes 240  
 est? an is bonarum artium et linguarum studium impune apud vos  
 ludibrio haberi patienter ferat, ac non potius adversus sciolos istos  
 contemptores earum, et doctrinae, et virtutis, et auctoritatis suae  
 aculeos est exserturus?  
 Denique Christianissimus Princeps noster, cuius sacra Maiestas 245  
 bonas artes omnes tanto favore prosequitur, quanto principum  
 umquam quisquam, et qui praeterea tantum habet eruditionis ac  
 iudicii, quantum hactenus Principum habuit nemo, numquam  
 haud dubie pro immensa prudentia sua, tantaque in Deum pietate  
 patietur bonarum artium studia, malorum atque inertium studiis 250  
 hominum in eo dilabi loco, in quo maiores eius clarissimi, clarissimum  
 Gymnasium statuerunt; quod non solum sit ex vetustissimis,  
 unde multi tantae eruditionis exorti sunt, ut non Angliam

solum, sed et totam illustrarint Ecclesiam, verum etiam quod pluribus  
 Collegiis ornatum est, (quibus perpetui proventus assignantur  
 ad alendos studiosos), quam ut sit, extra suum regnum, Academia  
 255 #60. To Oxford  
 ulla, quae cum isto Gymnasio vestro in ea una re conferri aut  
 comparari possit, quorum omnium Collegiorum hic scopus est,  
 et tantum istic apud vos proventum non aliam ob causam collatum  
 est, quam ut magnus scholasticorum numerus, liber a  
 260  
 parandi victus sollicitudine, bonas ibi artes perdisceret.  
 Verum ego nihil dubito prudentias vestras facile rationem inituras,  
 qua contentiones istas et ineptissimas factiones ipsi compescatis,  
 curaturasque ut omne genus bonarum litterarum, non  
 modo vacet irrisu atque ludibrio, sed in pretio quoque atque  
 265  
 honore habeatur. Qua vestra diligentia, et multum bonis studiis  
 apud vos proderitis et Illustrissimum Principem nostrum, dictosque  
 Reverendissimos in Christo Patres vix dici potest quantum  
 demerebimini. Me vero ipsum, qui haec omnia ob ingentem  
 270  
 amorem meum erga vos hoc tempore, hac manu mea scribenda  
 esse duxi, mirabiliter profecto devincietis; cuius studium et operam  
 in vestram utilitatem paratissima, non universi modo, sed singuli  
 quoque vestrum praesto sibi fore intellegent,  
 Deus clarissimam istam Academiam vestram servet incolumem,  
 reddatque in dies magis magisque bonis litteris omnibus et virtute  
 275  
 florentem.  
 Abingdoniae quarto Calend. April.  
 Thomas Morus.

62. To Erasmus  
 <Oxford?>  
 <? May 1518>

RHENANUM mire deamo et honestissimae praefationis gratia multum  
 debeo; cui iam olim per litteras egissem gratias, nisi me  
 ineluctabilis illa pigritiae chiragra tenuisset.

63. To William Gonell  
 At Court  
 22 May <1518?>

Accepi, mi Gonelle, tuas litteras quales esse semper  
 solent, hoc est, elegantissimas, amorisque plenissimas. Affectum  
 tuum in liberos meos ex tuis litteris perspicio, diligentiam ex  
 ipsorum: quorum nemo fuit, cuius epistola mihi non perplacuerit.  
 5  
 Sed illud super omnia quod Elisabetham sentio eam morum  
 modestiam absente matre praestitisse quam non quaevis praesente  
 solent. Eam rem fac intellegat gratiorem mihi quam omnes omnium  
 litteras esse mortalium. Nam ut doctrinam, quae cum virtute  
 coniuncta sit, universis regum thesauris antepono, ita si  
 morum probitatem seiunxeris, quid aliud affert fama litterarum,  
 10  
 quam celebrem et insignem infamiam? praesertim in femina,



cuius eruditionem velut rem novam et virilis ignaviae redargutricem  
 plerique libenter invadent, et naturae malitiam transferent  
 in litteras, rati ex peritiorum vitiis inscitiam suam virtutis vice fore.  
 Quod si contra quaepiam (id quod meas omnes opto, et spero 15  
 certe te praeceptore, facturas) egregiis animi virtutibus vel mediocrem  
 litterarum peritiam astruxerit, huic ego plus accessisse veri  
 boni puto, quam si Craesi divitias cum Helenes forma consequeretur.  
 Non quod ea res gloriae futura sit, quamquam ea quoque  
 virtutem velut umbra corpus comitabitur, sed quod solidius est 20  
 Sapientiae praemium, quam ut vel cum divitiis auferri vel cum  
 forma deperire queat: utpote quod a recti conscientia non ab aliorum  
 sermone pendeat, quo nihil est neque stultius neque  
 pestilentius.  
 Nam ut infamiam vitare viri est boni, sic ad famam se componere 25  
 non superbi modo verum etiam ridiculi miserique. Necesse  
 est enim animus inquietus sit qui laetitiam inter ac maerorem ex  
 aliena semper opinione fluctuet. At inter egregia illa beneficia,  
 quae doctrina confert hominibus, haud aliud hercle duco praestabilius,  
 quam quod ex litteris docemur, in perdiscendis litteris non 30  
 laudem spectare sed usum. Quam rem sane (quamquam nonnulli  
 disciplinis velut ceteris bonis abusi sint in solum gloriolae ac  
 famae popularis aucupium) doctissimi tamen quique tradiderunt,  
 philosophi praesertim, vitae moderatores humanae.  
 Haec ego, mi Gonelle, de non appetenda gloria perscripsi pluribus, 35  
 propter ea verba quibus in epistola tua censuisti, in Margareta  
 mea altam illam et excelsam animi indolem non esse deiciendam.  
 Qua in sententia ipse quoque tecum, mi Gonelle, consentio. Sed  
 is mihi, non dubito quin tibi quoque, deicere videtur animi  
 generosam indolem, quisquis assuescit vana atque inferna suspicere; 40  
 erigere contra quisquis in virtutem ac Vera bona consurgit,  
 quisquis umbras istas bonorum (quas omnes prope mortales inscitia  
 veri pro bonis veris avidè captant), sublimium contemplatione  
 rerum superne despexerit.  
 Ego igitur quum hac via pergendum ducerem, non te modo, 45  
 mi Gonelle carissime, quem pro eximio tuo in meos omnes affectu  
 sciebam tuapte sponte facturum; non uxorem meam (quam  
 satis impellit multis explorata modis mihi vere materna pietas)  
 sed amicos prorsus omnes oravi saepe, uti liberos meos subinde  
 admonerent vitatis ut fastus et superbiae praecipitiis, per amoena 50  
 modestiae prata graderentur; ne ad auri conspectum obstupescerent;  
 ne sibi deesse suspirent quae per errorem admirentur in  
 aliis; ne pluris ducant sese nitore cultus addito, neu quicquam  
 minoris adempto; formam quae natura insit, neglectu ne corrumpant,  
 neque malis intendant artibus; virtutem primo, litteras 55  
 proximo bonorum loco ducant; ex his eas maxime e quibus  
 maxime possint pietatem in Deum, caritatem in omnes, in se  
 modestiam et Christianam humilitatem discere. Ita fiet ut innocuae  
 vitae praemium a Deo referant: cuius exspectatione certa nec mortem  
 horreant, et interim solido fruentes gaudio neque inanibus 60  
 hominum laudibus insolescant, nec iniquo sermone frangantur.  
 Hos ego veros ac genuinos doctrinae fructus esse censeo: quos ut

non omnibus fateor litteratis contingere, ita qui hoc proposito  
 animum ad litteras appellunt, emergere facile atque in consummatos  
 evadere contenderim. 65

Neque referre arbitror ad messem, vir an femina sementem  
 fecerit. Quorum utrique si hominis vocabulum conveniat, cuius  
 naturam ratio distinguit a beluis, utrique inquam ex aequo  
 convenit peritia litterarum qua ratio colitur, et velut arvum insertis  
 bonorum praeceptorum seminibus frugem progerminat. Quod 70  
 si muliebre solum suapte sit natura malignum et filicum quam  
 frugum feracius (quo dicto multi feminas deterrent a litteris) ego  
 contra censeo tanto diligentius esse muliebre ingenium litteris ac  
 disciplinis bonis excolendum, quo naturae vitium corrigatur  
 industria. Haec censuere veteres viri prudentissimi eidemque sanctissimi. 75

E quibus, ut omittam reliquos, Hieronimus atque Augustinus  
 optimas matronas, honestissimas virgines, non hortati modo  
 sunt ad capessendas litteras, verum etiam quo facilius promoverent,  
 abstrusos Scripturarum sensus eis diligenter exposuerunt, ac teneris  
 virgunculis scripserunt tanta eruditione refertas epistolas, ut eas 80  
 nunc viri senes et sese doctores sacrarum litterarum professi vix  
 bene legant, tantum abest ut intellegant. Quae sanctorum virorum  
 opera, Gonelle doctissime, pro tua bonitate curabis ut filiulae meae  
 perdiscant. Unde potissimum cognoscent, quem doctrinae suae  
 scopum debeant destinare, fructumque omnem sui laboris in teste 85  
 Deo et conscientia recti constituent. Ita fiet ut intus placidae ac  
 tranquillae neque adulatorum laude moveantur, neque ridentium  
 litteras illitteratorum mordeantur ineptis.

Sed iam dudum audire videor occlamantem te haec praecepta  
 etiam si vera sint, esse tamen fortiora quam tenera mearum capere 90  
 possit aetatula: quando quotus est quisque virorum aetate grandium  
 ac provectorum disciplinis, qui usque adeo certus animi atque  
 affirmatus sit, ut nullo gloriae pruritu titilletur. Ego, mi Gonelle,  
 quo difficilius video superbiae pestem excutere, eo magis enitendum  
 censeo, ut id quisque statim meditetur ab infantia. Neque 95  
 aliam causam puto, cur hoc malum tam ineluctabile pectoribus  
 nostris inhaereat, quam quod prope simul ac nati sumus, mollibus  
 animulis puerorum a nutricibus inseritur, fovetur a magistris, a  
 parentibus alitur atque perficitur; dum nemo quicquam ne  
 bonum quidem docet a quo non laudem iubeat protinus exspectare 100  
 velut hostimentum pretiumque virtutis. Inde laudes diu sueti magnifacere,  
 tandem eo venit, ut dum pluribus, hoc est peioribus,  
 placere student, bonos esse pudeat. Quae pestis quo longius arceatur  
 a meis liberis, et tute, mi Gonelle, et mater, et ceteri amici  
 omnes occinant, inculcent, obtundant, abiectam ac despuibilem 105  
 esse gloriolam: nec esse quicquam sublimius, quam sit humilis  
 illa toties a Christo praedicata modestia: quam prudens caritas  
 sic praecipiet ut virtutem doceat libentius quam exprobret vitia,  
 et amorem bonae monitioni quam odium conciliet. Neque ad  
 eam rem quicquam est cautius, quam veterum eis Patrum praecepta 110  
 legere; quos neque iratos sibi intellegunt; et quum sanctimoniae  
 gratia venerentur, necesse est vehementer eorum auctoritate  
 moveantur. Cuiusmodi quispiam si praeter Salustianam

lectionem Margaretæ meae et Elisabethæ (nam hæ maturiores  
videntur quam Eoannes et Caecilia) perlegeris, et me simul et illas,  
iam ante tibi multum addictos, multo adhuc magis obstrinxeris. 115  
Praeterea liberos meos, naturæ primum iure caros, ac deinde  
litteris et virtute cariores, efficies eo doctrinæ ac bonorum incremento  
morum carissimos. Vale.  
In Aula, pridie Pentecostes. 120

#63. To W. Gonell

65. To William Budaeus  
<c. August 1518>

Quum omnia tuorum nihil obiter legam, sed inter solida et primaria  
colloce[m] studia. Assem vero tuum sic attente perdisco, quomodo  
non quemlibet veterum. Nam ne transeunter intellegi possit,  
ipse delectis verbis, exquisitis sententiis, elaborata sermonis gravitate,  
postremo pondere et difficultate rerum tam alte petitarum 5  
paeneque iam evanidarum vetustate providisti, quibus tamen si  
quis intendat oculos, contineatque atque infigat pessius, eam affudisti  
lucem, sic propemodum deleta refecisti, ut tua verba dum  
versat, omnibus interea praeteritis saeculis intersersari videatur, et  
omnium regum, tyrannorum, gentium collustrare, numerare, 10  
velutque manu contrectare divitias, quod fere maius est, quam ut  
quibuslibet avaris contingat in suis. Vix profecto numerare possum  
quam multis te nominibus, mi Budaee, complectar, vel quod mihi  
tam impense faves, vel quod nemo mihi valde diligitur, quin bona  
sit fortuna factum, idem quoque ut vehementer ametur abs te; vel 15  
quod tam multas, tam egregias tibi virtutes inesse conspicio, vel  
quod animum tuum auguror prorsus haud abhorrentem a meo,  
vel quod hic tam utilis labor in litteris, omnes tibi mortales obstringit,  
vel quod tam incomparabilis eruditio, quæ peculiaris olim  
cleri gloria fuerat, tibi feliciter obtigit uxorato. Nam *λαϊκόv* 20  
appellare non sustineo, tam multis, tam egregiis dotibus, tam alte  
subvectum supra *λαόν*.

68. To Wiliam Budaeus  
At Court  
<c. December 1518?>

Lascari viro optimo atque doctissimo plurimam ex me  
salutem dicito. Nam Ber[o]aldum etiam non monitus opinor ex  
me salutasses; quem scis ita mihi carum esse quam debet is, quo  
vel eruditio[m] virum vel amicum iucundio[m]rem vix usquam quemquam  
repperi. 5

69. To Margaret More  
<1518?>

Iucundæ mihi fuerunt litteræ tuæ, Margareta carissima,

quae me de Shai statu reddidere certiore: iucundiores  
 futurae si mihi tua fratrisque tui studia recensuissent, quid quoque  
 die legitur inter vos, quam iucunde conferis, quae componitis, et  
 inter dulcissimos litterarum fructus transigitis diem. Etenim quamquam 5  
 nihil mihi iucundum esse non potest quod scribis tu, tamen  
 ista sunt mellitissima quae nisi a te fratreque tuo ad me perscribi  
 non possunt - - - [et sub finem epistolae:]  
 - - - Quaeso te, Margareta, fac de studiis vestris quid fit intellegam.  
 Nam ego potius quam meos patiar inertia torpescere, 10  
 profecto cum aliquo fortunarum mearum dispendio valedicens  
 aliis curis ac negotiis, intendam liberis meis et familiae. Quos  
 inter nihil est mihi te dulcissima filia carius. Vale.

#69. To M. More

70. To Margaret More  
 <1518?>

Nimum tu pudenter et timide, mea Margareta, pecuniam  
 petis et a patre qui dare cupit, et quando tali nos epistola  
 salutasti, cuius ego non singulos versus singulis Philippis aureis  
 (quod in Cherilo fecit Alexander) sed si facultas esset animo meo  
 par, singulas syllabas unciis auri binis compensarem. Nunc vero 5  
 quantum poposcisti mitto, plus additurus, nisi quemadmodum  
 dare gestio, sic et rogari me et blandiri mihi liberet a filia: abs te  
 praesertim, quam virtus et litterae faciunt animo meo carissimam.  
 Itaque hanc pecuniam quanto citius bene, quod soles, impenderis,  
 quanto citius pro nova recurreris, tanto magis te scito gratificaturum 10  
 patri. Vale, carissima filia.

71. To Reginald Pole and John Clement  
 <1518?>

Tibi, mi Clemens, habeo gratiam quod te tam valde  
 video de mea meorumque salute sollicitum, ut curae habeas etiam  
 absens admonere quosdam cibos nobis esse vitandos. Tibi vero,  
 mi Pole, bis ago gratias; nempe quod et tanti medici consilium  
 dignatus es perscribere, et nihilo tamen minus a matre tua, feminarum 5  
 optima atque nobilissima [erat illa Sarisberiae Comitissa  
 regio sanguine prognata] planeque tali digna filio rem impetrasti  
 nobis et curasti confectam, ne viderere consilium quam rem libentius  
 impartiri. Operam igitur atque fidem utriusque vestrum probo  
 atque amplector unice. 10

72. Erasmus  
 <London?>  
 <1518?>

CLEMENS meus Oxonii profitetur auditorio tanto quanto non ante  
 quisquam. Mirum est quam placeat ac deametur universis. Quibus

bonae litterae propemodum sunt invisae, tamen illum carum habent,  
audiunt ac paulatim mitescunt. Linacer, qui neminem, ut scis,  
temere probat, tamen illius epistolas sic effert atque admiratur ut  
ego quoque, qui unice homini faveo, propemodum tamen tam cumulatis  
laudibus ab illo viro congestis invidiam.

#72. To Erasmus

5

74. To John Fisher  
<1519?>

Gaudeo profecto, quantum non queo scribere, quum tua  
causa, tum etiam patriae, eum esse Paternitatis tuae stilum, qui  
possit Erasmicus videri. Certe causam sic praeterea tractasti, ut ne  
decem quidem Erasmi potuerint absolutius.

[Et in fine epistolae:]

Bene vale, Praesul, omnium doctrinae et virtutis gratia maxime  
observande.

5

75. To Edward Lee  
1 May 1519

THOMAS MORUS EDUARDO LEO S.P.D.

Accepi, mi carissime Lee, binas e fratre tuo Golfrido,  
et optimo simul et humanissimo adolescente, litteras, utrasque Lovanii  
scriptas, alteras quidem decimo, alteras vero xx. Aprilis die.

In superioribus tria potissimum haec continentur. Primum videlicet  
tibi esse allatum ac id etiam per Erasmicos quosdam passim

esse sparsum, me non parum iniquo animo tulisse, te contra Erasmus  
non nihil esse molitum, atque ob id usque adeo me abs

te alienatum, ut non modo ex amicorum numero exemerim, sed

quispiam etiam adversus te mali machiner. Quam rem. Si exploratam  
haberes, aut tecum libere, si quidem posset animus ferre,

decerneres, ut ne Bocci quidem talem amicum faceres, aut si tibi  
imperare id non posses, quippe qui nihil aeque dolenter atque ingratitude

feras, habenas dolori permitteres, ut cui ipsa mors,

quam tanti amici iactura foret optatior, quem non vulgariter  
amaveris, ac pro virili semper in astra laudibus vexeris, quo minus

mirum sit, si tibi iam videatur non ferenda molestia, si ipse contra  
tam ingratus atque adeo iniquus sim, ut contra amicum velim,

necdum auditum, praeposteram ferre sententiam. Quare id a me

esse factum nec posse te scribis nec velle credere, quantumvis id  
constanter Erasmici confirmant, antequam eius rei ex meis ipsius

litteris fias certior.

Secundo loco conatus apud me probare, nihil in toto isto negotio  
tua culpa commissum, sed totam istam tragoediam Erasmo deberi,  
fusus explicatiusque rem omnem ab origine repetens, totius litis

et ortae simul, et auctae, semina declaras. Primum quod istam  
annotandi operam numquam fueras obiturus, nisi et amore et

precibus eius pertinacibus superatus. Deinde quod ille tuas annotationes

5

10

15

20

25

## #75. To Edward Lee

ut minutias ac nugamenta reiecerit, ac nihilo minus a  
 scriba tuo clanculum sibi curaverit exscribendas, indeque excerptis, 30  
 si quid forte in secunda editione mutavit in melius. Nec  
 tamen his contentus, tuum nomen per Europam totam infame  
 reddiderit, quasi minuta collegeris, quasique eadem neotericorum  
 decretis munieris negaverisque ipsi facere videndi copiam, quo vel  
 errata corrigat, vel defendat sese.  
 Tertio subicis, quod quum annotationes tuas in eius dedecus emittere 35  
 licuisset, eas tamen hac tenuis suppresseris, nihil adhuc in eo  
 negotio ultra progredi decernens, nisi prius eas ad Reverendum  
 in Christo Patrem Episcopum Roffensem expendendas excutiendasque  
 dedisses, qui (si id cuperem) mihi quoque videndi faceret  
 potestatem. Hic oras ut rem aequa lance examinem, perspecturus, 40  
 si id fecero, quam simpliciter cum eo agas, quam citra fucum, citro  
 lenocinium, citra morsum, tantum annotans, quid ille scribat, quidque  
 ipse contra sentias. Quod si qua tamen eum acrius liberiusque  
 taxas, rogas, ut aequae id quoque perpendam, videlicet an sic  
 ille mereatur. Iam fore asseris (nisi longe te tua fallat opinio) ut et 45  
 graviter eum et foede lapsum esse comperiam. Haec, ut arbitror,  
 superioris epistolae tuae summa est.  
 Iam ad secundas litteras, quae decimo post priores die scriptae,  
 te totum subito mutatum indicant. In his enim scribis iam adesse 50  
 tempus quo me [eum] declarem, quem tu semper apud animum tuum  
 praesumpseris, hoc est, aequum, et cui nullus umquam affectus  
 (ut tuis verbis utar) imposuerit. Nam quum male ab Erasmo habitus,  
 communibus tamen amicis rem integram componendam, donec  
 famae tuae consultum esse posset permisisses, libellumque iam tum 55  
 Reverendo Patri Roffensi cuius tu iudicio standum censueras  
 transmisisses cui rei etiam Erasmus ipse, quum id ei significasses,  
 subscrip[s]erat, is tamen longe aliter quam prae se ferebat, cogitans,  
 intra paucos quibus haec pactus esset dies, repente in sua contra  
 Latomum Apologia temere, et loco alieno, tamen nec abs te laesus,  
 plusquam insana vomuerit, cuius etsi nomine abstinebat, non ita 60  
 tamen id tecte, quin statim clamarent omnes illud telum in tuum  
 caput esse contortum. Itaque etsi nec tuum nomen ibi legebatur,  
 neque res quicquam in tuos mores competeret, tamen cum tota  
 Europa sic interpretaretur, perinde ac palam te nominatimque  
 designatum accipis, maxime quod is tuo rogatu Apologia quapiam 65  
 hac te suspicione liberare noluerit. Quare quum die hoc pacto se  
 gesserit, atque negotium ipsum, tam longe iam evectum sit, iniuriam  
 mihi te facturum putas, nisi me tam aequum existimares, ut  
 non modo sinam, verum etiam suadeam id, ut agas sedulo, quo  
 fama tua in tuto collocetur, cui cum nullo alio modo quam editis 70  
 annotationibus consulere possis, hac tibi necessario esse grassandum.  
 Denique hoc tam infixum animo tuo, persuasumque esse,  
 ut neque bonum quemquam nec prudentem putes dis[s]uasurum.  
 Qua in re me ut amicus perstem, quemadmodum tu mihi semper  
 fueris, semperque futurus sis, etiam atque etiam oras. 75  
 Tametsi, mi Lee, tuarum litterarum materia tam varia sit ac  
 multiplex, ut brevibus respondere non possim, respondebo tamen  
 quam brevissime possum, quando neque. tui temporis multum libet

occupare, nec mei tantum superest, ut inde multum liceat decerpere,  
 quod in scribendas huiusmodi litteras impartiar. Quod ipsum 80  
 alioquin, ut nunc res habet, videri possim nullo cum fructu facturus,  
 quandoquidem tute tecum quid sequi velis, tamquam iurata  
 styge, sanxisti, neque moratus quicquam reditum fratris, et praecisis  
 omnibus omnium amicorum consiliis. Qui quid nunc dicturi 85  
 sint haud scio. Sequentur fortasse quidam vetus illud consilium,  
 'Feras, non culpes, quod mutare non potes.' Verum istud ausim  
 affirmare maxime si eos ante consulere maluisses quam ipse constituere,  
 perquam, hercle, paucos reperisses hic, qui non annotationes  
 istas tibi abendas, potius perpetuo, quam edendas esse, 90  
 umquam censuissent, quos ipsos tamen deierare liquet (quod te  
 quoque, mi Lee, certe credo credere) non minus ex animo vereque  
 esse tuos, aliquot item, quod spero, non minus sapientes, qui te  
 ab isto satagant proposito retinere, quam sit istorum quisquis est  
 istic prudentissimus, qui te in editionem istam tam importune 95  
 protrudunt atque praecipitant. Certe, quod ad me attinet, quemadmodum  
 litteris ac prudentia cuique fere tuorum amicorum cesserim.  
 Sic benevolentia et fide nullum non fidenter provocaverim,  
 ne tu me putes ea parte superari, qua sic amari me abs te atque  
 honorifice scribis praedicari. Qua in re vicem rettulisse me, quum  
 summates aliquot viras testes habeo, tum quos neque potes reicere, 100  
 neque ab iisdem potes iam saepe non audisse, fratrem utrumque  
 carissimum. Quamquam ne fratribus quidem tuis tametsi fratres  
 sint, istud concesserim, tibi ut magis ex animo bene velint, quam  
 ipse cupiam.  
 Erasmus, fateor, vehementer diligo, nec id ob aliam fere 105  
 causam, quam eam de qua totus eum Christianus orbis amplectitur.  
 Nempe quod inexhaustis eius unius laboribus omnes undique  
 bonarum studiosi litterarum, quantum non alterius fere cuiusquam  
 aliquot ante saeculis eruditione, cum profana, tum etiam sacra 110  
 promoverint. Qua de re non mihi tamen tam carus debet esse  
 quam tibi, qui, quod tuae luculenter ostendunt litterae, haud quaquam  
 paulo plus fructus ab illo retulisti. Contra non unam esse  
 causam video quae seorsum tibi, mi Lee, me studio non vulgari  
 devinciat, vel ipsius, ut reliquas omittam, patriae communis gratia, 115  
 vel parentum inter se nostrorum, tam amica, tam diuturna  
 coniunctio, quae res effecerunt, ut ego te olim, puerulum certe  
 scitissimum annis ipse decem provector exosculatus, iam illam  
 inde perpetuo deamarim indolem. Sed amicus magis interim quam  
 familiaris, futurus profecto, quoad per me liceret familiarissimus,  
 nisi nos diversa vitae condicio atque institutum longe disiunxisset, 120  
 nec tam longe tamen disiunxit umquam, ut non ob oculos interim  
 versaretur meos, eximium illud tam probe eductum, atque educatum  
 ad litteras ingenium, doctrinae sitis inextincta, tam fervens in  
 disciplinas impetus, tam instans et indefessa contentio. Quae me  
 res in se libenter intentum magis in dies magisque in amorem tui 125  
 rapiebant, vel ea spe maxime, quod magno cum gaudio pollicebar  
 mihi tempus aliquando fore, quum nostra haec Britannia totum  
 per orbem reliquum tua celebraretur industria. Ego quidem hactenus  
 erga te non aliter ac dixi sum affectus, qui ne nunc quidem

#75. To Edward Lee

aut amorem retraho aut spem abicio: tantum abest ut machiner aut miner male. Sed tamen profecto, mi Lee, quo te vehementius adamavi, quo maiorem de te nobis promisi gloriam, eo nunc uror impensius, quum ea te videam animo tam offirmato moliri, unde non solus animo praesagiam, neque tibi commodum, neque patriae nostrae decus accessurum, quando res invidiosa videbitur, unum te potissimum opus illud tam hostiliter oppugnare, quod alius haud absque magno fortunae salutisque suae dispendio, communibus mortalium omnium commodis elaboravit. Quin periculum est, si quo coepisti perrexeris, ne animo te omnes communiter in se hostili esse potius quam in Erasmmum iudicent, quorum commoda studeas corrumpere, quum huius avertere commoda non possis, quippe qui suo nequit praemio fraudari apud benefactorum remuneratorem Deum, etiamsi apud mortales opus eius vel reiceretur, vel penitus interiret, quorum vel invidia vel incuria iam ante numerosa perierunt, et perquam fructuosa volumina, quorum nihilo minus auctores fructum, quem terris afferre studuerunt, ipsi retulerunt in caelo.	130	#75. To Edward Lee
Verum hic mihi video respondendum esse ad eam epistolae tuae particulam, qua tibi quum ingratus esse videar, tum iniurius, si de labore tuo, quem nondum perlegi, tam praeceptum ae maligne praeiudicem. Ego profecto, mi Lee, deiectionis animi sum, quam ut mihi de cuiusquam operibus iudicium arrogem, satis esse semper ratus ad arcendam temeritatis calumniam, si aliorum accessissem calculis, praesertim talium quorum nec virtus obscura sit, nec [in]dubitata doctrina. Quam apud classem, quum velut uno celeumate sensissem plus huic uni, cui tu reclamationis operi succlamatum, quam reliquis eius ipsius operibus omnibus, cuius nulli mirifice non applauditur, mihi certe videbar nec praecipitis accusandus iudicii, nec ingrati erga te animi censendus, si ne lecto quidem ullo tui libelli versiculo tamen illis putarem omnibus magis fidendum esse quam tibi. Cui si tam aequus esse debuissem, ut te versionem Erasmi damnasse, non nisi exacto et irrefragabili iudicio praesumerem, in illos necesse est omnes gravissimam atque iniquissimam censuram exercuissem, quos aut tam socordes existimassem, ut rem tantam, quantam tu hanc vis videri, neglexerint, aut tam stupidos, ut quod tibi fuit tam obvium, non intellexerint, aut denique tam impios, ut pro Christo recusarint ei resistere, cui tu, velut David contra Goliath pro Israel, opposuisti temet. In ea demum re quam recta scirent in magnam Ecclesiae pernic[i]em (sic enim scribis) tendere.	135 140 145 150 155 160 165 170	
Dabis hanc mihi, mi Lee, veniam, si tuo malui iudicio timidius aliquanto credere, quam apud animum meum cogerer acerbe condemnare tam multos eosdemque tantos, ut tibi sat scio, videretur abunde magnum consecutus honorem, quisquis viros eiusmodi virtute putetur ac litteris aliquanto propius, quamquam ad aliquot adhuc parasangas distet, accedere. Quod si contra doctos esse dicas, qui tecum sentiant, ea res mihi fraudi esse non debet, quum ipse vix unum audiam aut alterum, qui non sit indoctissimus, quos si tu hic audires suas oblaterantes ineptias puderet te certe mi Lee scio, talibus te laxis potius quam militibus ducem deligi, nisi te	175 180	



(quod non spero) Caesareus ille spiritus afflaverit, ut malis primus  
esse Mutinae, nisi nomen excidit, quam secundus Romae. Quamquam,  
ut est eruditorum civilitas, et indoctorum superbia, primum  
tibi locum, opinor, citius cedant illi, quam hi vel secundum vel  
tertium. 185

Quod si tibi forte quidam animum faciunt istic, sunt nimirum  
hi propter quos minus audeo hac in re credere tibi, cui haud paulo  
plus credidissem soli, si non huiusmodi testes accessissent. Non  
quod illis eruditionem vel auferam magnopere vel tribuam (nam  
sunt, opinor, ex his qui adhuc albine sint an atri nescimus), sed 190  
quod in Erasmum nimis quam feruntur iniqui, sive eos, ut  
homines sumus omnes, humana titillet aemulatio, sive, quod  
opinor verius, daemon aliquis eius pestis parens excitavit, ut quem  
nullis ipse rerum damnis, nullis corpusculi vel morbis vel periculis  
potuit a bonis umquam studiis et toti terrarum profuturis 195  
orbi revellere, eum nunc summissis ac subornatis suis istis satellitibus  
abducat, qui personati sanctimonia Christi negotium praetexentes,  
Christi negotium praedicant, dum ei, qui Christi negotium  
vere agit, suis sycophantiis moleste negotium exhibent,  
atque a Sacrarum tractatu Litterarum (unde velut inexhausto 200  
promptuario, profectui studiosorum cotidie fere depromebat aliquid)  
nunc ad Apologias non perinde nobis utiles atque ipsi necessarias  
in transversum agunt.

Hi semper, ut fertur, adornant aliquos, qui inter te atque Erasmum  
cursitent, et consutis utrimque mendaciis dum tibi ab illo 205  
falsa, atque illi vicissim abs te referunt, vos scelerate committant,  
ut tuo periculo suis obsequantur affectibus, ipsi multo dignissimi,  
qui illud potius odium subeant, quod perquam aegre vitaverit  
quisquis id instituet quod illi iam suadent tibi, non ut unum atque  
alterum decerpas locum, in quibus aut illud labi, quod fieri potest, 210  
ostendas, aut hallucinari te, quod et ipsum possit accidere. Sed in  
totum opus adeo contorqueas machinam, ut verti prorsus non  
debuisse contendas; neque si quid a Latinis Graeci discrepent  
codices eius nos admoneri; vel si maxime deceat id fieri, tamen  
illum minime idoneum esse qui faceret, contra vel hic vel ibi 215  
sentientibus non omnibus tantum undecumque doctis. Sed ipso  
quoque doctorum omnium calculis anteposendo Pontifice non  
maximo solum, sed etiam optimo, cuius ad pium suasum Erasmus  
eum laborem oboedienter aggressus, rem bis iam feliciter adiuvante  
Deo perfecit, bis a Pontifice, quod eius declarant veneranda diplomata, 220  
gratiam laudemque non vulgarem promeruit.

Quamobrem si de libro, qui Christi continet doctrinam, Christi  
vicario credidi, qui eum librum bis iam pronuntiavit utilem, huic,  
inquam, si te reclamante credidi, qui librum scribis esse perniciosum,  
neque temere me fecisse, neque te iniuria affecisse iudico, 225  
etiam si mihi liber tuus omnino esset ignotus. At nec is tam  
prorsus est ignotus mihi, ut non aliquid inde saltem degustarim,  
ex quo reliqua liceat conicere. Nam etsi ad me non pervenerat,  
pervenit tamen ad quosdam, amica tuorum sollicitudine aliorum  
iudicia, ne nimium tibi fideres, explorantium; qui quum legissent ac 230  
perpendissent secum, tum de re tota sic iudicassent, ut his a quibus

acceperant librum, suaderent, uti ad te scriberent, si tuo vellent  
 honori consultum, huic labori supersederes. (Quam rem non dubito,  
 quin eidem amici tui pro sua in te fide significarint.) Mihi  
 quoque velut speciminis loco indicarunt quaedam, sed non nisi 235  
 praecipua, quibus potissimum videbaris tibi spondere victoriam.  
 Non mihi, mi Lee, quod dixi, tantum sumo, ut in Theologicarum  
 rerum controversiis feram sententiam, ne quis illud mihi merito  
 possit ingerere. Ne sutor ultra crepidam, sed tamen profecto quas  
 mihi communicabant, quas certe tamquam primarias communicabant, 240  
 pleraeque omnes erant eiusmodi, quas ipse quoque videor  
 mihi sine magno posse negotio dissolvere.  
 Quamobrem ex praecipuis quum plerasque reperissem tales,  
 merito videbar ex illis reliquas quoque velut ex ungue, quod aiunt,  
 leonem posse existimare. Nam cuius unguis non laeserint, eius non 245  
 est quod pilos valde pertimescas. Certe illa contentio de vocabulo  
 proprii, quam litteris tuis ad nos inseruisti, quae tam firma videtur  
 tibi, ut non unis litteris mirari testeris Erasmi impudentiam, quem  
 non pudeat in re tam aperta suam tueri partem, non mihi modo  
 sed reliquis quoque ad quos eadem de re scripsisti, tam tenuis 250  
 videtur argutia, ut contra valde miremur sustinuisse te ut eam rem  
 ei vitio verteres. Nam si mortales omnes tam adamantinis vinculis  
 ad Porphyrii constringas *Εἰσαγωγήν*, ut quando ille proprium  
 id definiat, quod ita sit meum, ut nulli sit mecum commune fas  
 idcirco non sit eodem vocabulo sicuti, quomodo publicitus omnes 255  
 ubique gentes utuntur, piaculum profecto sit si quis posthac propriam  
 dicat patriam in qua natus est, aut propriam vocet parochiam  
 in qua versatur, aut denique patrem a quo genitus est appellet  
 proprium. Si modo fratres habeat quibus sit pater cum illo  
 communis, quamquam nec Porphyrius tam difficilis est hac in parte 260  
 quam tu, qui plures tradit modos citra vitium eius usurpandi  
 vocabuli. De quo vocabulo nihil ego impraesentiarum fueram dicturus  
 omnino, nisi quod in epistolis istud tuis ipse commemorasti,  
 quandoquidem de re tota quid haberem animi cum fratribus  
 tuis, tum amicorum tuorum penitissimis olim iudicavi, per quos 265  
 iam diu ad te, id quod volebam, pervenisse scio, ne nunc primum  
 esset opus id rumore demum te per Erasmeos disperso didicisse.  
 Venio nunc ad expositionem tuam, qua rem a principio repetis,  
 id videlicet agens ut ostendas Erasmi tantum culpa totam hanc et  
 natam et alitam esse tragoediam. Quamquam hac in parte profecto 270  
 operae pretium est videre ut, id quod unum sic Erasmo tribuis,  
 [ut] praeterea nihil ipse tibi desumas, et rhetoris hic agas partes,  
 res videlicet per se exiles cumulatim verbis exaggerans. Quorum  
 tamen si quis detracta mole nudas in unum res collegerit, opinor,  
 non inveniet cur tibi videri debeas ab illo tam capitaliter offensus, 275  
 ut dum illum contingat laedere, ne communibus quidem omnium  
 bonis evertendis abstineas manum. Etenim si quis omnia congerat,  
 quae in tuis litteris vel ad me vel ad alium quempiam memorasti,  
 quibus illius in te contumelias amplificas, summa tamen huc  
 rerum reddit tandem, quod tuas annotationes neglexerit. Quae, ut 280  
 tibi verum fatear, non satis vehemens causa multis visa est, cur  
 homo Christiana modestia tam hostiliter opus illud impeteres,

## #75. To Edward Lee

quod alioqui te fateris fuisse promoturum, si laus videlicet (nam sic accipiunt) exspectationi respondisset tuae, quae nunc maligna videbatur, quod se tam paucis in locis a te fatebatur edoctum, quum tamen contra videri debuerat honorificum. Si vel unum quispiam sese vir omnibus in litteris tantus a te didicisse fateretur. Sive illud vere sive civilitatis causa fassus, cui tu tamen parum civiliter, mirum est quod ad sacras attinet litteras, quam nihil omnino tribuas, quum tibi tamen sumas tantum, ut aperte praedices in secunda quoque editione (in qua denuo tantum studii ac laboris collatis etiam tot codicibus, evolutis tot auctoribus, tot praeterea consultis litteratissimis viris exhaustis). Errores tamen eum multos magnosque reliquisse, si non ad tuas annotationes correxerit, quasi quae tu deprehenderis, ille neque sua videlicet, neque alterius cuiusquam opera pervestigare potuent, quam solius tua. Ego mi Lee ingenium ac doctrinam tuam tam valde probo, quam, quisquis probat maxime, nec de te raro glorior. Ceterum quando non dubito, quin satis tuo tributum ingenio censeas, si quis illud Erasmico tantum conferat, nec exspectes, opinor, ut praeferat. Industria vero atque assiduitate studendi Erasmus a puero semper fuisse constat insuperabili; magnifice profecto de te sentire videor mihi si te post hac aliquando talem, qualis nunc est Erasmus, non desperem futurum, sed tum videlicet demum, quum ad annos hos, quos nunc habet ille, perveneris, nec iure ubi videbor iniurius, si te interim ab illo censem eruditione tantum a tergo relinqui, quantum te annis ille praecesserit, quos in unam Theologiam profecto non pauciores insumpsit, quam tu in omnes paene quas a puero didicisti litteras. Nec tamen quisquam longius ab ea distat arrogantia quam obicis. Quis enim aut parcius definit, aut affirmat timidius, quod plerique nimis faciunt fortiter. Ille tamen quid habeant libri commonet, suo quemque iudicio relinquens, non ut sibi stetur postulat, qui sicubi dum animum aperit suum, attingat eos a quibus ipse dissentiat, quid facit aliud quam quod omnibus aetatum omnium scriptoribus et usitatum est et concessum et se tamen ubique summittit Ecclesiae iudicio, subinde fassus hominem esse se, quem in eo possint opere multa subterfugere, quo in opere tu tamen, qui desideras in illo modestiam, magna cum auctoritate profiteris perfecisse te, quod quidem ad Theologiam attinet, nam ea est, opinor, quam vocas harenam tuam, ne quis illic possit quicquam invenire postea iure quod queat impetere, modo correxerit Erasmus quicquid tu annotasti. Qua professione plus uni sumpsisti tibi, quam aut Erasmi pudor ultro delatum admiserit, aut ego ambobus certe vobis etiam coniunctis tribuerim, quum tibi tamen tribuam plurimum, illi omnes propemodum tribuant omnia. Qui quum is sit qui omnium minime egeat admonitu, nemo tamen magis gaudet admoneri, quae res liquet ex ipsis epistolis quas ille tum in Angliam, tum alio quaquaversus emisit ad eos, quorum iudicio potissimum confidebat, quorum nonnulli quid sibi videretur ostenderunt. Omnibus egit gratias, quorundam admisit monitus, quidam errasse se ipso rescribente senserunt, eiusque rei gratia, et ipsi egerunt gratias, quod quum docere conarentur, didicissent. Certe nullius recordor,

qui tragoedias moverit, quod non omnia consilia sua Evangeliorum  
 vice suscepta sint. Nam quid illud sibi velit non intellego, 335  
 quod eum scribis ne Morum quidem monitorem ferre. Neque  
 enim umquam me pro tanto viro gessi, a quo vel in aliquo litterarum  
 genere, vel in rerum perpensione communium Erasmus admonendus  
 esse videretur.

Iam quod Dorpium scribis ab illo male dum admoneret acceptum. 340  
 Ego num quid occultae simultatis intercesserit haud intellego,  
 certe in ea Apologia, qua Dorpio respondit, palam quamquam  
 ab eo provocatus ac propemodum obiurgatus aspere, tamen adeo  
 modeste respondit, immo reverenter potius, ut non aliud umquam  
 quicquam tantundem honoris conciliarit Dorpio, quam quod 345  
 tantum auctoritatis Erasmus ei praesertim lacessitus attribuit. Quae  
 res una facit ne facile adducar ut credam eius beneficii oblitum  
 Dorpium amicum in se tam candidum denuo velle lacessere. Qua  
 in sententia vel eo confirmor, quod illam epistolam quam calore  
 quodam dictarat acerbius, defervescente impetu, consilio censuit 350  
 consultiore suppressendam; qua de re ego quoque vicissim pressi  
 meam, qui contentiones huiusmodi quibus ut nihil fructus, ita  
 multum damni possit oriri, sopire atque obruere libentius quam  
 fovere studeam, qui ab eo tempore sic amavi Dorpium, ac magni  
 semper feci, ut tibi quoque Lovanium petitulo suaserim eum praecipue 355  
 ex Lovaniensibus omnibus esse adiungendum, quod numquam  
 certe fecissem, nisi eum plane apud animum meum praesumpsissem  
 talem, a quo tu, quem (ut vere, mi Lee, dicam) etiam  
 olim non admodum aequum in Erasmus cognovimus, in Erasmi  
 pelliceris amorem, quum sit Erasmus illius amantissimus, natura 360  
 certe tam placabilis, ut nescio an usquam possis invenire quemquam,  
 qui tam multas ac tam insignes in se contumelias tam patienter  
 tulerit, qui quidem potens sit valide retorquere, nec dolori  
 suo morem interim regestis in maledicos maledictis gesserit.

Nempe qui nec in eos, qui locis aliquot ex opusculis eius ad calumniam 365  
 delectis, ne dubitari possit quem impeterent, quidlibet in  
 famam eius impudenter evomuerint, convicia ipsis digna regesserit,  
 sed eorum dissimulata malitia satis habuit, si sua tueretur  
 scripta, eorum honori adeo indulgenter parcens, ut non modo  
 nihil inde detriverit, verum etiam nonnihil astruxerit. Quamquam 370  
 haec illius tam immodesta modestia maxime profecto fuit in  
 causa, cur tot amputatis huius hydrae capitibus nova subinde  
 repullulent, alioqui non dubito quin aliquot eum minus petulanter  
 incessissent, si tui similes vidissent durius aliquanto reiectos.

Venio nunc ad prioris epistolae calcem, quo te significas, Erasmo 375  
 quoque vel assentiente vel simulante, litem hanc totam  
 Reverendi Patris Episcopi Roffensis permisisse iudicio, atque ad  
 eum tuarum annotationum tran[s]misisse volumen. Quod factum  
 certe sive utriusque vestrum, sive unius tuum, mirifice laudant  
 omnes, cum quod animos adieceritis ad pacem, tum quod eum 380  
 delegeritis pacificatorem, qui non modo propter eruditionem  
 singularem, cuius nunc mundum testem habet, maxime sit idoneus  
 qui iudicet, verum etiam propter eximiam pietatem non sit passurus  
 quicquid in alterutro boni sit interire. Porro qui sic amet

#75. To Edward Lee

utrumque, ut toto pectore sit ad concordiam incubiturus, homo tam sollers ac dexter, ut viam inveniat facile, qua sibi censeat uterque satisfactum. Verum enimvero (ut posteriores tandem litteras attingam) hoc tam salubre propositum, seu vestrum fuit, sive (quod scribis) tuum, quo sanctius excogitatum est, eo nimirum magis est incusandus, utriuscumque culpa contigit, ut deficeretur effectum.	385	#75. To Edward Lee
Ego hanc in culpam neutrum vel impingo, vel eximo. Ceterum quid aliis videatur exponam, qui primum id considerant, quod ut solus videri vis Episcopi delegisse iudicium, ita primus videris denuo declinasse, atque ita primus, ut propemodum etiam solus.	390	
Nam Erasmmum ne adhuc quidem constat reiecisse, ut qui prior miserit librum, et nullis litteris appellarit a iudice. Quem nec potuit iudicem refugere, qui edito libro omnes fecerat iudices.	395	
Tu contra: quum librum huc ad alios iam olim transmiseris clanculum, Episcopum rem celasti maxime, nunc vero demum paterno quodam affectu consulentem tibi, ne huic te operi immisceas, videlicet statuis iudicem. Sed ita statuis, ut non ante sibi tributum hunc magistratum, quam rursus ademptum cognoverit. Nam neque liber tuus ad eum venit, neque litterae quae iudicem illum facerent, nisi simul traditis alteris, quae iudicandi munus eriperent, ac denuntiarent editionem tecum te nullius exspectato iudicio decrevisse.	400	
Haec atque alia conferentibus, oboritur certe suspicio numquam istud sincere tibi de iudice deligendo cogitatum. Quam suspicionem praeter alia confirmat tua certe quae multis videtur perquam infirma defensio, qua te videri vis eo loco ex Apologia notatum, quem locum non quisquam censet quicquam ad te pertinere. Nam neque nomen tuum ibi legis, neque mores qui discribuntur agnoscis, et alii sunt qui de illo male sunt meriti, eidemque magis Latomo familiares. Porro quidam non multo melioribus ab his depicti coloribus, qui istinc huc in dies commigrant, quam eo loco, quisquis est ille, describitur. Quam ob rem, ut nulla praebetur ansa, qua locus haereat in te sic non desunt fortasse vestigia, quibus ad eorum quempiam perveniatur qui callide rem dissimulant et tua credulitate freti, quo longius ab sese vertant, ea te persona volentem orant, atque ita producent in proscenium, suoque plausu traducunt publice miserantibus amicis tuis, inimicis ridentibus, maxime sibi placentibus his, qui te circumventum suis versutiis vicarium sibi histrionem gaudent supposuisse. Sed teneo, inquis, manifestarium. Nam quum per fratrem expostulassem de iniuria, atque is negasset ea scripsisse de me, tamen recusavit, me petente, aliqua saltem illud Apologia testari.	410	
Rem profecto, mi Lee, neque illi facilem, neque tibi utilem flagitasti. Nam ad hunc modum, alio super alium idem postulante, aut illi necesse fuisset aliquem negando prodere, atque ex occulta simultate aperte bellum in se recipere, aut cum suae causae praeiudicio quempiam laudare publice, quem paulo fortasse post palam cogeretur incessere. Tibi vero censes honeste consulturum, si scripto testetur se non illorum quae scripsit, quicquam scripsisse de te, quasi ea videri possint alioqui in te competere. An non belle te	415	
	420	
	425	
	430	
	435	

## #75. To Edward Lee

purgasset, scilicet, si protinus ei loco subiunxisset, monitos omnes  
 volo, ne quis nimium suspicax haec me suspicetur vel dicere, vel  
 cogitare de Leo? Quanto tibi fuisset consultius, eam rem quae nihil  
 ad te attinebat, in te non admittere, et si quis in te torquere niteretur,  
 velut malum atque invidum interpretem reicere, quam sic 440  
 rem tibi sumere, ut vel quae scripta sunt, videaris agnoscere, vel  
 quod possis expostulare non habeas. Ego profecto, mi Lee, quamquam  
 te viam video sententiae meae praecludere, quum aut famae  
 tuae parum faventem censeas, aut certe non satis providentem,  
 quisquis tibi non suaserit annotationes istas protinus emittendas, 445  
 tamen non dubitabo committere, ut utrobique apud te existimationis  
 meae periclitari potius quam ut quae tuae putem conductura  
 non consulam, id est, in primis, ut ab huius editione voluminis  
 abstineas, quod tibi nihil boni, multum conciliabit invidiae.  
 Nam quod nunc tute tecum reputas fore, ut omnes cognoscant, 450  
 vel tibi deberi gratiam, si quid errati correxerit, vel suae dandum  
 pertinaciae, si nec monitus quidem correxerit; id, ut video, pro  
 confesso sumis cuius fidem aegre fortassis obtineas, ut tuis videlicet  
 corruptis scribis, ex te quicquid est erratum credatur didicisse.  
 Nam eius ipsius quod affers fidem, ipse nimirum vel hoc argumento 455  
 minuis, quod nec visa adhuc secunda eius editione, librum  
 tuum tamen statuas edere. Quod multi credant numquam te  
 fuisse facturum, nisi spem concepisses aliquam fieri, ut ignoratione  
 tuarum annotationum aliquot adhuc errata sua non deprehenderit.  
 Nam si cogitares tuas annotationes omnes ei factas esse 460  
 palam, non posses profecto dubitare quin aut omnes illos locos  
 emendaverit aut certe viderit quo pacto queat defendere, qui si  
 hoc videat, non est quod magnam posses exspectare gloriam; sin  
 illud fecerit, appetitae perperam gloriae vix declinares infamiam,  
 quasi praepostero laudis aucupio, nullo iam fructu sis admoniturus, 465  
 non quid nunc vitiosum sit, sed quid olim fuerit.

At famam, inquis, purgare debeo, quam ille depopulatus est,  
 qui non minuta modo me annotasse clamitat, sed et neotericorum  
 decretis ea communire. Hic interim non video, mi Lee, qui tecum  
 constes, qui tamquam facinus capitale obicis Erasmo, quod parum 470  
 neotericis tribuit, quibus ille certe tribuit satis, quum nescio an  
 iisdem quisquam plus ademerit quam tute, qui tibi ducis infamiae,  
 si neotericorum decretis tua dicaris annotamenta munire. Verum  
 si fama tibi sic esset aspersa maculis, ut necessario purganda sit,  
 nec alia via possit perlui, quam si confestim liber ille tuus edatur 475  
 quamquam vel nominis potius aliquam iacturam sustinere deceat  
 quam ut dum nostro bono nimium studemus, multorum bonis  
 cogamur officere, tamen, ut nunc sunt mores, ignoscam facile, si  
 tibi bene malis esse, quam alteri. Sed mihi neque famae tuae tam  
 valde detractum videtur, et si maxime detractum sit, hac editione 480  
 tamen minime posse restitui. Nam locus ille ex Apologia  
 nihil ad te quicquam prorsus pertinet, tum si quas huc scripsit  
 epistolas, nihil minus vel egisse videtur, vel cogitasse, quam ut  
 tuo noceret nomini; contra vero annum hic fere totum de tuis  
 in eum scriptis susurratum est, quum nec interim bonorum quemquam 485  
 viderim tuo gaudere proposito, nec animi erga te offensi

ullum ab illo signum deprehenderim, nisi quod modo visus est  
aliquid de tuo contra se facto conqueri, de te tamen ipso scribens  
multo certe, quam tu de illo temperantius.

Quorum si quis utriusque narrationem perpendat, vereor profecto, 490  
ne te potius condemnet iniuriae, nisi quis ea credat esse  
mendacia, quae sunt ad illum delata de te, quod ego certe tam  
libenter credo, quam tu quoque debes libenter vana credere, quae  
eidem rumigeruli de illo detulerunt ad te, quos si mendaces esse  
495 credes, (ut, si vis absolvi, credes) illum pariter ab hac iniuria,  
cuius nunc accusas, absolves. Sed nescio quas litteras loqueris, quibus  
ille te sit graviter insectatus, quales an proferre possis haud  
scio. Verum hoc unum scio exstare, mi Lee, tuas, et quo minus inficiari  
possis, *ἀυτογράφοις*, e quibus conici potest ad istas annotationes  
500 longe alio animo et accessisse te et processisse, quam nunc  
toties in testem citata conscientia prae te feras, tum sic accessisse ut  
praeiudicium domo (quod aiunt) attuleris tecum, quo sementem  
totam, cuius adhuc nec herbam videras, damnandam esse praesumeres,  
quum inde passim omnes boni, qui quidem noscent agricolam,  
505 optimam et pulcherrimam sibi messem promitterent.

Verum quod coepi dicere, si maxime famam tuam purgari oporteat  
hac editione, tamen censeo minime posse procedere, qua dum  
eam depurgare laboras, vereor ne limo densius lutoque permisceas.  
Nam primum in quibusdam video te plane falli, nec absimile veri  
510 est idem tibi in aliquot aequae locis, quos ipse non vidi, contingere.

Iam quaedam sunt, quod nec ipse diffiteris, non admodum magni  
momenti; quaedam certe, ut non aperte contra te militent, ita  
pro te non valde multum faciunt, iam pars bona diu controversa,  
de quibus adhuc sub iudice lis, quae si de summa subduxeris,  
515 reliquum rationis erit pauxillulum, nec sane satis dignum, unde tu  
novas conficias tabulas. Ut praeteream interim, quod alii non praetereunt,  
qui perquam intempestivum censent de mendis admonere  
iam emendatis. Atque is quidem tuae rei status fuerit, etiamsi  
mutum nactus esses adversarium, qualem non esse tuum tute  
520 probe pernosti. Nunc vera quum contra te rem tractabit cuiusvis  
tractandae rei mirificus artifex, tum qui hanc in rem unam plus  
propemodum laboris ac studii, quam in reliquis quas umquam  
egit omnes impendent. Certe, mi Lee, non credas quam multa  
525 sis quae numquam credidisses auditurus, quae si posses animo iam  
ante concipere, dubio procul abstinendum duceres ab inauspicatis  
istis laboribus, quos utinam tantum possis perdere.

Nam ille quicquid annotasti minutulum, prorsus in nihil comminuet;  
quicquid te nunc parum iuvat, sic tractabit ut etiam noceat;  
quod hactenus videbatur ambiguum, id contra te reddet  
530 dilucidum; tum si quid mutavit in melius, eius non modo nullam  
tibi habebit gratiam, sed reum etiam aget insolentiae, eiusque  
rei valde ridiculae, tamquam non gloriaris modo, velut *Ἐπιμηθεύς*,  
*μετά τὰ πράγματα*, eorum nos admonere quorum tempus praeteriit,  
dum salebras mones ac lacunas esse vitandas, quae iam sint  
535 complanatae, sed alienae praeterea laudem captes industriae, qui  
quicquid aut ipsum notavisse comperisses, aut alios, id in tuas  
totum annotationes referens, aliorum partus edas pro tuis, quorum

#75. To Edward Lee

adhuc quidam belli videntur tibi, quos qui genuerant eidem,  
velut informes ac monstrosos fetus abiecerant.

#75. To Edward Lee

Iam vero quum ad ea venerit, quibus errare te manifeste coarguat, 540  
non est quod exspectes illam, qua semper hactenus pepercit  
aliis humanitatem; qua quia multorum in se audaciam videt  
provocasse sese, vertet haud dubie vela, atque ita (vereor) tractabit  
te, aliis ut sis exemplo, ne quis ei negotium denuo solitae spe  
civilitatis exhibeat. Qua in re veniam, vel temet iudice, debet 545  
obtinere. Qui si tibi putes causam esse, cur illum invadas acriter,  
vel quod tacere nefas ducis, si quid adhuc reliquit incorrectum,  
vel si nihil reliquit, tamen ut tuam repares ac sarcias famam, quae  
tibi tota funditus interierit. Si toti credaris Europae (nam id  
populus curat scilicet) annotasse minutias; quanta aequius illi 550  
debes ignoscere, si tuam in se libertatem, pari libertate retaliet!  
Sive ut nunc est eius opus recognitum, nihil eorum retineat, quam  
tu reprehenderis, sive tu velut errata redarguas, quae sua sibi  
conscientia dictet esse rectissima, qui sibi non minus certe quam  
tibi citra ullam potest arrogantiae culpam fidere; ut non illud addam 555  
interim, quod totus iste tumultus tuus huc tendit denique,  
ne per illum putareris reculas quaspiam vel parum recte vel paulo  
minus magnas annotasse. Quum illi contra te sit enitendum, ne  
si tu recte magna notaveris, ipse magna carere nota non possit,  
quasi (quod nefas nemo non ducit) sancta parum sancte tractaverit. 560  
Haec quum ita sese habeant, non est, mihi crede, quod  
speres, quin si illum editis istis annotationibus attingas, suetae  
sibi suae lenitatis oblitus, suum ius summa vi persequatur. Itaque  
vehementer metuo, ne famam tuam, quantum ego video adhuc  
per illum integram, tute videri possis importuna purgatione polluerre, 565  
quod quibusdam ante video contigisse, qui an minus tuti  
fuerint quam tu, id quidem necesse est eventus iudicet certe non  
minus fuerant securi quam tu, quoad ille quid respondisset audivissent.  
Tum vero demum senserunt suae cenae sumptus absque  
hospite (quod aiunt) frustra sese secum deputasse, quod qui 570  
faciunt denuo oportet computent, quum hospes plerumque in  
rationem afferat, quod illi vel non recordabantur, vel sibi parentes  
omiserant.  
Quamobrem, mi carissime Lee, etiam te atque etiam rogo, ne  
tecum statuas nimium tuae spei fidere, qui quum me sis obtestatus 575  
per sanctissimum mihi nomen amicitiae, ut me hac in re tibi  
aequum praebeam. Sic mihi, mi Lee, contingat te ut perpetuum  
amicum habeam, ut ego nullo mihi pacto videor in te futurus  
aequior, quam si te contra (quod obnixe facio) per si quid est  
amicitia sanctius obtester, ut odiosis huiusmodi excussis iurgiis, in 580  
amicitiam cum Erasmo redeas, quod illum non recusaturum ausim  
profecto meam tibi fidem obstringere; neu vel is eam provinciam  
suscipere, quam semel ingressus numquam possis deponere, in qua  
perpetuo tumultu, rixa, contentione, molestiis tunica molesta  
molestioribus, aetatem reliquam, cuius adhuc spero tibi multum 585  
supra mediam superest, arsurus, mi Lee, sis verius quam victurus.  
Quin tu Christianae te caritati restituens, animo serenato, laetus  
hanc vitam et tranquillus exige, contemptaque unius inauspicati



libelli iactura, qui futuris etiam feturis tuis nonnihil offundat  
 invidiae, feliciorum aliquam materiam tibi circumspice quam eleganter 590  
 expolias; quae quum prodierit aliquando, prosit et probetur  
 omnibus; quae tuam famam et praesentibus reddat amabilem, et  
 magno cum favore transmittat posteris; quae denique sit eiusmodi  
 ut eius praemium potissimum sperare possis a Deo, quod genus  
 mercedis multo est omnibus mortalium bonis uberius. 595  
 In qua ego materia non veto, si quid fors inciderit, in quo vel  
 Erasmus aliquid, vel quisquis alius quicquam scripsit umquam, sit  
 ita lapsus insigniter, ut admonendus magnopere videatur orbis,  
 ad eundem ne quis rursus impinga[n]t lapidem, non, inquam, veto  
 quominus tu quoque denunties, quae declinari profueri[n]t 600  
 offencicula. Nec id abs te fieri aequus quisquam potest inique  
 ferre, modo res tractetur ea modestia, quae fidem faciat oblatam  
 potius monendi necessitatem, quam carpendi ansam esse quaesitam;  
 a quo limite quis non videt sulcus iste quam longe deliret,  
 quum ex professo liber cum libro velut hostis cum hoste committitur. 605  
 Quod ne tu velis committere, rursus, mi Lee, te per tuam  
 famam, mea mihi propemodum cariorem; per meas de te spes,  
 qui de nullo nostratum umquam concepi grandiores; et per caritatem  
 patriae, cui debitum ex te splendorem nubecula pergis  
 obducere; per amicorum tuorum sollicitudinem, qui mecum trepidi 610  
 suas quisque preces adiungunt, obsecro te atque obtestor  
 quam possum maxime, ut et tibi parcas et patriae, ne vel Leus  
 dicatur vel Anglus augescentibus orbis Christiani commodis  
 invidere.  
 Sin tibi penitus insederit tam generosus ardor gloriae, ut potius 615  
 quam cum illo non dimices, malis genuinum frangere, tuam quidem  
 vicem amplius quam dolere non possum; patriae certe pro  
 mea virili conitar ut hoc tuum factum, quod tantis bonorum doctorumque  
 omnium odiis exponi video, Britanni potius esse quam  
 Britanniae censeatur. Salva mihi tecum semper, quoad per te 620  
 licebit, amicitia. Vale. Cal. Maii. Anno M.D.XIX.

#75. To Edward Lee

76. To Margaret, Elizabeth, Cicely, John  
 c. 1519

T. MORUS MARGARETAE ELISABETHAE CECILIAE AC IOANNI  
 DULCISIMIS LIBERIS. S.P.

Quattuor una meos invisat epistola natos,  
 Servet et incolumes a patre missa salus.  
 Dum peragratur iter, pluvioque madescimus imbre,  
 Dumque luto implicitus saepius haeret equus:  
 Hoc tamen interea vobis excogito carmen 5  
 Quod gratum (quamque sit rude) spero fore.  
 Collegisse animi licet hinc documenta paterni,  
 Quanto plus oculis vos amet ipse suis.  
 Quem non putre solum, quem non male turbidus aër  
 Exiguusque altis trans equus actus aquas, 10

A vobis poterant divellere, quominus omni  
 Se memorem vestri comprobet esse loco.  
 Nam crebro dum nutat equus, casumque minatur  
 Condere non versus desinit ille tamen.  
 Carmina quae multis vacuo vix pectore manant, 15  
 Sollicito parius rite ministrat amor.  
 Non adeo mirum si vos ego pectore toto  
 Complector, nam non est genuisse nihil.  
 Provida coniunxit suboli natura parentem,  
 Atque animos nodo colligat Herculeo. 20  
 Inde mihi tenerae est illa indulgentia mentis,  
 Vos tam saepe meo sueta fovere sinu.  
 Inde est vos ego quod soleo pavisse placenta:  
 Mitia cum pulchris et dare mala piris.  
 Inde quod et serum textis ornare solebam 25  
 Quod numquam potui vos ego flere pati.  
 Scitis enim quam crebra dedi oscula, verbera rara,  
 Flagrum pavonis non nisi cauda fuit.  
 Hanc tamen admovi timideque et molliter ipsam,  
 Ne vibex teneras signet amara nates. 30  
 Ah ferus est, dicique, pater non ille meretur,  
 Qui lacrimas nati non fleat ipse sui.  
 Nescio quid faciant alii, sed vos bene scitis  
 Ingenium quam sit molle piumque mihi.  
 Semper enim quos progenui vehementer amavi, 35  
 Et facilis (debet quod pater esse) fui.  
 At nunc tanta mea moles accrevit amori  
 Ut mihi iam videar vos nec amasse prius.  
 Hoc faciunt mores puerili aetate seniles,  
 Artibus hoc faciunt pectora culta bonis: 40  
 Hoc facit eloquio formatae gratia linguae,  
 Pensa que tam certo singula verba modo:  
 Haec mea tam miro pertentant pectora motu,  
 Astringuntque meis nunc ita pignoribus:  
 Ut iam quod genui, quae patribus unica multis 45  
 Causa est, affectus, sit prope nulla mei.  
 Ergo natorum carissima turba meorum,  
 Pergite vos vestro conciliare patri.  
 Et quibus effectum est vobis virtutibus istud,  
 Ut mihi iam videar vos nec amasse prius. 50  
 Efficitote (potestis enim) virtutibus iisdem,  
 Ut posthac videar vos nec amare modo.

#76. To Margaret, etc.

81. To Richard Croke  
<1519?>

Quisquis is, mi Croce, fuit qui persuasit tibi mei in  
 te amoris aliquid ob intermissionem tuarum ad me litterarum imminutum  
 esse, aut ipse falsus est, aut te prudens fefellit. Ego certe  
 quamquam ex tuis litteris eximiam voluptatem capio, tamen neque

tam superbus sum, ut mihi tantum in te iuris vendicem tamquam  
servitutem debeas cotidiana salutationis, neque tam querulus  
ac morosus ut ob neglectum paulisper officium (etiam si quid  
deberetur) offenderer. Quin iniquus mihi viderer, si alienarum  
litterarum acerbus exactor sim, quando mihi sum conscius in hoc  
officii genere, quantus sim ipse cessator. Quamobrem quod ad  
hanc rem attinet, securus esto. Neque enim meus in te sic refrixit  
animus, ut assiduo litterarum flatu accendi oporteat atque foveri.  
Pergratum feceris si quum erit commodum, tum scripseris. Nam  
ut tantisper interrumpas meliora quibus in tuum ac Scholasticorum  
commodum tam continenter incumbis, dum tempus impartendum  
lectionibus, in salutandis per epistolas amicis consumas, hoc  
certe nequaquam suaserim.

Alteram excusationis tuae partem non accipio. Non est, mi  
Croce, quod meum nasum velut elephantis promuscidem reformides.  
Nam nec tuae litterae sunt eiusmodi, quae non quemvis  
intrepide possint adire, nec ipse tam valde nasutus, ut umquam  
formidolosus aut esse debeam, aut haberi velim. De loco tibi procurando,  
quem postulas, et Dominus Pacaeus amantissimus tui,  
et ipse apud Regem pariter tentavimus.

82. To Martin Dorp

<London>

<1519>

Praedivinabam facile, aliter aliquando sensurum te  
quam sentiebas. Verum enimvero ut non respisceres modo, sed  
edita quoque in id ornatissima oratione mutatum esse temet testareris,  
idque tam ingenue, tam citra fucum ullum, tam nullis prorsus  
ambagibus, hoc vero quum exspectionem meam, tum omnem  
omnium spem ac fere vota superavit; adeo res videbatur et  
incredibilis esse probitatis et absolutae modestiae. Nam ut nihil  
est tritius quam uti eisdem de rebus aliis aliter sentiis, ita nihil  
est usquam rarius quam ubi sententiam semel declararis, deinde  
asseveratione firmaris, postremo contentione defenderis; tum vela  
rursus agnita veritate vertere atque in portum unde solvisti velut  
frustra navigasses, remigrare denuo. Crede, mi Dorpi, mihi quod  
tu modestissime fecisti, id ab istis frustra quos hodie mundus pro  
modestissimis habet, exegisses. Ita sunt plerique omnes praepostero  
quodam pudore stupidi, ut esse potius sese stultos indicent  
quam fuisse umquam olim fateantur. Quanto tu, mi Dorpi, sanctius,  
cui quum illud acumen ingenii fuerit, ea doctrinae copia,  
ea dicendi vis, ut si quid tueri liberet tibi, quod vel parum probabile  
videretur, vel omnino paradoxon, potens esses tamen approbare  
lectoribus; maluisti certe veritatis quam fuci cupidior omnibus  
declarare mortalibus falsum aliquando fuisse te potius quam  
perpetuo falleres.

Quid quod eximiam hanc modestiam alia rursus modestia superasti,  
qui quod ingenii tui felicitate contigit, ut verum quod  
esset ipse perspiceres, id aliorum tribuas admonitionibus, atque  
etiam meis. Ita quum primus tibi sapientiae gradus et debeatur,

et omnium deferatur calculis, ipse temet solus in secundum detrudis; #82. To Martin Dorp  
 eruditorum certe vel cubitis retrudendus in primum. Etenim  
 quum meam illam epistolam verbis magis quam rebus uberem  
 cum oratione tua tam eloquente, tam densis, tam efficacibus argumentis 30  
 referta comparo; satis, mi Dorpi, satis mea cum rubore  
 video quam nihil illa momenti ad te mutandum attulerit, cui nunc  
 vel civilitatis causa vel modestiae, tuam laudem cedis; sed quae te  
 rursum quo magis fugitur magis haud dubie sequitur.  
 Itaque, mi carissime Dorpi, hoc tuum factum quo rarioris 35  
 exempli est, eo plus tibi cogites verae peperisse gloriae, nec ullo  
 umquam saeculo intermoriturae.  
 Certe si, qua coeperunt, gnaviger intendant via, bonas ut litteras  
 opprimant atque extrudant e scholis, miram exspecto mutationem 40  
 brevi, nempe ut ubilibet potius emergant eruditi, tum ut qui versantur  
 in Gymnasiis publicis, quemadmodum actus indifferentes  
 esse decernunt, sic ipsi tandem decernantur inter doctos et indoctos  
 medii. Piget me, mi Dorpi, de rebus istis illorum quadam miseratione  
 cogitare, qui paucorum factione pertinacium, in partem 45  
 invidiae nihil merentes veniunt. De tua vero laude, quam illorum  
 opprobrio, multo magis libenter cogito.

83. To a Monk  
 <1519-1520>

EPISTOLA CLARISSIMI VIRI THOMAE MORI, QUA REFELLIT RABIOSAM  
 MALEDICENTIAM MONACHI CUIUSDAM, IUXTA INDOCTI ATQUE  
 ARROGANTIS.

Perlatae sunt ad me litterae tuae, frater in Christo carissime,  
 longae quidem illae, et mira quae dam signa prae se ferentes  
 amoris erga me tui. Quis enim possit affectus esse vehementior,  
 quam qui te tam impense reddit de mea salute sollicitum, ut etiam 5  
 tuta pertimeas? Times enim, ne sic Erasmum diligam, ut eius contagio  
 corrumpar, ne sic hominis adamem litteras, ne nova eius  
 peregrinaque doctrina (sic enim scribis) inficiar. Quod ne accidat,  
 postquam aliquot paginis in hominis eruditionem et mores, totis  
 (quod aiunt) habenis invectus es, oras tandem atque obsecras perquam 10  
 sancte scilicet, ac per ipsam Dei misericordiam tantum non  
 adiuras, ut diligenter ab illo caveam.  
 Nam primum iuxta Apostolum inquis, Corruptunt bonos  
 mores consortia prava. Deinde citas ex illius proverbii, quod Qui  
 iuxta claudum habitat, discet succlaudicare. Denique affers e 15  
 poeta quoque testimonium (ut facias, opinor, triadem) Dum spectant  
 oculi laesos, laeduntur et ipsi.  
 His atque aliis huiusmodi, quamquam nihil est eius periculi,  
 quod tu pertimescis, sedulo tamen abs te curatum est, ut ego ab  
 eo loco, in quo tu periculum esse putas (si modo putas) averterer. 20  
 Quamobrem, nisi tam grati erga me animi gratia, gratias immensas  
 agerem, merito viderer ingratus, ingrator adhuc futurus,  
 si posteaquam tu me gradientem videns in planitie, fervido quodam

amoris aestu pertimuisti ne caderem, ego te per praecipitia currentem  
 intrepidus ac securus aspiciam, neque ad te clamitem, ut  
 tibi caute prospicias, sensimque inde ac circumspecte referas 25  
 pedem, unde sit periculum ne corruas. Itaque primo collustrabo  
 locum, in quo versor ipse, in quo quum tuta omnia esse docuero,  
 tum denique commonstrabo tibi arcem istam tuam, e qua Erasmus  
 nostrum velut e sublimi tutoque despicias, periculose nutare.  
 Nam primum quid mihi periculi est, si Erasmus credam in 30  
 Novo Testamento multa rectius vertisse quam Interpretem veterem,  
 si credam Graecis ac Latinis litteris Erasmus illo peritior?  
 Id quod non credo tantum, sed etiam plane video scioque. Nec  
 potest id cuiquam esse ambiguum, cui vel exigua fuerit utriusque  
 linguae notitia. Quid periculi est, si eorum librorum lectione delecter, 35  
 quos doctissimi quique, maximeque pii, velut una voce collaudant?  
 Quos Pontifex Maximus, pariter et Optimus, bis iam pronuntiavit  
 utiles esse studiosis? Quomodo tam periculosa possim  
 illo docente discere, qui nihil ipse definit, qui vel aliena, vel sua  
 sic proponit in medium, ut iudicium reservet integrum lectori? 40  
 Qui si maxime falsa assereret, non tamen usque adeo sum stupidus,  
 ut non olfaciam, quid verae fidei, quid morum probitati congruat,  
 nec sic in cuiusquam verba iuratus, ut non libere ab illo, sicubi  
 subsit causa, dissentiam. Quamobrem ab illo (quod dixi) nihil  
 discriminis imminet mihi, etiam si (quod tu scribis) quaedam 45  
 forent parum sana quae scriberet.  
 At tibi contra, quod doleo, nescio qua mala sorte contigisse  
 video, ut quum ille tam numerosa volumina, tam plena non eruditionis  
 modo, sed verae quoque pietatis ediderit, quam non alius 50  
 quisquam multis iam retro saeculis, tu nobis in periculum venias,  
 ut quod aliis salubre sit remedium, id tibi praestigiator aliquis  
 verterit in venenum. Non potui (mihi crede) pro meo in te  
 amore, sine gravi dolore legere, quae nescio quo tu calore scripsisti,  
 quum in hominem nihil male meritum de te, publice vero 55  
 de omnibus meritum bene, convicia velut e plaustro tam intemperanter  
 evomeres. Dum eruditioni detrahis, debaccharis in vitam,  
 vagabundum dicis et pseudotheologum, sycophantam clamitas,  
 haereseos crimen impingis ac schismatis, eo usque progressus  
 petulantiae, ut praeconem etiam voces Antichristi, etiam si eam 60  
 rem videlicet perbelle permollias, quod quum id improbissime  
 dixeris, dicas te nolle dicere.  
 Quis versipellis et callidus Daemon, amice iam diu carissime,  
 strophas huiusmodi veteratoriasque versutias in tuum pectus tam  
 simplex olim vereque candidum, quum adhuc profanus esses, 65  
 nunc tandem tot annos monachi, quodque multo sanctius esse  
 debet, etiam sacerdotis, invexit ut dicas: Haereticum, non voco,  
 sed ea facit, quae qui fecerit est haereticus. Non appello schismaticum;  
 sed ea facit, quae qui fecerit schismaticus est. Antichristi  
 praeconem ego non nomino. Sed quod si Deus hoc ipsum de Erasmo 70  
 asseruerit? Parco tamen, ne forte existimes aliquid de me  
 supra id quod vides aut audis in me. Proh deum atque hominum  
 fidem, quid ego de te audio? Testor hoc in loco tuam conscientiam,  
 non erubescis, non totus intremiscis, dum rem tam impiam talibus

#83. To a Monk

adornas prodigi[i]s, dum, quod homuncio quispiam scelerate  
mentitur, id tu tam sancte nobis velut e caelesti vaticinio decantas, 75 #83. To a Monk  
dum alienae famae detractionem, opus plane Diaboli, ad Deum  
refers auctorem? Nam quod tamquam modestiae causa parcere te  
dicis, ne magnum aliquid de te existimem, ita Deum precor,  
uterque nostrum de se sentiat humiliter, ut ego de te nihil existimassem 80  
sublimius, etiam si id aperte narrasses tibi revelatum ipsi,  
etiam si nomen expressisses angeli, vel daemonis, qui hoc ad te  
detulisset. Quippe quam rem ne iurato quidem credidisset, sed  
suasissem potius, ne omni spiritui crederes, praesertim ei qui quantumvis  
falsa luce praefulserit, angelum tamen tenebrarum sese,  
detractionis et calumniae, susurro peculiari Satanae signa prodidisset. 85  
Maluissem tibi occinere illud Pauli: In novissimis temporibus  
discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis  
daemonum in hypocrisi loquentium mendacium et cauteriatam  
habentium conscientiam. Idem illud eiusdem: Nemo vos seducat,  
volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, 90  
frustra inflatus sensu suae carnis. Haec nimirum magis  
congruebant quam illud quod tu tibi stulte applicas ex Apostolo.  
Nunc vero quando significas non revelatum tibi, sed alii nescio  
cui, multo etiam minus commoveor. Etenim quamquam non dubitem  
Deum interdum quaedam revelare mortalibus, non tamen 95  
usque adeo stulte sum credulus, ut trepidus expavescam, quicquid  
aut delirus quispiam somniet aut confingat impostor aut energumeno  
malus inspiret genius. Non dubito quin similibus afflatus  
sit orgiis is etiam quem scribis his verbis admonuisse te: Noveris 100  
pro certo, quod Erasmus iste, quem tanta sequitur pompa verborum,  
non recte sentit de fide Catholica aut Sacra Scriptura; hoc  
multoties ostendit, ubi secretam possit habere audientiam; expertus  
sum quod dico, et hoc saepius.

Hactenus illius boni viri de Erasmo apud te praeconium, quem  
dicis etiam (quisquis est), egregiam excogitasse adversus Erasmus 105  
Apologiam, quem tamen admones ne suspicer esse Leum. Noli  
vereri, non suspicor, nam de Leo satis persuasum habeo, quamquam  
nescio quo impetu eo sit ingressus, unde nunc pudet regredi, ea  
tamen virtutis indole praeditum, his artibus afformatum ingenium  
esse, ut etiam si de litteris obstrepat, non sit prorupturus in convicia; 110  
tuum virtutis hunc praedicant quidam longe Leo dissimilem. Nam  
quem tu fide dignum dicis virum, plene gravem atque, ut tuis  
utar flosculis, morigeratum secundum saeculi dignitatem, honorabilem,  
nec minus integritate vitae quam praeclara eruditione conspicuum,  
eum qui novere penitus longe depingunt aliter, non 115  
dignum fide, non valde moratis moribus, vere morosum, honoratum  
tamen alicubi magis quam honorabilem. Eruditionem vero  
Apologia, quam laudas, ostendit, quam qui videre quidam et non  
indocti, et qui bene consultum cupiunt homini, eoque suaserunt  
ut vel exureret vel abderet perpetuo, constanter asserunt hominem 120  
fere ad insaniam usque delirum, nisi quod quibusdam gaudet  
lucidis intervallis. Quem quum talem deliniarent, impetrare non  
potui uti quis esset edicerent, ne per ipsos nominatim traduci posset,  
priusquam egregium ingenii ac doctrinae specimen in lucem

prodiens, praeclara illa Apologia prodidisset.	125	#83. To a Monk
Sed excutiamus, obsecro, paululum, quam fide dignus sit iste perfidus, cui tu fidem habes, Erasmus non recte sentire de fide; qua de re, ne fidem infido non habeas, ait Erasmus id saepius ostendere, ubi secretam possit habere audientiam. Seque ipsum id non expertum tantum, sed etiam saepius expertum, ut non ab aliis	130	
sed ab ipso. Erasmo istud eum frequenter audisse intellegeres. Ut semper ventas exeret sese, ut concinnantes mendacia, vel casus aliquis arguit, vel rei natura destituit. Vel ipsi sese tamquam sorices produunt. Quid enim veri possit esse similius quam si de fide perperam sentiebat Erasmus, homo tam stupidus, ut non sentiret simul, quid ex ea re discriminis esset futurum, quid, inquam, veri fuerit similius quam aliquos ambire semper solitum ac precibus impetrare, ut sibi liceret apud eos narrare, secreto sese esse haeticum? Nec enim requirebat aliud ut ait iste tuus fide dignus testis, quam secretam audientiam. At quamdiu vixit apud	140	
Coletum, quamdiu apud Reverendum Patrem Roffensen Episcopum, quamdiu apud Reverendissimum Cantuariensis Ecclesiae Pontificem, ut omittam interim Monioium Tunstallum Pacaeum Grocinum, quibuscum saepe diuque versatus est, de quorum virorum laudibus si quid conarer exponere, merito viderer ineptus, quum horum nemo sit quem non omnes intellegant, a nemine satis laudari posse? Quis istorum non centies cum illo collocutus est secretissime, quis eorum vel semel audivit aliquid unde vel suspicio possit oboriri, non illum rectissime sentire de fide? Nam si quid tale fuissent vel subodorati, meliores certe sunt quam ut rem tam atrocem dissimulare potuerint. At quis est eorum omnium, qui non ita perpetuo dilexit illum, ut quo diutius eum noverit, ac pernorit intimius, eo semper magis magisque deamarit? Sed illis, opinor, non ausus est credere, talium virorum veritus pietatem. Recte sane quaerebat ergo aliquem cuius neque conscientiam vereretur, neque proditionem metueret. Nempe quem ex vultu, verbis, vita, probe perpendisset, eiusdem sacri mysterii. Talis igitur necesse est fuerit ille tibi tam impense laudatus, ille, inquam, fide dignus, gravis, morigeratus, honorabilis, eruditus, integer. Cui ut vides numquam illud secretum toties commisisset Erasmus, nisi,	145	
praeter tot egregias abs te commemoratas dotes, etiam fuisset haeticus. Si quaeramus ab illo, quum se tam saepe dicat expertum, quomodo se probet expertum, vel semel fatebitur, opinor, probare non posse, nam rem sibi negat nisi secreto creditam. At quisquis eius arguit criminis quemquam, quod ipse fatetur se docere non posse, certe si sycophanta non est, perquam affinis est sycophantiae.	150	
Sed age quaeramus, quum tam saepe sit expertus, ubi nam de haeresibus collocuti sunt, aut quando tractarunt invicem. Necesse est olim fuerit. Nam Erasmus iam diu afuit. Cur igitur illo praesente conticuit, quando non paulo magis ad rem pertinebat, ut proderet, quo vitaretur noxius, quam nunc ubi eo absente, non tantundem imminet periculi, nam in libris nihil potest latere secretum quod non oculi perspicaces eruerint. Sed longior sum quam par est, in reiciendis ἀποκαλύψεις illius praestigiaturis, et arguendo	155	
	160	
	165	
	170	
	175	

singulari isto non teste modo sed accusatore quoque atque  
 etiam suoapte indicio reo, qui fictus est, ut vides, et scelerate mendax,  
 et nisi mentiretur sceleratior, nempe diu conscius ac serus  
 proditor. Denique seu vera, seu falsa referat, utrobique perfidus.  
 Certe neque Erasmi fides obscura esse potest, quam tot labores, tot 180  
 vigiliae tot pericula, tot rerum, tot salutis incommoda ob Sacras  
 suscepta Litteras, ipsum fidei promptuarium illustrant; nec nova  
 est ista adversus optimos quosque haereseos excogitata calumnia,  
 sed in sanctissimos iam olim viros a Satanae satellitio tam valide  
 contorta machina, ut quorum laboribus undique fides effloruit, 185  
 ipsi coacti sint editis in id symbolis fidei suae rationem reddere.  
 Nunc ad ea veniam, quibus praeter illius fide digni testimonium,  
 praeterque per corneam illam Homeri portam caelitus emissa  
 somnia, ansam ex ipsius libellis arripuisti, qua teneres hominem  
 manifestae videlicet impietatis reum. E quibus illud gravissimum 190  
 caput est, quod non veritus est, ut ais, audaculus est Erasmus pluries  
 inter scribendum afferre (id quod nefas est) ipsos sanctissimos  
 pariter atque doctissimos patres, illa, inquam, praeclarissima  
 Spiritus Sancti organa, Hieronymum, Ambrosium, Hilarium, Augustinum,  
 et alios huiusmodi, qui universam Dei Ecclesiam ita 195  
 suo illustrarunt lumine, ut nihil iam indigeat istiusmodi obscuri  
 hominis tenebrositate noviter colorari, lapsos esse alicubi. Obsecro,  
 nefas tibi videtur esse si quis dicat illos ipsos quos commemorasti  
 lapsos alicubi? Quid si illi ipsi, quibus defendendis advocatus, non  
 vocatus, advenis, attestentur Erasmo? An non tum ridicule eorum 200  
 causam tu, qui tuum recusant patrocinium, peroraveris? Age ergo  
 negas umquam eorum quemquem esse lapsum?  
 Rogo te quum Augustinus Hieronymum censet male vertisse  
 quaedam Scripturae loca; Hieronymus suum tuetur factum: neuter  
 labitur? Quum Augustinus afferat indubitatum habendam esse 205  
 fidem translationi Septuaginta Interpretum, Hieronymus neget,  
 et eos errasse contendat: neuter labitur? Quum Augustinus consensum  
 illum ex Spiritu Sancto ex diversis cellulis eadem proferentium  
 astruat; Hieronymus contra, ineptum illud commentum  
 derideat: neuter labitur? Quum sentiant ex diametro diversa, 210  
 quum Hieronymus Epistolam ad Galatas sic interpretetur, ut dicat  
 Petrum simulate reprehensum a Paulo, Augustinus neget: neuter  
 labitur? Quum Hieronymo displiceant Augustini labores in  
 Psalmos; Augustino placeant: neuter labitur? Quum Augustino  
 quodcumque mendacium peccatum sit; Hieronymus mendacium 215  
 in loco laudet: neuter labitur? Quum Augustinus, uxore ob fornicationem  
 dimissa, neget, illa viva alteram duci posse; Ambrosius  
 licere confirmat: neuter labitur? Hieronymus censuit uxorem ante  
 baptismum habitam, alteram item post baptismum, non imputari  
 ad digamiam; Ecclesia nunc censet errasse. Augustinus Daemones 220  
 asserit, atque Angelos item omnes substantias esse corporeas; non  
 dubito quin tu neges. Asserit infantes sine baptismo defunctos,  
 aeterna sensus poena torquendos, quod nunc quotus est quisque  
 qui credat? nisi quod Lutherus fertur, Augustini doctrinam mordicus  
 tenens, antiquatam sententiam rursus instaurare. Quotus 225  
 est quisque Sanctorum veterum qui non crediderit Divam Virginem



in originali peccato conceptam, at nuper exorti sunt qui  
negent, ad quos propemodum Christianus orbis a veteribus omnibus  
descivit.

Nullus erit finis, si cuncta coner prosequi in quibus doctissimos 230  
illos et sanctissimos viros liquido constet errasse, quorum libros  
si legas, errata nescire non potes, nisi quae legis non intellegas.  
Ergo qui illum vocas audaculum, ipse multo deprehenderis audacior,  
qui audes illos affirmare numquam lapsos esse; quod si velis  
tueri, necesse est illorum libros, vel non legisse te, vel non intellexisse 235  
fatearis. Immo qua fronte potes eum reprehendere, qui idem  
dicat quod tu? Nam lapsum Augustinum in asserendis daemonum  
corporibus, in damnandis infantibus, Hieronymum in digamia,  
omnes prope Veteres in conceptu Virginis, non dubito quin tute  
dicas, et tamen haec ita quum sint, et quum in Sacrarum interpretatione 240  
Litterarum sancti illi Patres inter se tam saepe dissenserint,  
idque magis perspicuum sit, quam ut possit negari, mirum est  
tamen, ut tu pueriliter exclamas, et caelum terrae permisces, sicubi  
quis vel Carrensem convincat errasse, vel delirasse Lyranum.  
Augustinus non veritus est dicere, nemini se post Apostolos tantum 245  
auctoritatis tribuere, ut eius dictis indubitata habeat fidem,  
nisi quatenus aut ex Scripturis aut ratione liquido possit docere.  
Tu Divos omnes putas tibi demereri perpetuo, si vocifereris eos  
numquam esse lapsos. At illi vel incitiam tuam derident, vel importunum  
istud studium tuum detestantur. Neque talem expetunt 250  
patronum, quorum caritas magis eorum favet industriae, qui  
si quid illi lapsi sint, admoneant alios, quam eorum superstitiosae  
pietati, qui inutili patrocinio eorum lapsus in aliorum ruinam  
propagent.

Iam vero, quum etiam in stilum eius, stilum intendas tuum, dabis 255  
mihi hanc veniam; non possum profecto me continere quin  
rideam; nam cum desideres in illo eam sermonis facilitatem, quam  
quivis lector intellegat, dum in illo damnas ac rides, quod Latinis  
interdum Graeca permiscet, tam circumspectus es, ut non videas  
eadem opera te taxare Hieronymum, in quem etiam, velis nolis, 260  
praeclara illa tua recidunt scommata, qui et saepe Latinis interserit  
Graeca, et quaedam scripserit eruditiora virginibus, quam quae  
nunc theologiae plerique professores intellegant. Quid si aliquem  
tractatum integrum Graece perscripsisset Erasmus, an non, tum  
eum multo magis cum ratione posses irridere quam nunc, quum 265  
non nisi quaedam interspergat? Atqui eadem ratione nostrae  
mulieres eos irriserint omnes, quicumque scripsere Latine. Quid  
quod nec magnis aperte, nec stilo magis facili quisquam scripsit  
umquam, qui quidem Latine scripsent usque adeo, ut nimiam  
stili facilitatem Budaeus in illo, vir alioqui doctissimus, non sit 270  
veritus reprehendere. Nemo diligentius vitat, quod tu illi vitium  
obicis, insuetiora vocabula, quum isti tamen, quos tu ais uti  
modestiore stilo, fere tertium quodque verbum effingant novum,  
ex quibus te quoque puto sermonis istas delibasse delicias, morigeratus  
et vagabunda conversatio, tenebrositas, identitas, aliasque 275  
id genus gemmulas.

Verum quum praeter affectatam eloquentiam, multa sint alia

#83. To a Monk

eaque indigna, quae obiectas Erasmo, age fatebitur omnia, si is in  
 integro aliquo volumine tantum affectaverit eloquentiae, quantum  
 tute interdum in uno affectas versiculo, velut, exempli causa, quum  
 quaeritas, ‘Quid ergo dicent ad haec, qui totos annos in huiusmodi  
 expendunt perituris, et ilico marcessuris rhetorum depictis  
 flosculis?’ Profer ex omnibus, quae te significas in Erasmo legisse,  
 si quid umquam legisti tam turgidum, quam sit hic unus versiculus  
 tuus, quum tamen sit male grammaticus. Nec istuc tamen eo dico,  
 quod soloecismum in te vituperandum putem, a quo sermonis  
 puritatem nec exspecto, nec exigo, quum non ignorem, neque tibi  
 vacasse umquam, ut posses discere, nec, si vacasset maxime, praeceptores  
 contigisse, qui traderent. Sed haec eo dico, ut quum tibi  
 decorum putes tam anxie eloquentiam affectare, quum ne grammaticam  
 quidem possis consequi, ne vitio vertas Erasmo, quod olim  
 partam, et nunc ultro offerentem sese, non aspernatur elegantiam.  
 Quum adversus linguarum studium disseris, illud iucundum est  
 quod doles, dum Graeca lingua discitur et Hebraica, aliquid interim  
 de Latinae linguae puritate deperire, in cuius venustatem  
 paulo ante tam atrociter exclamaveras, quasi tantum terrarum  
 inter puntatem sermonis intersit ac venustatem, quum tamen  
 Hieronymus eo loco, quem citas, queratur defloratam esse venustatem,  
 nec id ob aliud, quam ut vehementius suum commendet  
 studium, quod in Hebraeas litteras insumpserat, quas dignas censuit,  
 quae vel cum Latinae linguae detrimento discerentur quum  
 Graecae sint adhuc magis utiles. Vel ob Novum Testamentum,  
 quod tam longe praestat Veteri, quam corpus umbram, aut veritas  
 figuram antecellit, vel propter Sacrarum Litterarum interpretes,  
 quorum optimus quisque ac sanctissimus fere scripsit Graece.  
 Vel denique propter artes, quas liberales vocant, ac philosophiam,  
 quibus de rebus Latini scripsere propemodum nihil. Quid quod  
 negare non potes, ut quisque Latinorum maxime scivit Graece, ita  
 eundem in sua quoque lingua fuisse dissertissimum, idque non  
 olim tantum, sed nunc quoque passim usu venire?  
 Nec Hieronymus ipse post imbibitas Hebraicas litteras minus  
 venuste scripsit quam prius, id quod opera eius posteriora declarant,  
 quamquam illi placuit excusare stilum suum, vel qua de  
 causa commemoravi, vel quod ubique id agit, ut eloquentia, quam  
 affert, comes accessisse videatur inaccersita. Illud certe pulcherrimum  
 est, quod eo rem deducis tandem, ut mediocrem notitiam  
 linguarum laudes, nimium tantum studium damnes, quasi longe  
 ultra mediocritatem iam promotum sit, citra quam adhuc longo  
 intervallo subsistitur. Sermonis puritatem obviis, quod aiunt, ulnis  
 fateris amplectendam, at in lepidae orationis venustatem, tragicis  
 clamoribus intonas deflesque admodum lamentabiliter, quod in  
 eius sinum, qui olim tantum patebat Ethnicis, nunc tandem bona  
 Christianismi pars deflexerit miserabiliter. Quasi vetustissimi quique  
 sacrorum Patrum non venustate claruerint, quum qui hodie  
 Sacras tractant Litteras, augustam illam tanti rei maiestatem impuro  
 sermone fere contaminent. At hac in parte tam belle videris  
 tibi dicere, ut post ea quaque, quum pro eadem sententia depugnasti  
 fortiter, tandem velut victor insultes, et quaeras, ‘Quorsum

#83. To a Monk

280

285

290

295

300

305

310

315

320

325

igitur attinet Divinarum veritatem Scripturarum flosculis adornare sermonum, quod et Apostoli ceterique Sancti Doctores, ut rem absurdissimam prorsum evitabant, maxime quod exiguitati parum eruditorum penitus adversari videbantur?’	330	#83. To a Monk
Denique ad hunc modum mirifice rhetoricatus epilogum totum facete scilicet, sumpto ex Evangeliiis epiphonemate concludis, ‘Vetus melius est.’ Quibus in verbis istud perpulchrum est, quod	335	
Apostolos et sanctos illos nascentis Ecclesiae Patres ita copulas, tamquam eadem stilo sint usi. Augustinus etiam Apostolis eloquentiam tribuere non dubitat, ita illis propriam, ut nec alios illa decere possit, nec illos alia, sed quae rhetorum tamen figuris omnibus abundet etiam. Certe Sancti illi Patres, Hieronymum dico, Cyprianum, Ambrosium, et ceteros, eius aetatis dissertissimos oratores	340	
aequabant. Eloquentia adeo non officit orationis luci, ut etiam non sit eloquens, quisquis est obscurus, quum sit hoc in primis oratorum praeceptis, ut sermo sit dilucidus. Si Apostoli sermonis elegantiam ideo declinabant maxime, quod, ut tu ais, exiguitati parum	345	
eruditorum maxime adversari videbatur, cur adhuc adeo sunt obscuri, ut neque parum eruditi, neque multum sine multo labore intellegant, sed ne sic quidem ubilibet. Vetustissimi Patres, eidemque Sanctissimi, sicuti scripserunt eloquenter, ita scripserunt etiam luculenter, et tamen hodie plerisque Theologiae professoribus	350	
illucescere non possunt. Quid ita? Nempe quod nulla lux tam potest esse lucida, ut luceat etiam caecis. Sunt enim isti non (ut dicis) parum eruditi, sed prorsus ineruditi. Nam quod Sanctos Patres non intellegunt, suam caecitatem in causa esse, non illorum tenebras, vel hinc evidenter liquet, quod quae nunc isti magistri	355	
nostri non intellegunt, olim intellegebant virgunculae. Scribebant illi, quod dixi, dissertissime, sed quidem etiam apertissime, si quis linguam Latinam calleat. Etenim rati sunt fare, ut quisquis eos cuperet intellegere, is aut Latine disceret aut curaret vertendos in linguam vernaculam; neque enim divinare poterant talia umquam	360	
portenta conscensura cathedras, quae in suae segnitiae patrocinium cuncta velut obscura condemnarent, quaecumque scripta non essent lingua Latino-Gothica.		
Quamobrem cum Evangelica illa centena (nam hoc tuum est verbum) concludas, ‘Vetus melius esse,’ confiteor meliorem esse	365	
priscorum Patrum eloquentiam, quam neotericorum balbutiem; ita vides hanc centonam tuam, qua te mire videam placuisse tibi, pro Erasmo facere maxime et in tuum caput esse retortum. Eiusdem farinae est, quod tibi videre facetulus, quum labores eius in Hieronymum perstringis, inquires, Perdidisti nobis vinum infusa	370	
aqua. Quum tot mendis eius libros purgat, tot locis veram lectionem restituit, perdidit tibi vinum infusa aqua? Cur igitur dilutum bibis, quando vetus illud acetum tuum, quod febrienti palato merum sapit, adhuc sit integrum?		
Verum de discernendis eius auctoris operibus, quando res nonnihil a phrasi dependet, ignosco tibi certe, si digito quoque monstratas eius censurae causas, tamen videre non potes. Iam vero quum tibi visum esset, ostendere Graecam linguam non tam necessariam esse ad veram Scripturarum intelligentiam, quam quidam	375	

censent, et supervacaneos esse labores Erasmi, Novum Testamentum rursus vertentis e Graeco, tamquam firmam subicis basim, quod ‘Sancti illi Patres,’ (nam tua verba recenseba), ‘Hilarius et Augustinus, satis nobis fuisse asserebant interpretationem Septuaginta Interpretum, ad omnem Sacrae Scripturae veritatem, habemus nempe,’ inquis, (si id sat non esset), ‘Hieronymianam editionem quoque, omnium linguis merito praedicandam, habemus et alias tum praeclaras, tum etiam iuxta eruditas, et tamen nescio quo pacto haec omnia nihil conferre videntur, nisi istiusmodi novi interpretis addatur translatio.’	380	#83. To a Monk
Iam vide ab initio, quum te viderem hanc suscepisse provinciam, neque nescius essem vix potuisse fieri, ut quae ad causam facerent umquam didicisses, nihil dubitabam, etiam si quaedam effutire posses in genere, tamen, si quando speciatim ad ea descensus esses, ex quibus vel constabilire tua deberes vel aliena revellere, tam demum proditurum te quam tenuiter venires instructus ad negotium. Obsecro te per tuam fidem, tu qui tot habes editiones, tot translationes in Novum Testamentum, tam praeclaras, tam eruditas, ut nunc non sit opus Erasmica, cur inaestimabilem thesaurum uni servas tibi? Ego certe quamquam non sum nescius olim fuisse multas, eamque rem fateatur Augustinus multum fuisse utilem, tamen hodie non reperio quemquam, qui praeter hanc Vulgatam sese fateatur umquam vidisse aliam. Annotavit Valla utiliter quaedam, non transtulit; eas annotationes Erasmus edidit. Alius fortasse non fecisset, qui quidem statuisset idem tractare argumentum. Faber Stapulensis Paulinas vertit epistolas, non totum Testamentum. Tibi igitur ostendendae sunt, praeter translationem Septuaginta Interpretum, ac praeter Hieronymianam quoque, aliae illae, quae tam praeclarae sunt atque eruditae, ut prolatis his abicere oporteat Erasmicam. Iam Hieronymus, cuius translationem habere te dicis, si credas, ipse non transtulit, sed quam tunc praecipue receptam vidit, eam ad Graecorum codicum fidem emendavit, id quod illa satis declarat Epistola: ‘Novum opus me facere cogis ex vetere,’ si quis eam epistolam satis intellegat.	385	
Hieronymi labores perdiderunt eadem pestes, quae nunc invadunt Erasmicos, inscitia atque invidia eorum, quibus ille prodesse studuerat. Certum est in hac editione, quae nunc in templis canitur, nullum exstare propemodum Hieronymiani laboris vestigium. Immo illas ipsas adhuc exstare mendas, quas ille censuerat emendandas, ex quibus aliquot Erasmus obiter annotavit. Quam rem demiror non advertisse te, nam alioqui potuisses hac de re aliquanto iudicare sanius. Ne clamites totam Ecclesiam tot aetates hanc probasse translationem. Legit enim ut vel optimam quam habuit, vel quod ego verius opinor, primam, quamque semel receptam atque imbibitam, non erat certe facile vel oblata meliore commutare; approbavit vera numquam, neque enim idem est legere quod approbare. Quum contra constet numquam fere fuisse quemquam Sacrarum Litterarum studiosum, qui quidem aliquam sibi compararit utriusque linguae facultatem, quin is in illo Interprete multa desiderarit. At si quod non praestitit quae non potuit,	390	
	395	
	400	
	405	
	410	
	415	
	420	
	425	
	430	

dignus est venia; quod vero quae potuit, praestitit, dignus est  
etiam gratia, quam et hi merentur, qui vel quod illi defuerat, afferunt,  
vel quod ab aliis depravatum est, sarciunt.

Sed interim vides editionem Hieronymianam, quam habere te  
dicis, omnium linguis merito praedicandam, nulla iam lingua legi. 435

At interpretatio Septuaginta Interpretum, ea saltem sufficit, sic  
enim scribis, ad omnem Scripturae veritatem, quod ne quis audeat  
oppugnare, propugnatrices obicis Sanctorum Patrum Hilarii  
atque Augustini sententias. Quid hic faciam, quo me vertam?

Negare non audeo quod Sancti illi Patres affirmant. At si concessero 440  
quicquid nunc vertit Erasmus, id iam olim ab Interpretibus  
illis Septuaginta sufficienter esse versum, necesse est fatear simul  
multo minore cum fructu idem hunc vertisse denuo. Quid si sic  
interea tempus differam, ut negem Sanctos illos Patres istud asserere,  
quod tu ab his assertum asseris? Et certe sic faciam quoad 445  
tu ostenderis. Vide igitur ut locum proferas in quo dicunt illi  
Septuaginta Interpretes Testamentum Novum sufficienter in  
linguam vertisse Latinam. Interea vero dum tu illum locum  
quaeris, mihi licebit, quod ad hanc rem attinet, per te quietum  
esse. At eum haud quaquam inventu facilem credo, quum eos 450  
omnes audiam non nisi Graece vertisse, quod si verum est, quomodo  
potest eorum versio Latinis esse sufficiens? Quin et illud tibi  
simul quaerendum est, quo pacto potuerint Septuaginta Interpretes  
sufficienter vertere Testamentum Novum, quum eos omnes mortuos  
esse constet annis plus minus ducentis ante Christum natum. Non 455  
dubito quin, quum haec ita habere comperias, pariter etiam comperies  
eos quibus hactenus his de rebus credidisti, nihil ipsos  
hactenus comperisse veri.

Venio nunc ad ea quae tu minutula vocas ac nihili, quae velut  
eximie nugacia speciminis loco descripsisti, quibus facias omnibus 460  
perspicuum meris ineptis illum macerare sese et totos 'quaternos,'  
ut tuis verbis utar, implere. Primum reprehendis, quod displiceat  
ei 'sagenae' vocabulum. M.I3. ac 'verriculum' legi velit, quum  
tamen, ut ais, eandem rem significant 'sagena' et 'verriculum.' Non  
dubito quin videre tibi dixisse praeclare. Sed primum doce displicuisse 465  
ei 'sagenae' vocabulum, quod ille vocabulum non reprehendit,  
quamquam praefert alterum, tantum dicit Interpretem  
reliquisse vocem Graecam. At idem significant, inquis, 'verriculum'  
et 'sagena,' quis hoc aut negat aut nescit? Sed tamen, ut eius annotatio  
te docere potuit, 'sagena' vox est Graeca, quum 'verriculum' 470  
Latina sit, quemadmodum 'decretum' ac 'psephisma.' Et tibi  
continuo nugari videtur, quisquis e Graeca lingua transferens in  
Latinam, Latinis vocabulis malit uti quam Graecis? At fortasse  
assereres 'sagenae' vocabulum apud Latinos etiam auctores haberi.  
Quid tum postea? Si Latinus quispiam vocabulum Graecum 475  
mediis Latinis interserat, neque desinit tamen esse Graecum,  
neque protinus efficitur Latinum, neque enim cuiquam in manu  
est, omnia vocabula Romana civitate donare, nihilo hercle magis  
quam omnes homines. Neque enim 'psephisma' Latinum verbum  
est, quamquam Cicero quoque semel atque iterum usus est, neque 480  
'energia' Graecum esse desinit, etiamsi Hieronymus Latine

scribens, usus est interdum, vel apud eos quos Graecis doctos intellegebat, vel non reperiens fortasse Latinam vocem quae commode satis explicaret, ut ita dicam, *τὴν τῆς ἐνεργείας ἐνεργείαν*. At tu parum feliciter imitatus Hieronymum eo verbo passim aliter quam significat abuteris. Vides ergo, dum immissa 'sagena' conaris expiscari quod reprehendas, attracto 'verriculo,' nihil neque verris neque prendis. 485

Rursum carpis quod parum Latine dici putat, 'nuptiae impletae sunt discumbentium.' Sed asserat dici oportere 'discumbentibus.' Et tu, si superis placet, Erasmus docebis grammaticam. Tum 'Calepinum' ingeris, quasi in sermone Latino non sit amplius uni Erasmo fidendum, quam 'Calepinis' decem. Tum id egregie ridiculum, quod, 'Calepino' citato, nihil aliud affers tamen quam quod ab ipso mutuaris Erasmo. Unum tantum reliquisti, quo uno didicisse debueras omnia nihil esse quae dixeris. Nam quum breviter ostendisset 'impleor' et genitivo copulari, et ablativo, eademque protulisset exempla quae tu, sic rem concludit, ut dicat quamquam Latine dici possit. 'Implentur vini,' tamen hanc orationem non esse Latinam, 'domus impletur hominum.' I nunc et quaeras exempla quibus istud convincas. Iam quod Matth. 6, in oratione dominica, potius vertendum censuit 'remitte nobis debita nostra' quam 'dimitte,' tu censes ilium tam manifeste nugari, ut id nemo negari queat; atque id videris tibi ex ipsius verbis colligere. Nam si *ἄφες*, inquis, *πολύσημον* est, ut Erasmus annotavit ipse, quis negare potest eum manifestissime nugari, qui 'remitte' potius verti velit quam 'dimitte,' quum vox illa Graeca utrisque deserviat, quum 'dimitto' etiam quod secundum priscos illos auctores significat 'do' vel 'dono,' satis bene quadret eidem sensui. Hic tu proferas oportet priscos illos auctores, apud quos reperisti 'dimittere' idem esse quod 'dare'; nam ni hos proferas, quos, opinor, non proferes, tute manifeste nugaris. Ego certe non puto Latine dici, 'dimitte mihi vestem' pro eo quod est 'da mihi vestem.' Praeterea si 'dimittere' idem significat quod 'dare,' non concedam tamen hanc orationem Latinam esse, 'dimitte nobis debita nostra,' sicuti nec hanc ipsam, cuius exemplo tueris eam, 'da nobis debita nostra.' Si tuis auribus idem sonat 'dare debita' et 'remittere debita,' non possum tuo morbo mederi. At quid refert, inquis? nam sensus ex illius 'dimitte' non minus liquet, quam ex huius 'remitte.' Quis negat divinari posse, quid ille sentiat? nec sequitur tamen orationem eius satis Latinam esse. Nec si quis admoneat quid erret ille, nugarur; sed qui vera monentem redarguit, ille nugarur. 500

Et si nugarur Erasmus, certe hoc honestius nugarur, quod socium habet Cyprianum, tam sacrum sacrae Ecclesiae Doctorem, qui maluit dicere, 'remitte nobis debita' quam 'dimitte.' 510

Ingens, inquis, ac periculosa temeritas hominis, quod, contra omnium antiquorum Patrum iudicium, in primo capite Ioannis tam solemne mutarit vocabulum, 'Sermo' pro 'Verbum' apponens. Iam id pro confesso sumis, quod est falsissimum, veterum neminem ausum, pro 'Verbo' 'Sermonem' dicere. At tu interim fateris Hieronymum testari quod *Ἄλογον*; alia significet praeter 'Verbum,' quae satis apte competant in Filium Dei; id quod adeo confirmat 515

520

525

530

#83. To a Monk

Divus Gregorius Nazianzenus, ut Filium Dei *'Λόγον'* appellatum  
 sentiat, non solum quod *'Sermo'* sit, aut *'Verbum,'* sed quod ratio  
 quoque sit ac sapientia, praeter alia quoque significata *'του Λόγον,'* 535  
 tamquam Evangelista divino prorsus consilio id delegente  
 vocabulum, quod multa complecteretur, quorum quodvis idoneum  
 sit ad significandum Omnipotentis Dei Filium, adeo ut mihi  
 certe, si ulli vocabulo id reverentiae debebatur, ut integrum atque  
 immutabile servaretur, quod in *'Κύριε ελεησον,'* *'Alleluia,'* 540  
*'Amen'* et *'Osanna'* servatum est, id meritissimo iure videatur  
 huic dictioni *'Λόγον,'* oportuisse tribui, quae quum sanctarum  
 significationum mire fecunda sit, a quibus quam cui praeferas  
 haud proclive sit statuere, fuisset non incautum eadem servata  
 voce nullum fecisse praeiudicium, immo unico verbo, eoque disyllabo 545  
 multa pariter Christi vocabula complecti.  
 Nunc vero quoniam aliter visum est vertentibus, mihi certe  
 videtur proximus esse fructus, ut vertant varie, quo nulla significatio  
*'του Λόγον,'* quae quidem in Christum competat, aut ignoretur,  
 aut obsolescat. At Hieronymus *'Verbum'* mutare non, ausus 550  
 est. Mirum certe quod non mutavit, quum non esset occasio! Nam  
 quaeso cur mutaret, quum non verteret denuo, sed id quod verum  
 est recenseret? At si vertendum sibi de integro sumpsisset Evangelium,  
 non adeo se putasset veteris Interpretis obstrictum praeiudicio,  
 quin sibi liberum arbitraretur aliter vertere, modo verteret 555  
 bene, etiam si prior Interpres non vertit male, neque enim, alia  
 de causa admonuit *'Λόγον'* alia quoque significare quam *'Verbum,'*  
 quae recte de Filio Dei dicerentur, quam, ut id, quod tu  
 negas, ostenderet *'Λόγον'* aliter quoque, quam *'Verbum'* recte  
 verti potuisse. Nam *'Sermo'* et *'Verbum'* ubique fere promiscue 560  
 vertitur in Scripturis, ubicumque *'Λόγον'* habet codex Graecus,  
 quamquam nemo est qui nesciat, qui quidem vel tantillum sciat  
 Graece, Sermonem multo tritius *'Λόγον'* significatum esse, quam  
*'Verbum'*. At tu rationem affers—deus bone, qualem!—quare  
 Filius Dei *'Verbum'* rectius dicatur, quam *'Sermo'*. Nam *'Sermo,'* 565  
 inquis, proprie loquendo, illud est magis quod voce profertur,  
*'Verbum'* vero quod intus mente concipitur, videlicet cogitatio,  
 quae intra animi silentium adhuc conscientiae secreto retinetur,  
 et, si quando foris exierit, sic tamen prodit in publicum, ut intus  
 etiam iugiter teneatur clausum. 570  
 Rogo te, quis hoc discrimen te docuit inter *'Sermonem'* et  
*'Verbum'*? Nam is e cuius verbis ista, quae de *'Verbo'* affers, excerpisti,  
 non negat idem etiam posse de *'sermone'* dici, neque quisquam  
 est qui non videat eadem ratione interiorum esse mentis 575  
*'sermonem,'* qua *'verbum,'* et *'verbum'* proprie significare quod  
 voce profertur, sicut et *'sermonem,'* quum sentiant, qui verborum  
 scrutantur origines, ab *'aere verberando'* *'verbum'* esse deductum.  
 Quod si tam *'sermo,'* quam *'verbum'* significet animi conceptum  
 tantum, rursusque tam *'verbum'* quam *'sermo'* conceptus expressos  
 voce, vides ut egregia illa ratio, qua mire fultus tibi videbare, collabitur. 580  
 Quamquam ego non multum certe his in rebus rationi  
 tribuo, quae cognosci, nisi Deo revelante non possunt. Certus sum  
 Dei Filium recte *'Λόγον'* dici, seu *'verbum'* intellegatur, seu *'sermo,'*

seu 'ratio,' seuque 'causa,' seuque aliud eorum quispiam, quae  
 significat *Λόγον*, seuque omnia; certus sum, inquam, recte  
 585 *Λόγον* dici, nam id me docet ille, qui supra pectus Domini in  
 cena recubuit.

Scioque quod Filius Dei 'Sermo' recte dicitur, ac 'Verbum,' nam  
 his nominibus tota illum appellat Ecclesia Catholica, docti aliquot  
 ac sancti Patres etiam 'Rationem,' sed tota Ecclesia Romana 'Verbum,' 590  
 et sine ulla exceptione 'Sermonem.' Etenim dum Christi  
 natale hoc solemni cantu concelebrat: 'Quum medium silentium  
 tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter perageret, omnipotens  
 Sermo tuus, Domine! exsilens de caelo, a regalibus sedibus  
 venit'; non est ambiguum, 'Sermonem' dici Filium Dei. Quum ubi 595  
 nos legimus in Psalmo, 'Verbo Dei caeli firmati sunt,' alii legunt,  
 atque in his Augustinus, 'Sermone Dei caeli solidati sunt'; dubium  
 non est utrobique significari Filium Dei. Num tibi contradicit  
 Ambrosius, quum dicit, 'Non enim dixit Evangelista, "In principio  
 factum est Verbum," sed "In principio," inquit, "erat Verbum"?' 600  
 Quicumque principium verbi assignare volueris, praeiudicatum  
 habebis, quia "in principio," inquit, "erat," non quod duo principia  
 ex rerum diversitate dicamus, sed quod Sermo, Filius, semper  
 cum Patre est, et de Patre natus est'? Ad idem facit Hilarius quum  
 dicit, 'Hoc Verbum in principis apud Deum erat, quia Sermo cogitationis 605  
 aeternus est, quum qui cogitat sit aeternus.' Ad idem  
 facit Lactantius, cuius haec verba sunt, 'Quomodo igitur procreavit?  
 Primum nec sciri a quoquam possunt, nec enarrari opera  
 divina, sed tamen Sanctae Litterae docent, in quibus cautum est,  
 illum Dei Filium, Dei esse Sermonem.' Item alibi: 'Sed melius 610  
 Graeci *Λόγον* dicunt, quam nos Verbum, sive Sermonem; *Λόγος*  
 enim et sermonem significat et rationem.' Ad idem facit Cyprianus,  
 cuius haec verba sunt in eo capite, cui titulum fecit, 'quod  
 Christus idem sit Sermo Dei,' quod sequentibus verbis probat:  
 in In Psal. xliiii, 'Eructavit cor meum sermonem bonum, dico ego 615  
 opera mea regi.' Item in Psalmo, 'Sermone Dei caeli firmati sunt,  
 et spiritu oris eius omnis virtus eorum.' Item apud Esaiam, 'Verbum  
 consummans et brevians in iustitia, quam sermonem breviatum  
 facit Deus in toto orbe terrae.' Item in Psalmo, 'Misit sermonem  
 suum et curavit illos.' Item in Evangelio secundum Ioannem. 620  
 'In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et  
 Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia  
 per ipsum facta sunt, et sine ipso,' etc. Item in Apocalypsi, 'Et  
 vidi caelum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super eum  
 vocabatur fidelis et verus, aequum iustumque iudicans, et proeliaturus, 625  
 eratque coopertus, veste conspersa sanguine, et dicitur  
 nomen eius Sermo Dei.' Ad idem facit Augustinus, quum eam sibi  
 sumat Psalterii translationem commentandam potissimum, qua  
 legitur, 'Sermone Dei caeli solidati sunt,' quam lectionem non improbat,  
 sed asserit idem valere quod nostra valet, qua legitur. 630  
 'Verba Dei caeli firmati sunt,' quum et hic 'Verbum,' et illic 'Sermonem'  
 apertissime censeat esse Filium Dei. Praeterea ad Hebraeos  
 iii. 'Vivus est enim Sermo Dei,' quo in loco, glossa non interliniaris  
 modo, sed ordinaria quoque, 'Sermonem' aperte declarat



esse Filium Dei. Quin Lyranus quoque, cui studium fuit litteralem	635	#83. To a Monk
Scripturae sensum explicare, docet evidenter 'Sermonem' idem		
significare, quod 'Verbum,' atque hoc loco 'Sermonem' non aliud		
esse quam Filium Dei, atque ad eum modum locum ipsum non		
ad allegoriam ullam, sed plane litteraliter, ut vocant, exponit.		
At operae pretium est videre, quum ista fateri cogaris (solvere	640	
vera non possis) quam pulchre coneris elabi. Nam plurimum, inquis,		
interest inter locorum congruentias, ut quod ibi apte positum		
est, hic minus conveniat. Sed nolo hac in re longius demorari,		
ne codicem potius quam epistolam excudere videar. Belle profecto	645	
subducis te cum brevitatis praetextu recuses dicti tui causam reddere,		
eius praesertim dicti unde totius causae summa dependet,		
idque quum nec ibi finias epistolam, sed tam multum chartae consumas		
postea in his quae nihil ad rem attinent. Hoc certe scio si		
te torseris annum, aliam causam non invenies umquam praeter		
eam quam et commemorasti, et velut inefficacem timide tetigisti	650	
nempe quod 'sermo' potius significat id quod profertur voce		
quam tacitum mentis conceptum; quam causam, si satis sapuisses,		
penitus non debebas attingere, ut quae tam contra 'verbum' militat,		
quam 'sermonem,' nam et 'verbum' proprie conceptum significat		
prolatum voce. At alia causa nulla potest esse. Nam si tam	655	
'Sermo,' quam 'Verbum' significet Filium Dei, non modo qualis		
erat postquam ex matre natus est, sed etiam qualis erat in sinu		
Patris, ante susceptam carnem, antequam creatus est orbis, quid		
comminisci potes, cur ob ullam, ut tu vocas, locorum convenientiam	660	
non possit Filius Dei tam in illo loco 'Sermo' dici, quam in		
aliis dicitur. Quum Cyprianus probet adversus Iudaeos Filium Dei		
esse 'Sermonem' Dei, non solum ex aliis locis, verum ex illo ipso		
quoque, 'In principio erat Verbum.' An non vides nihil eum probare		
prorsus, nisi etiam illo ipso loco, idem esset 'Sermo' quod	665	
'Verbum'? At ut tibi penitus os obstrueret non solum ita citat		
locum Cyprianus, verum paulo post his citat verbis, 'In principio		
erat Sermo, et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo.'		
I nunc et Erasmus clama[s] novatorem esse verborum cum audias		
doctissimum Patrem et sanctissimum athletam Christi Verbum		
Dei, pro quo fudit sanguinem, et legisse et appellasse 'Sermonem'	670	
plus annis mille, priusquam nasceretur Erasmus. Qua in		
re beato Cypriano Divus Augustinus in commentariis suis super		
Ioannem apertissime subscribit. Iam quod ais ad tuae causae stabilimentum		
sufficere, quod sancta mater Ecclesia ex omnium Sanctorum		
consensu per tot saecula tam sacrato sit usa vocabulo 'Verbi,'	675	
istud quomodo tuas partes stabiliat, ipse videris. Erasmo certe non		
modo non nocet, verum etiam factum eius in primis tuetur atque		
defendit. Nam quum ille 'Sermonem' vertit, 'Verbum' non reprehendit,		
nec vetus interpres quum 'Verbum' vertit 'Sermonem' reicit		
atque refellit. Sed ne Ecclesia quidem quum 'Verbum' haberet in	680	
usu, reiecit 'Sermonem,' quem itidem habebat et habet in usu.		
Erasmus igitur quum 'Sermonem' vertit, neque contradicit Ecclesiae,		
nec veterem taxat Interpretem. Rursus quum 'Sermonem' vertit		
pro Christo, cur non illi quoque debet ad stabilimentum suae		
causae sufficere, quod ut ipse scripsisti de 'Verbo,' ita quoque sancta	685	

mater Ecclesia ex omni Doctorum et Sanctorum consensu, per tot  
 saecula tam sacrato sit usa vocabulo 'Sermonis.' Quis vetabit Interpretem  
 e duobus eiusdem rei vocabulis sumere quod sibi libet?  
 Quis iure in ius vocabit translatores novum, quod 'uxorem' verterit  
 quam prior appellavit 'coniugem.' Immo vero, inquis. Nam 690  
 turbat insuetiore vocabulo simplicem plebeculam.  
 Itaque cernis quorsum Erasmi istius tendit labor, nempe ut  
 schisma oriatur, vanitas introducatur. Ille, obsecro, turbat simplicem  
 plebeculam, quae quid ille scribat numquam sit cogitata,  
 nisi quosdam instigaret invidia, qui velut alter Cain, quandoquidem 695  
 e fraterno sacrificio fumum vident ascendere, suum vero  
 deorsum ferri, concidente vultu, quod in ipsis est, innocentem  
 conantur occidere impiis obtreptionibus, oppugnantes agnitam  
 veritatem, populumque simplicem seditiosis excitantes clamoribus,  
 quos vel tacendo quiescere permisissent, vel quos falsa narrando 700  
 commoverant, eosdem debuerant rursus vera monendo compescere.  
 Alioqui, si quod Erasmus elaborat doctis, id isti, quum tueri se  
 suas partes non posse apud sapientes intellegant, apud indoctum  
 vulgus oblatrent, et importune res litterarias auriculis ingerant  
 illitteratis, ac stultum vulgi plausum captent, quia prudentibus 705  
 placere non possunt, ipsi nimium schisma movent. Alioqui si  
 vel his de rebus tacerent apud vulgus vel saltem vera loquerentur,  
 nihil esset schismatis. Nam cur orietur ex eo schisma, quod diversi  
 diversa verba transtulerint, quum significata sint eadem? qua in re  
 tuum tibi dictum licebit opponere, quod tute nuper Erasmo obieceras 710  
 ex Ambrosio, qui dicit, 'Mihi non distat in verbo, quicquid  
 non distat in sensu.' At vereris ne hoc pacto accidat, ut brevi innumerabiles  
 habeamus editiones, quum haud paucos (ut ais) habeat  
 mundus, qui in Graecanicae linguae scientia Erasmo aut pares 715  
 sunt, aut certe superiores. Nescio qui numerus apud te superet  
 paucitatem, sed si numerare nominatim coeperis, non dubito quin  
 pares illos infra paucitatem reperias, superiores fortasse infra unitatem,  
 si Sacrarum Litterarum studium adiunxeris, sine qua, quantalibet  
 etiam linguae peritia, impar huic provinciae futura sit.  
 Ego certe non dubito Erasmi labores facile effecturos, ne posthac 720  
 existant multi, qui eadem vertant denuo, nam ut poterunt exoriri  
 facile, qui fortassis uno atque altero loco confisuri sint aliquid sese  
 pervidisse certius, ita neque tam doctum exspecto, neque tam audacem  
 quemquam, qui speret aliquando sese, toto rursus vertendo  
 opere, quod Erasmus ante transtulerit, [se] facturum 725  
 operae pretium.  
 Quamquam si plurimae forent editiones, quid id nocuerit?  
 Divus Augustinus id quod tu times censet in primis esse utile:  
 dum etiam si pares omnes esse non possent, alius tamen alibi vertit  
 commodius. At interim lector, inquis, reddetur incertus e tam 730  
 multis, cui potissimum possit credere; istud quidem verum est, si  
 lector plane sit stipes, qui nec ingenium afferat secum nec  
 iudicium. Alioqui si mentem habeat, e variis transferentium  
 versionibus facilius multo possit, ut Augustinus ait, verum  
 quid sit, elicere. Quaeso te, cur tantum periculi metuis e 735  
 diversis atque inter se variis translatorum versionibus, qui nihil

offenderis, quum tam multiplices legas enarrationes Interpretum,  
 qui nihil variante littera, nihil ipsi inter sese de litterae sensu consentiunt,  
 et tum saepe dissentiunt utiliter, quod studiosis et cogitandi  
 et iudicandi praebent occasionem? Denique quantum prosint 740  
 editiones variae, neque quicquam confundant Ecclesiam,  
 Psalmi saltem tam varie versi lectique declarant; neque enim alia  
 res magis adiuverit eum, qui in eos pernoscendos operam navare  
 decreverit, nisi quis adeo desipiat uti satis esse putet, Viennensis  
 legisse commenta. 745  
 Omiseram paene quiddam, quod tibi videtur fortissimum, mihi  
 vero tam imbecille atque infirmum, ut vel uno flatu possit everti.  
 Sed quoniam id perspicio, velut omnium munitissimum, in tuis  
 haberi praesidiis, tua ipsius verba statui recensere, ne me queri  
 possis rationes tuas depravare narrando. Ais igitur: 'Plane mirari 750  
 non desino multorum caecitatem, qui bene actum fuisse putant,  
 quicquid ad Graeca vel Hebraica adducitur exemplaria, quum  
 omnibus perspicuum sit, ex Iudaeorum perfidia, Graecorumque  
 variis erroribus, ipsa eorum exemplaria mirum in modum fore  
 depravata, ac multiplicium erratum faecibus plena.' Adde quod 755  
 ex nimia diuturnitate necesse est eadem exemplaria depravatiores  
 esse, quam nostra. Ut taceam interim, quod Divus Hieronymus  
 etiam suo aevo testatus sit, Latina exemplaria emendatiora fuisse  
 quam Graeca, quam Hebraica. Quod tu haec mirari non desinas,  
 ego plane demiror, quum facile possis intellegere, Divo Hieronymo 760  
 haec olim omnia et obiecta esse et confutata planissime. Nam  
 primum stultum esse censet, siquis credat gentem aliquam totam  
 conspirare in omnes omnium corrumpendos libros. Qua in re,  
 ut alia praetereantur incommoda, neque spem ullam poterant  
 concipere fore, ut celaretur perpetuo quod facerent, neque dubitare 765  
 quin revelata re suis ipsi indiciis cecidisse causa viderentur, quum  
 constaret eos eam fovisse litem, quam faterentur aliter non posse  
 sese, quam codicum depravatione defendere. Clam vero non  
 potuisse fieri, quod publicitus a toto fieret populo, tu quoque,  
 opinor, vides. Quin et illud, opinor, vides, quum quoque die 770  
 desciscerent ab Hebraeis ad Christianos aliqui, nec segnius ad  
 Latinos e Graecis falsatio ista librorum ilico venisset in lucem.  
 Praeterea quum utriusque linguae volumina, non solum apud infideles  
 essent, sed in manibus etiam versarentur orthodoxorum,  
 aut hos etiam in illorum gratiam necesse est suos depravasse 775  
 codices aut ex veris horum exemplaribus illorum redargutam esse  
 falsitatem. Quid quod his in rebus, de quibus nobis est vel cum  
 Graecis vel cum Hebraeis controversia, illorum libri cum Latinis  
 consentiunt, nec de littera fere quaestio fuit umquam, sed de sensu  
 semper atque sententia? qua ex re facile potes indicare, noluisse 780  
 eos aliis in locis mutare libros, ubi nihil attinebat, quos ibi reliquerunt  
 integros ubi maxime in rem suam fuerat esse mutatos.  
 At nostra exemplaria veriora sunt, inquis, quam Graeca. Cur  
 igitur suadet Augustinus ut, sicubi dubites, de Latinis codicibus  
 recurras ad Graecos? Sed tu libentius adhaeres Hieronymo, qui 785  
 scribit (ut ais) etiam suo tempore Graeca exemplaria veriora  
 fuisse quam Hebraica, et Latina quam Graeca. Reliqua, quae

congresseras, omnia visa sunt certe facillima. At istud legens, fateor non nihil percussus sum. Nam Hieronymus apud me nusquam non gravis auctor, in hac re merito gravissimus est, qui si fateretur Graecorum libros emendatiores esse quam Hebraeorum, et Latinos quoque quam Graecos, alii fortassis invenerint aliquam rimam, tamen mihi certe nullum patebat effugium. Ceterum coepi profecto mecum demirari, si quid huiusmodi sentiret Hieronymus. 790

Nam hoc sciebam, nihil illum potuisse dicere quod magis adversaretur ipsius instituto. Locus non occurrebat mihi, ubi diceret, quod nusquam potius videretur esse dicturus. Dum pressius ea de re cogito, coepi tandem velut per nebulam recordari eiusmodi olim quispiam me legisse in codice Decretorum Pontificum. Corripio librum, sperans ut ibi errasse te deprehenderem, nam propemodum divinabam ex illo desumpsisse te, quod perperam accepisse sperabam. Ubi locum repperi animo plane concidi, atque omnem propemodum abieci spem, ita eius operis glossema dicere comperio eadem ipsa quae teo Etenim quamquam non usque adeo eius viri, quisquis fuit, qui prodidit hoc commentum, doctrinam timui, quin spes esset posse interdum fieri ut in Hieronymo falleretur; 805

territus sum tamen diligentia, quam mihi ipsi persuaseram tantam esse adhibitam, ut in istud sacrum Decretorum volumen, quod plusquam adamantinas leges toti praescribit orbi, nihil omnino congereret non intellectum. Verum enim vero Hieronymi prudentiam respiciens trahebar alio, quem plane sciebam nequaquam esse tam stupidum, ut cum Graecorum codicum vitia causatus Instrumentum Vetus decrevisset ad Hebraicam repurgare veritatem, ac Latinorum sordes, quas in Novo Testamento contraxerant, ad Graecorum fontes emendare, idem tamen fateretur exemplaria Graeca veriora esse quam Hebraica, et Latina quam Graeca; quo quid eius proposito dici potuit aut magis confingi contrarium? Haec reputanti mihi, coepit animus eo tandem vergere, ut Glossematis potius diligentiam, quam Hieronymi prudentiam suspectam haberem. Itaque verti me ad locum. Est enim in fine illius Epistolae quae incipit, 'Desiderii mei.' Deus bone, quam foede lapsum glossematis auctorem video! Nam locus apud Hieronymum sic habet: 'Aliud est si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia, probaverunt, et emendatiora sunt exemplaria Latina, quam Graeca, Graeca quam Hebraica.' Quum enim aliis respondisset obiectionibus, quas aemulos obiecturos putabat, ostendit tandem indignos esse responso, si qui tam insigniter essent stulti, ut exemplaria Graeca veriora crederent, quam Hebraica, et Latina quam Graeca. Quam loquendi figuram non intellegens iste, amputatis aliquot verbis, a quibus tota sententiae pendet vis, reliquum sic adducit, ut quod Hieronymus existimavit neminem esse tam stultum qui dicat, id iste illum ipsum dicat dixisse Hieronymum. 830

I nunc atque istis crede Summulariis, quibus nunc adeo creditur, ut fere pro supervacaneis habeantur illi e quorum spoliis suas isti Summas conflaverunt. 835

Ubi versionem eius atque annotationes velut acropolim debellasti, strenue iam minora quaelibet oppidula veluti praedabundus invadis. Atque in primis, insilis in *Moriam*, amplam quidem

#83. To a Monk

illam et populo frequentem urbem, quam tamen, quoniam muliebri imperio regitur, quae et ipsa non consilio militum, sed temere atque ex libidine rem consuevit gerere, nullo negotio speras expugnari posse. Verum heus tu, hac in re praedico tibi non esse tam facilem expugnatu, quam putas. Nam primum, ut Salomon ait, Stultorum infinitus est numerus. Deinde quod ingenio deest, supplet audacia. Certe ut in civem haud gravatim admiserint, si ambias ascribi, ita ut victorem numquam patientur, parati vel morti devovere sese citius quam cuiquam pareant. Verum ommissa ioco, illa ipsa *Moria* minus habet *Mariae*, plus etiam pietatis, quam habent earum pleraque, quae vestri quidam—sed reprimam me, quamquam illud interim non verebor dicere—quam habent orationes quaedam rhythmicæ, quibus vestri quidam sese sibi putant omnes devincire Divos, [ut] quoties eorum laudes tam stultis celebrant neniis, ut stultioribus non possit, si quis nebulo maxime studeret illudere, et tamen harum nugarum hodie nonnihil irrepsit in templa, tantamque accipit in dies auctoritatem, praesertim ab adiuncta musica, ut iam multo minus erga sobrias ac serias a sanctis olim Patribus ordinatas preces afficiamur, quum nonnihil intersit rei Christianae, ut Pontifices, quod eos aliquanda facturos non dubita, omnibus istiusmodi prorsus interdicanet ineptis, ne callidus hostis efficiat, ut Christi grex, quem ille ut simplicem esse valuit ita valuit esse prudentem, paulatim assuescat amplecti pietatis loco stultitiam.

*Moriae* patrociniū non suscipiam, quippe quum non sit opus. Nam et liber iam diu probatus est, optimi cuiusque iudicio, et adversus invidorum calumnias Erasmi iam alim Apologia defensus, cum eorum nomine Dorpius, vir et profanis litteris et sacris eruditissimus, quicquid ab illis excogitari poterat coacervasset, et ne praevaricari videretur, eloquenter excoluisset etiam, ut tibi iam difficile fuerit obicere, quod non sit ante reiectum, nisi quod unum prorsus invenisti novum quod ingeras, quum Erasmus dicis in *Moria* Mascum quendam agere, quod ega certe convicium, fateor, non possum refellere. Quippe qui quid sibi velit, aut quis is fuerit Moscus, prorsus non intellega. Neque enim tam stulte sum arrogans, ut doctior affectem videri, quam sum. De Moma quodam audivi saepe, cui an cognomen forte Mascus fuerit, ego certe non comperi.

De *Iulii Dialogo*, neque cuius sit, neque cuiusmodi sit, mihi numquam valde libuit quaerere, quum de utraque re varias audierim sententias; hoc certe scio, protinus defuncto Iulio, rem Parisiis ludis actam publicis. Multi sciunt Reverendum Patrem Poncherium, Parisiensis urbis Antistitem, qui huc Legatus venerat, librum vendicasse Fausta, quod ut verum fuerit, nihil impedit Erasmus, cui Faustus non ignotus erat, librum apud se quoque, priusquam excuderetur, habuisse. Nam quod ex stilo rem convincis, quem Erasmi suum atque ipsissimum esse confirmas, non possum mihi temperare quin rideam, reputans mecum, quod quum non permittis Erasma, ut ex stila quicquam iudicet in Hieronymianis operibus, is cui, quod omnibus in confesso est, omnes orationis virtutes sunt exploratissimæ, tu, qui quid sit stilus aut phrasis

#83. To a Monk

840

845

850

855

860

865

870

875

880

885

explicare non possis, arroges tamen tibi, ut ex stila discernas Erasmica,	890	#83. To a Monk
in tanta litteratorum turba, quorum quisque, quoad potest,		
Erasmicam dictionem conatur imitari. Iam pone librum illius		
esse, pone hominem infensum bellis, iratum turbulentis temporibus,		
aliquo animi impetu profectum latius quam, pacatis post		
illa rebus, tranquillatis affectibus optavisset; primum magis hoc	895	
erat imputandum his, qui librum suo tempore scriptum, tempore		
non suo vulgaverunt. Deinde, quaesa, hoccine monachi fuerat,		
errorem fratris eruere, cuius officium postulet, potius ut solitarius		
sedeat, ac sua peccata defleat, quam ut aliena coarguat? Quod si		
quem liber offenderit, apud hos, opinor, malam inibis gratiam	900	
libellum asserens illi, quando magis eorum e re fuerit opus, ut		
sit adespoton, quam ab autaris aestimatione commendetur.		
Lutherus qualia scripserit, viderint quibus vacat. Erasmus certe,		
si quid ille scripsit, non dubito quin ita scripsit, ut virum bonum		
deceat, neque tu aliquid habere te certi significas, nec tamen interim	905	
quoad habeas, potes abstinere conviciis, credo ne tantisper		
voluptate careas illius belli dicterii, dignum patella cooperculum,		
cuius unius illecebra videris in Erasmi ac Lutheri mentionem esse		
pertractus. Nam mirum est ut ubique affectas esse facetulus. At		
ego immodicum istud otium demiror, quad in schismaticos haereticosque	910	
libros tibi liceat, si modo vera dicis, impendere, nisi tanta		
bonarum inopia est, ut tempus breve insumere cogaris in pessimos.		
Nam si boni sunt libelli, cur damnas? Si mali, cur legis? Cui		
quum non ea facultas possit obtingere, ut sis idoneus, qui de refellendis		
erroribus admoneas mundum, cuius et curam abdicasti, quum	915	
temet in claustrum abderes, quid aliud facis perversa legendo quam		
discis?		
Nec satis esse video, quod in malos codices bonas horas colloces,		
nisi plurimum temporis etiam in sermones et confabulationes		
etiam adhuc deteriores codicibus malis absumas; ita nihil usquam	920	
gentium esse video rumoris, obtrectationis, infamiae, quod non in		
cellam recta proferatur ad te. Atqui legimus olim fuisse monachos,		
ita penitus mundo subducentes sese, ut ne litteras quidem ab amicis		
missas legere sustinuerint, ne vel respicere cogerentur Sodomam,		
quam reliquerant. Nunc vero, et haereticos, ut video, libellos	925	
perlegunt, et schismaticos, et immensa meris nugis referta volumina.		
Nunc quicquid audire verebantur in saeculo, et ne audire		
cogerentur, in claustra fugerunt, callidus hostis ingerit fugientibus		
arteque pertrudit in cellas. Nec aliud illis praestat cultus ille		
eximius, nisi ut facilius imponant incautis, nec aliud praestat otium,	930	
nisi ut magis vacet maledicentiam adornare, nec aliud secessus,		
nisi ut nihil pudeat ab hominum oculis semotos, nec aliud oclusae		
cellulae, nisi ut liberius obtrectent alienae fama. In quas quisquis		
ingreditur, primum Oratione Dominica propitiat Deum, ut colloquium		
illud sanctum esse ac salutare iubeat. At quid prodest ab	935	
Oratione Dominica infamaticem ac detractatoriam auspicari		
fabulam? Quid est, si hoc non est in vanum sumere nomen Dei?		
Hic multo nimirum maxime locum habet quod ex Evangelio citas		
in Erasmus. Nam certe non omnis, qui sic Deo dicit, Domine,		
Domine, intrabit in Regnum Caelorum. Itaque quum litteras istas	940	

## #83. To a Monk

tuas intueor, tam plenas obiurgationis, convicii, detractationis ac  
 scommatum, menteque rursus mecum reputo candorem illum  
 vereque amabilem indolem adolescentiae tuae, quae tam longe  
 tibi ab huiusmodi vitiis aberat, quam adesse per aetatem, tum  
 ac vitae statum poterat excusatius, certe si reliquos mores tuos, 945  
 ab ista spectarem Epistola, admonerer haud dubie illius Ovidiani  
 carminis, quo Deianira perstringit Herculem:  
 'Coepisti melius quam desinis: ultima primis  
 Cedunt; dissimiles hic vir et ille puer.'  
 Verum enim vero non sum tam iniquus ut totum te ab unis existimem 950  
 litteris, immo libentius inclinor ut credam, quo tu reliquis  
 morum tuorum partibus melior es, ac sanctior eo Daemonem  
 quempiam infestius tuis invidere virtutibus, atque ex insidiis emicantem  
 vehementer eniti, alias eius pedicas evitantem te una saltem  
 eaque insidiosissima comprehendere, atque ad se pertrahere dum 955  
 se transformans in Angelum lucis, nobis perstringit aciem ut  
 videntes non videamus, sed hallucinantibus oculis atra candescant  
 et nigrescant candida, virtus aliena sordeat, nostra nobis niteant  
 ac blandiantur vitia, dum alienam famam incessere, vocatur fraterna  
 monitio. Ira atque invidia ducitur fervor ac zelus in Deum. 960  
 Inscitia vero simplex et sancta rusticitas appellatur; arrogans ac  
 pertinax animus, fortis et infracta constantia; denique dum aliquo  
 semper praetextu profectus alieni, nostris obsecundamus affectibus  
 iisdemque fere deterrimis.  
 Quemadmodum in his ipsis quas scripsisti litteris, quasi dum 965  
 me admones, Erasmo detrahis. Neque tamen eorum quae in illum  
 tam acerbe conicis quicquam in illum competit, pleraque vero in  
 tuum caput recta recidunt. Nam stilum carpis ut affectatum, quum  
 tui soloecismi plus oleant olei, quam illius elegantiae. Illius incessis  
 mordacitatem, et omnia clamas illum canino dente corrodere, 970  
 quum tute his unis litteris plus arrodas illum, quam ille umquam  
 quemquam. Immo si quis libros eius omnes, si quis omnes percurrat  
 Epistolas, si quodcumque umquam scripti genus emanavit ab illo,  
 a quo emanarunt tam numerosa volumina, atque ex his undecumque  
 in unum congerat cumulum, quicquid umquam mali 975  
 scripsit in quemquam, idque etiam tacitis eorum quos attingebat  
 nominibus, quum non deessent quoque, qui multa essent acerbiora  
 commeriti, tamen is ipse cumulus multo erit humilior hac tua  
 mole, coacervandis in illum conviciis, idque etiam nominatim,  
 videris exsuperare pyramides, quum his te nihil umquam quicquam 980  
 offenderit, quum tua studia suis etiam scriptis adiuverit teque  
 incompensabili beneficio affecerit.  
 Illum vociferaris arrogantem, quod ausus est aliorum errata  
 taxare, tu tibi nimirum videris esse modestus, dum in illo carpis  
 quae recta sunt, dum ea reprehendis quae laudant hi, quorum 985  
 iudicio reclamare non vulgaris est immodestia, e quibus tibi  
 commemorare multos possem, eosque virtutis et doctrinae gratia  
 celeberrimos, qui certatim illi undique gratias agunt, quod tantum  
 eius labore profecerint. Verum externos praetermittam omnes  
 quorum, quod tibi sint ignoti, fortassis auctoritatem effugies; 990  
 unum atque alterum ex nostris nominabo tales ut his dissentire

<p> sit impudens. Nomino, atque adeo honoris causa nomino, Reverendum  in Christo Patrem Ioannem Ecclesiae Roffensis Antistitem,  virum non litteris magis quam virtute nobilem, quibus hodie nemo  vixit illustrior. Coletum nomino, quo uno viro neque doctior  neque sanctior apud nos aliquot retro saeculis quisquam fuit.  Horum exstant litterae, nec ad Erasmum modo scriptae, in quibus  aliquid gratiae datum videri possit (ni tales essent illi, qui nulli  prorsus mortalium suo mendacio in aliorum praesertim damnum  vellent gratificari), sed ad eos datae quos omnibus inhortantur  modis, ut Erasmi versionem diligenter perlegant magnum ab ea  fructum reportaturi. Dominus Ioannes Longland, Decanus Salisberiensis,  alter, ut eius laudes uno verbo complectar, Coletus, ceu  contionantem audias, ceu vitae spectes puritatem, fateri non cessat  ex Erasmicis operibus in Testamentum Novum plus sibi lucis  accessisse, quam ex reliquis fere quos habet commentariis omnibus.  Non est cur alios commemorem, si credas istis, minus etiam,  si non credis istis. Quibus enim credas hac de re si non credas  talibus?  Certe multum tibi sumis, quum quam rem isti tantopere laudant,  tu magnifice vituperas. Quid quod Summus Pontifex, quod tu  vituperas, bis iam accurate probavit? Quod Christi Vicarius velut  divinae vocis oraculo pronuntiavit utile, id tu puer propheta  Altissimi vaticinarius esse damnosum. Quod ex arce religionis  summus ille Christiani orbis princeps suo testimonio cohonestat,  id tu monachus et indoctus et obscurus ex antro cellulae tuae  purulenta lingua conspurcas. Hic tibi nimirum curandum est, ut  facias ipse quod Erasmo consulis, nempe ne plus sapias quam oportet  sapere, sed sapias ad sobrietatem. An non hoc quod facis, istuc  ipsum est quod illi rursus obicis, iustitiam Dei ignorare, ac tuam  velle constituere: quum quod Summus Pontifex studiosis omnibus  pio toties affectu commendavit, id operis ipse non dubitas improbe  condemnare?  Quam in rem velut fundamentum substernis Erasmum prorsus  esse Scripturarum inscium, tu videlicet omniscius, in quas ille  pernoscendas haud multo pauciores insumpsit annos quam tu  vixisti; quem an tu ingenio superas, aut diligentia, non excutio:  hoc certe scio, quod mihi fas est etiam salvo honore tuo dicere:  non usque adeo superas, ut tam longe minore tempore possis efficere  quod ille tam longe maiore non possit. Et tamen illum iam in  Scripturarum studio senescentem, mirum est quod immodeste tu  iuvenis <i>ἀντοδίδακτος</i>, immo cui numquam vacavit discere, <i>γερονταγωγείς</i>;  mirum est quam tibi videre sciolus quoties talibus agis  argumentis, quae te manifeste produnt rem non intellegere. Sed  tum demum praecipue rem te fecisse magnam putas, quoties e  Sacris Voluminibus corrasis hinc inde centonibus in illum lusitas:  et non aliter verbis Sacrae Scripturae scurraris quam in comoediis  parasiti solent ludere dicteriiis. Qua re ut nihil est improbius, ita  nihil est usquam facilius.  Usque adeo ut quidam nebulo mimicus, quum nuper imitaretur  habitu, voce, vultu, gesticulatione, contionantem Fratrem atque  in medio sermone, quem totum concinnarat ex Sacris Litteris </p>	<p>#83. To a Monk</p> <p>995</p> <p>1000</p> <p>1005</p> <p>1010</p> <p>1015</p> <p>1020</p> <p>1025</p> <p>1030</p> <p>1035</p> <p>1040</p>
---	--



obscenum atque ridiculum, narrationem quoque de more quibusdam  
solemni Fratribus insereret, sed impudicam, nempe de  
fraterculo procante ac vitante mulierculam. Is nebulo illam ipsam 1045  
tam foedam spurcamque fabulam tamen adeo infarsit centonibus  
Scripturarum, ut neque dum procatur fraterculus, neque dum  
conspurcatur adultera, neque dum res superveniente marito deprehenditur,  
neque dum deprehensus comprehenditur, neque dum  
comprehenso uterque testis exsecatur, interim aliud verbum ullum 1050  
quam e mediis Scripturae Sacrae codicibus depromeretur; atque  
ea omnia quamquam ad rem ex diametro diversam, tamen applicata  
tam commode, ut nemo tam severus esset qui risum continere  
posset; quum nemo contra tam esset ridiculus, qui non indignaretur  
ad illiusmodi nequitias Sacris illudi Litteris. Nec deerant 1055  
tamen, qui dicerent occulta quadam Dei dispensatione contingere,  
ut quando Fratres plerique iam diu Verbum Dei adulterare consueverint,  
existerent aliquando Fratromimi, qui contra fratres et  
fratrissent, suoque ipsos exemplo confunderent, et velut suo,  
quod aiunt, gladio, iugularent. 1060  
Verum si nefas est, ut certe est, abuti Sacris Litteris ad lasciviam,  
aliquanto adhuc magis nefas est, si quis, quod tu facis, in alterius  
abutatur infamiam. Quod nihilo facis excusatius quia mihi scribis,  
quem illi scis amicum esse. Immo tanto peccas impensius. Etenim  
si ista praedicasses apud quempiam, cui Erasmus esset odio, alienasses 1065  
dumtaxat eum, qui iam ante fuisset alienus. Nunc vera quoad  
per te fieri potest, avulsisti coniunctissimum. Quamobrem, quod  
ante dicebam, quum adolescentiae tuae mitem illam ac modestam  
indolem animo mecum revolverem, non potui profecto, ut non  
dolere satis, ita nec satis usque admirari nascentem istam tibi 1070  
maturioribus annis, in eo vitae statu, quae tot a non humilitatem  
modo, sed et despectum sui profitetur, (ut ne quid dicam gravius),  
immodestiam. Cuius ego rei causas, dum tacitus atque admirabundus  
inquiero, praeter hostem illum communem, cuius occulto suggestu,  
prope universa vitia, velut ab impuro fonte permanant, 1075  
praeterque satellites eius quosdam, quorum invidiam video, simplicitatem  
tuam, suis infecisse virulentiis, sentio certe nonnullam  
huius veneni partem, ex affectu quodam suboriri tibi, non novo  
quidem illo, nec inusitato mortalibus. Ceterum quo non alius  
humanas res gravioribus malis afflixerit. Is est affectus ille quo 1080  
quisque fere occulto quodam favore sui, sic in suum propendet  
ordinem, ut eius vitia nec ipse cernere, nec ferre possit indicantem.  
Hoc ipso affectu hallucinatum te zelo quodam video, sed imperito  
stimulari, ut religionum studio de illo dicas male, qui de religiosis  
omnibus impendio meretur bene, nec usquam tamen impensius, 1085  
quam quum id ipsum agit, quod tu calumniando conaris in odium  
atque invidiam trahere. 'Nam quoties oblatrat,' inquis, 'contra  
sacra religionis instituta, contra devotas religiosorum caerimonias,  
contra vitae asperitatem, contra sanctam solitudinem, demum  
contra omnia, quae suae vagabundae minime correspondent vitae 1090  
et conversationi?' Haec tua verba quum legerem facile certe deprehendi,  
quod te calcar exstimulet, nempe zelus in religionem  
tuam. Equidem haud dubito neminem esse virum usquam bonum,

#83. To a Monk

cui non religiosorum ordines omnes eximie cari cordique sint,  
 quos et ipse certe non amavi modo semper, verum etiam perquam 1095  
 reverenter colui, utpote suetus praehonorare pauperrimum commendatione  
 virtutis, quam si quem vel nobilitent divitiae vel  
 natalium splendor illustret. Verum enimvero quemadmodum  
 cupiam reliquos mortales omnes vos, ac vestros Ordines eximia  
 quadam caritate prosequi, exigentibus id meritis nimirum vestris, 1100  
 quorum ego suffragiis huius orbis miseriam nonnihil levare crediderim.  
 (Nam si multum valet oratio iusti assidua, quantum  
 necesse est valeat oratio tam indefessa tot milium?) Sic e diverso  
 optaverim, ne vos quidem ipsos tam pravo studio vobis indulgere,  
 ut si quis res attingat vestras, laboretis aut benedicta narrando 1105  
 depravare, aut perperam interpretando bene cogitata corrumpere.  
 Nescio quid eius verba tuo palato sapiant sic affecto, verum hoc  
 certe scio, neminem hactenus repperisse me, qui quae scripsit ille,  
 sic acciperet, tamquam religiosorum reprehendat caerimonias, sed  
 eos potius, qui vel superstitiosius abutuntur, vel innituntur periculosius, 1110  
 ac rem ex se non malam sua freti stultitia, vertunt in  
 perniciem. Qua ex sorte plus satis esse multos, tu quoque, opinor,  
 quantumvis in tuos propensus, non inficiabere, neque enim quicquam  
 est usquam tam sanctum, quod callidus hostis non satagat  
 aliqua semper techna vitiare, qui ut est Deo omnibus in rebus 1115  
 oppositus, conatur haud aliter ex nostris bonis operari mala, quam  
 ex malis nostris bona peragit Deus. Quam multos invenies, qui  
 suae sectae caerimoniis haud paulo plus quam ipsis Dei praeceptionibus  
 incumbunt? An non integros reperias Ordines, qui propter  
 suos ritus cum aliis digladiantur Ordinibus? Dum semet 1120  
 invicem student non esse quidem, sed haberi sanctiores, idque  
 de privatis utrimque caerimoniis, iisdemque crebro non usquequaque  
 necessariis, quum de seriis interim magisque ad rem pertinentibus,  
 tam omnes in commune consentiant, quam non admodum  
 anxie quidam curant observare. In quas factiones, in 1125  
 quot sectas idem se scindit ordo? Tum qui tumultus? quae consurgunt  
 tragoediae, vel ob alium colorem, vel ob aliter cinctam  
 vestem, aut aliud quispiam caerimoniale, si non omnino despuendae,  
 at certe non satis dignae, propter quam exulet caritas? Quam  
 multi sunt, quod multo certe deterrimum est, qui religionis freti  
 fiducia, sic intus cristas erigunt, ut spatium sibi videantur in  
 caelis, ac solaribus insidentes radiis humi repentem populum tamquam  
 formicas e sublimi despicere, nec id profanos modo, verum  
 sacerdotum quoque quicquid est extra saepta illa claustrorum? ita  
 plerisque nihil est sanctum, nisi quod faciunt ipsi. 1135  
 Multum providit Deus, quum omnia institueret communia, multum  
 Christus quum in commune conatus est rursus a privato  
 revocare mortales. Sensit nimirum corruptam mortalitatis nostrae  
 naturam non sine communitatis damno deamare privatum; id  
 quod res omnibus in rebus docet. Nec enim tantum suum quisque 1140  
 praedium amat, aut suam quisque pecuniam, nec suo dumtaxat  
 generi studet, aut suo quisque collegio, sed ut quicquid est quod  
 aliquo modo vocamus nostrum, ita in se illud affectus nostros  
 a communium cultu rerum sevocat. Sic nostra quoque ieiunia

#83. To a Monk

publicis anteponimus. Sicubi divum quempiam selegimus nobis, pluris illum saepe, quam decem potiores facimus, nempe quod ille sit noster, quum reliqui divi sint omnium. Iam si quis taxet huiusmodi, non is plebeculae damnat pietatem, sed admonet potius, ne pietatis praetextu surrepat impietas. Nam ut nemo gentem aliquam reprehenderit, quae divum quempiam nominatim idonea de causa coluerit, ita nonnullis fortasse videbuntur suae pietati plus satis obsecuti quidam, qui in sui divi peculiarem gratiam divum hosticae gentis praesidem detractum templo proiecerint in caenum. Atqui ritus huiusmodi privataeque caerimoniae, ut interdum male cedunt apud nos, ita non semper, opinor, apud vos cedunt bene. Sed apud plerosque, ut quicquid magis est proprium, ita plurimum habetur in pretio. Hinc pluris multi caerimonias aestimant suas, quam coenobii, coenobii quam ordinis; tum quicquid est ordini proprium, quam quae sunt omni religioni communia, sed ea tamen quae sint religiosorum, pluris aliquanto faciunt, quam vilia illa atque humilia, quae non sint illis ullo modo privata, sed cum omni prorsus populo Christiano communia, cuiusmodi sunt virtutes istae plebeiae, fides, spes, caritas, Dei timor, humilitas, atque id genus aliae.	1145	#83. To a Monk
Nec enim novum est istud. Immo iamdiu est quod Christus populo exprobravit electo. 'Quare et vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras?' Negabunt ista, non dubito, etiam hi qui faciunt. Quis enim tam vecors est, ut fateatur pluris se facere caerimonias suas, quam praecepta Dei, quibus nisi paruerit, illas ipsas novit inutiles? Verbis, haud dubie, si rogentur, recte responderint, factis, fidem dictis abrogabunt. Mentiri credar, ni sint religiosuli quidam certis in locis tam obstinati silentii, ut in quadris ambulacris illis magno conduci non possint, ut vel summissi mussitent, qui pedem latum in alterutrum subducti latus haud vereantur atrocibus intonare conviciis. Non desunt qui metuerent superventurum Daemonem, qui vivos in orcum auferat, si quispiam consuetarum demutarent vestium, quos nihil movet, quum pecuniam congerunt, adversantur Abbati, ac subinde supplantant. An paucos esse putas, quibus habeatur multis lacrimis expiandum piaculum, si versiculum omitterent in precibus horariis, quibus ne scrupulus quidem timoris ullus oritur, quum sese pessimis, atque infamaticibus impiant fabulis, iisdemque longissimis etiam precibus longioribus. Ita nimirum culicem comminuunt, elephantem deglutientes integrum.	1150	
Sane multo sunt plures quam vellem, qui vel ipso religiosi titulo longe supra mortalium sortem sibi videntur ascendere. Sed horum bona pars deliri magis quam mali, qui tam suaviter insaniunt, ut quicquid illis amens dictat animus, id protinus sic accipiunt velut inspiretur a Deo, et sese credunt interim in tertium rapi caelum quum verius arrepti sint in tertium gradum phrenesis. At illi multo furunt periculosius, qui usque adeo superbiunt, ac sibi videntur sanctuli, ut non contemnant modo, verum condemnent etiam reliquos mortales omnes prae se, nec alia fere de causa quam quod superstitiose nimium suis inhaerent ritibus, suis gloriantur observantiolis, quibus nonnulli sibi tum quoque videntur tuti,	1155	
	1160	
	1165	
	1170	
	1175	
	1180	
	1185	
	1190	
	1195	

quum talibus fulti patrociniis quodlibet armantur ad facinus. Equidem novi quendam instituto vitae religiosum idque ex eo genere quod hodie ducitur, et vere ducitur, ut ego certe sentio, religiosissimum. Is quum non iam novicius, sed qui multos annos in regularibus, ut vocant, observantiis insumpsisset, eoque promovisset in illis, ut etiam praeficeretur coenobio, Dei tamen praeceptorum quam monastici ritus indiligentior, e vitio in vitium prolabitur, eo tandem progressus, ut scelus omnium atrocissimum, et supra quam credi possit execrandum destinarat animo, immo non simplex scelus, sed multiplici fecundum scelere, ut qui decreverit addere caedibus et parricidio sacrilegium. Qui quum tot patrandis facinoribus impar sibi solus videretur, aliquot ad se sicarios ac sectores asciscit, conficiunt facinus omnium, quae quidem ego audierim, immanissimum. Comprehensi coniciuntur in vincula. Neque rem tamen explicare decrevi, et nominibus abstinebo noxiorum, ne quid obsolescentis invidiae, ordini renovetur innoxio. Verum (ut quamobrem institui narrare persequar) ab illis ego sceleratis audivi sicariis, quum ad religiosulum illum ventitarent in cubiculum, numquam ante tractasse de flagitio quam in privatum eius introducti sacrarium Divam Virginem, flexis de more poplitis, Angelica salutatione propitiassent. Ea re rite peracta, tum demum pure pieque consurgunt ad infandum facinus. Atque ut illud quod dixi facinus multo fuit atrocissimum, ita quod nunc dicam longe quidem in speciem mitius, ipsa re fortasse, nec multo minus nocuit, certe multo nocuit latius.

Erat Conventriae fraterculus quidam ex eo Franciscanorum numero, qui nondum ad Francisci regulam sunt reformati. Is in urbe, in suburbiis, in finitimis, in circumiectis oppidulis praedicavit: Quicumque Psalterium beatae Virginis oraret cotidie, numquam posse damnari. Pronis auribus audita res est, et libenter credita, quae viam tam proclivem aperuisset in caelum. Ibi pastor quidam, homo probus et doctus, etsi stulte dictum esse censebat, tamen aliquantisper dissimulat, ratus ex ea re nihil etiam oriturum mali. Populum enim quo effusius in beatae Virginis cultum sese daret, eo plus haustum pietatis. At ubi tandem recognoscens ovile deprehendit ea scabie vehementer infectum gregem: pessimum quemque in illo Psalterio maxime religiosum esse, non alia mente, quam quod sponderent sibi, quidvis audendi licentiam; neque enim fas habebant quicquam dubitare de caelo, quod tam gravis auctor, fraterculus e caelo lapsus, tanta cum fide promiserat. Tum vero tandem coepit admonere populum, non minus esse fidendum, si Psalterium psallerent, etiam si uno die decies, bene certe facturos, qui bene dicerent, modo non ea dicerent fiducia, qua iam nonnulli coeperant; alioqui satius esse uti et preces ipsas omitterent, modo et facinora quaedam, quae sub earum patrocinio fidentius committebantur, omitterentur simul. Haec quum e suggestu diceret, mirum quam indignanter aditur, exsibilatur, exploditur, passimque velut hostis Mariae traducitur, frater alio die conscendit pulpitem, orditur ab eo themate, quo maxime perstringat pastorem, 'Dignare me laudare te, Virgo sacrata; Da mihi virtutem contra hostes tuos.' Nam eodem themate Scotum

quendam disputaturum Parisiis, de Virginis immaculata conceptione  
ferunt usum, qui Lutetiam in momenta delatum, periclitante  
scilicet alioqui beata Virgine, milia passuum plusquam trecenta  
mentiuntur. Quid multis opus est verbis? facile persuadet volentibus 1250  
frater, et fatuum et impium esse pastorem.  
Dum res flagrabat maxime, fors accidit, ipse ut Conventriam  
peterem, visurus ibi sororem. Vix equo descenderam, quum proponitur  
et mihi quaestio. 'An qui cotidie precaretur Psalterium  
beatae Virginis, damnari possit.' Irrisi problema ridiculum. 1255  
Admoneor ilico periculose factum, quod sic responderim, Sanctissimum  
quendam Patrem eundemque doctissimum contra  
praedicasse. Contempsit rem totam, ut quae nihil attineret ad me.  
Protinus invitator ad convivium; promitto, venio. Ecce intrat frater  
senex, silicernium, gravis, taetricus; puer a tergo sequitur cum 1260  
codicibus. Ilico sensi mihi paratas lites. Accumbimus, et ne quid  
periret temporis, extemplo res proponitur ab hospite. Frater quod  
ante praedicatorat, idem respondit. Ipse tacebam. Neque enim libenter  
memet disceptationibus et odiosis et infructuosis immisceo.  
Tandem rogarunt, et quid mihi videretur. Qui quum tacere non 1265  
licuit, respondi quod sentiebam, sed paucis et neglectim. Ibi inquit  
Frater oratione meditata longaque, et quae binis fere contionibus  
essent satis, eblaterabat in cena. Summa rationum tota pendebat  
a miraculis quorum nobis iam effutiebatur e *Mariali* multa, tum  
quaedam ex aliis eiusdem farinae libellis; quos afferri iubet in 1270  
mensam, quo narrationi maior accedat auctoritas. Quum aliquando  
tandem perorasset, ego modeste respondi, primum nihil esse toto  
illo sermone dictum quo res persuadeatur illis, si qui forte quae  
recensuerat miracula non admitterent, quod fors accidere salva  
Christi fide possit. Quae tamen ut maxime vera sint, ad rem haud 1275  
quaquam satis habere momenti. Nam ut facile reperias principem,  
qui condonet interdum vel hostibus aliquid ad preces matris; ita  
nullus est usquam tam stultus qui promulget legem qua suorum  
audaciam in sese provocet, impunitate promissa proditoribus,  
quicumque genitricem eius certo demereatur obsequio. Multis 1280  
ultra citroque dictis, effeci tandem ut ille tolleretur laudibus, ipse  
pro stulto rideret. Quin eo res evasit denique pravo hominum  
studio suis vitiis persona pietatis faventium, ut vix aliquando  
cohibita sit annitente quantis maxime posset viribus Episcopo.  
Non haec eo commemoro, quod vel religionem velim religiosorum 1285  
quorundam degravare sceleribus, quum et salutare herbas,  
et pestiferas eadem terra progerminet, neque quod eorum ritum  
improbem, qui subinde Divam salutant Virginem, quo nihil  
potest esse salubrius, sed quod usque adeo quidam sibi fidunt in  
talibus, ut ab his potissimum securitatem sibi sumant ad flagitia. 1290  
Haec sunt atque huiusmodi, quae taxanda censet Erasmus, cui  
quisque irascitur. Cur non Divo succenset Hieronymo? Cur non  
aliis item sanctissimis Patribus, qui religiosorum vitia et uberius  
multo commemorant et multo insectantur acerbius? Ut callidus  
est antiquus serpens? Ut aconita semper oblinunt melle, ne quis 1295  
reformidet toxicum? Ut gustum nobis inficit ac citat nauseam  
quoties offertur antidotum? Qui nos admirantur et nostra facta

#83. To a Monk

collaudant, qui beatos appellant, et sanctos, hoc est, qui nos seducunt et ex stultis reddunt insanos, hi nimirum candidi sunt atque benevoli, hi vicissim boni pique vocantur a nobis. At qui multo magis utilem nobis impendunt operam, qui ut quales vere sumus, tales vere nos nobis indicent, canes illi sunt latratores, arrosores, malevolentes, invidi; et haec audiunt qui nullius vitia perstringunt nominatim, et audiunt ab his qui suis ipsorum sordibus aperte conspergunt alios. 1300

Itaque nunc non alibi modo locum esse video, sed ne claustrum quidem dicto clausum esse Comico: 'Obsequium amicos, veritas odium parit.' Hieronymo quondam veritas opprobata est a calumniatore Ruffino, quum eam omnes aequi bonique lectores, aequi bonique consulerent. Quod Erasmus vero non vere tantum, verum etiam tanta scripsit cum gratia, ut ei per litteras undique magnae sint actae gratiae, ab ordinis cuiusque religiosi et praesertim tui. Id nunc tandem satis insulse superbeque calumnus, et convicii oppugnatur abs te, cuius professio tota fundamentis humilitatis innititur, qua videlicet humilitate tu, non tuam tantum sectam magnificis effers laudibus, nempe sacris institutis, sancta solitudine, devotis caerimoniis, vigiliis, asperitate vitae, ieiuniis. Sed illum quoque pedibus tamquam canem calcas, dum latrantem facis, et vagabundae conversationis. Quae verba, quum lego tam religioso perscripta calamo, videor mihi propemodum humiles illas sancti Pharisaei preces audire, 'Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut ceteri hominum, sicut et Publicanus iste.' 1310

Tametsi paulo sanctius esse putem in bonorum laude virorum quam criminatione versari. Non est tamen in praesenti consilium, ut Erasmi scribam encomion. Nam et nostrae vires, tanto sunt operi impares, et ubique gentium optimi atque doctissimi, pro sua quisque virili certatim faciunt, quibus alioqui tacentibus, sua illum benefacta cunctis fructuosa mortalibus, ut vivum commendant bonis, ita sublata cum fatis invidia, quod sero precor obtingat, vita functum commendabunt omnibus facientque ut aliquando desideretur etiam his quorum nunc livore lippientes oculi, velut illustri fulgore perstricti, contra tueri non sustinent. Ego certe, quandoquidem apud bonos laudatione non indiget, ita temperabo mihi, ne vel eorum per me turgescat invidia, quorum tam improbum est ingenium, ut et quibuslibet alantur obtrectationibus, et bonorum laudibus intabescant. 1315

Quibus ipsis inoffensis, puto, fas est hoc saltem dicere. Si quis diligenter expenderit, quam assidue, quam magna, quam multa, quam bona volumina unus edat Erasmus, quibus vel exscribendis tantum, non unus satis fuisse videretur, is, opinor, perpendet facile, etiam si non totus esset in virtutibus, non multum certe superesse temporis, quod impendatur in vitia. Iam si quis aequos oculos admoveat propius, atque operum pensitet fructum, ad haec eorum attestaciones aestimet, quorum vel studiis lux est addita, vel fervor accessit affectibus, huic ego certe reor non admodum fore probabile pectus illud, unde velut ignis quidam pietatis exsiliens, aliorum animos inflammat, ipsum in semet usquequaque frigescere. Has, opinor, laudes non ad invidiam usque 1320

1325

1330

1335

1340

1345

#83. To a Monk

benignas nemo est adeo malignus, ut abnuat, quibus ego tamen  
 ipsis abstinuisssem, nisi quod tua me petulantia, ne sic quidem  
 1350 sinit sistere, verum necessario tecum longius aliquanto provehit.  
 Nam quis tam patientes aures habet, ut te tam petulanter insultatem  
 ferat, quum vagabundi nomine insectaris, quod aliquando  
 sedem, quod numquam fere facit, nisi quum publici boni poscit  
 ratio, demutet. Perinde quasi desiderere perpetuo, atque ostreorum  
 1355 in morem, aut spongiae, eidem semper affigi saxo, ea demum  
 sit absoluta sanctitas! Quod si verum est, haud satis recte institutus  
 est Ordo Minoritarum, quo (nisi me fallit opinio) nullus est  
 ordo sanctorum, quorum plerique tamen idoneis de causis, totum  
 pervagantur orbem. Non recte fecit Hieronymus, qui quod Romam  
 1360 atque Hierusalem interiacet viae permensus. Multo intra  
 vestram sanctitatem sanctissimi fuerunt Apostoli, qui sedentibus  
 vobis, immo nondum sedentibus, totam undique terram peragrarunt.  
 Nec istud eo dico, quod eis Erasmum comparem, ne quis id cavilletur  
 ad calumniam, sed ut ostendam tibi quemadmodum loci  
 1365 mutatio saepe sine vitio contingit, ita non esse praecipuam in  
 sedendo semper sitam sanctimoniam.  
 Etenim ut ad Erasmum veniam, quoquo pacto sese habeant  
 cetera, quae sese habent optime, vagationem interim, quam tu  
 tam procaciter invadis in illo, profecto non dubitaverim, cuiquam  
 1370 vestrarum parti virtutum, quacumque vobis maxime placetis, anteferre.  
 Neque enim quemquam hodie esse usquam puto, qui quidem  
 suum curet genium, ac laborem horreat, quin is vobiscum sessitare  
 malit, quam vagari cum illo. Qui seu spectetur labor, plus nonnumquam  
 1375 in uno die laborat quam vos in multis mensibus. Seu  
 laboris aestimetur utilitas, plus in uno mense nonnumquam Ecclesiae  
 toti profuit, quam vos in annis plurimis, nisi cuiuspiam  
 vel ieiunia putes, vel preculas tantum, et tam late conducere, quam  
 tot egregia volumina, e quibus totus eruditur orbis ad iustitiam,  
 aut nisi deliciari videtur is, qui maris hiemes, saevitiam caeli,  
 1380 labores omnes in terra, dum prosit in commune, contemnit. An  
 non delicata quaedam res est e navigatione nausea, e iactatione  
 cruciatus, e tempestate periculum morsque ac naufragium semper  
 observans oculis. Quum toties per silvas horridas, per inculta  
 nemora, per crepidines asperas, per montes perreptaret praecipites,  
 1295 et vias obsessas latronibus, quum quassus ventis, conspersus luto,  
 complutus ac madidus, a via fessus, a labore lassus, malo subinde  
 acceptus hospitio, vestrum cibum, vestrum cubile desiderat, an  
 non voluptuari videtur? praesertim quum haec tot mala, quae  
 virentem quoque ac robustum iuvenem facile defatigent, obeat  
 1390 atque sustineat, senescente iam et studiis ac laboribus fatisciente  
 corpusculo, ut sit paene perspicuum, iam olim necessario fuisse tot  
 malis succubiturum, ni Deus eum (qui solem suum facit oriri  
 super bonos et malos) etiam in ingratorum commoda conservasset.  
 1395 Nam undecumque revertitur, ceteris omnibus egregios affert secum  
 itinerum suorum fructus, sibi vero nihil usquam quicquam nisi  
 detritam valetudinem et suis beneficiis excitata maledicta  
 pessimorum.  
 Quamobrem tales ille profectiones tam gratas habet, ut nisi

#83. To a Monk

studiorum causa postularet, hoc est, publicum omnium commodum, 1400 #83. To a Monk  
 quod ille privato toties incommodo redimit, perquam libenter  
 ommitteret. Interim vero non nisi cum his versatur, quos et  
 doctrina commendat, et vita, semper aliquid parturiens, quod post  
 in illis, quae tu sic incessis itineribus, non absque publico studiorum  
 fructu pariat, quem si posthabuisset ille suis ipsius commodis, 1405  
 quum corpus haberet hodie minus aliquanto fractum, tum vero  
 multo magis uberem locupletemque fortunam, Principibus omnibus,  
 omnibus fere magnatibus eximia condicione certatim illum ad  
 sese pellicientibus. Quamquam certe par ac iustum fuerat, uti  
 quemadmodum ab illo, ubi ubi vivat, eximius fructus in omnes 1410  
 orbis partes, velut e sole radii diffunduntur, sic ab omni parte  
 vicissim commoda refunderentur ad illum. Quamobrem quando  
 ille sese totum alienis utilitatibus impartitur nec emolumentum  
 quicquam sibi deprecatur in terris, dubitare certe non debeo, quin  
 ei Deus illic benignissimus, ubi satius erit accepisse retribuet, 1415  
 eoque quum illum, abs te contemptum tecum comparo, et utriusque  
 merita compono simul, quantum videlicet humana fas est  
 coniectura consequi, spes indubitata suboritur, quum utrique  
 tandem illa dies affulserit, qua vestris virtutibus suum reddetur  
 praemium, quamquam ut tuum permagnum fore spero, sic opto 1420  
 fore quam maximum, tamen expensor aequus utriusque Deus,  
 quod sine tuo damno, atque ut tum affectus eris, etiam te libente  
 fecerit, non vagationes eius tantum praeferat sessioni tuae, sed  
 quoniam bonis omnia cooperantur in bonum, loquentiam eius  
 anteferet tuo silentio, silentium eius tuis praeponet precibus, cibos 1425  
 eius tuis ieiuniis, et somnum tuis vigiliis, ac denique quicquid in  
 illo tam superbe despicias, pluris omnino faciet illis omnibus, quaecumque  
 vita in tua tibi tam suaviter adblandiuntur.  
 Nam haud dubie, quamquam fateri pudor impediatur, numquam  
 tamen potuisset accidere, quemquam, ut tam arroganter impeteres, 1430  
 ni mira persuasione sanctitatis impense placeres tibi, qua una re  
 nihil est usquam religioni periculosius, aut a qua longius abesse  
 te pro meo in te amore cupio. Etenim mihi meique similibus,  
 qui misero fluctuamur orbe, vos profuerit velut inferne suspicere,  
 vestraque instituta non aliter atque Angelicae vitae exemplar 1435  
 admirari, quo quasi stupore quodam virtutis alienae nostra nobis  
 vita vilescat impensius. At vobis contra non admodum fuerit utile  
 aliorum viam contemnere, et condemnare prae vestra nonnumquam  
 etiam meliorem. Verum assuescas potius in aliis, vel inferiora  
 suspicere, de tuis vero non modo sentire modestius, verum 1440  
 omnia suspectare quoque, trepidumque semper vivere, et quamquam  
 in bona spe, tamen omnino sollicitum non tantum, ne post  
 hac aliquando corruas, iuxta id quod dicitur, 'Qui stat, videat ne  
 cadat,' sed ne iam olim cecideris, ac tum potissimum, quum tibi  
 maxime videbaris ascendere, nempe quum religionem ingredereris. 1445  
 Nec istud eo dico, quod quicquam dubitem, quin meliorem partem  
 delegerit sibi Maria, sed quoniam omnis iustitia mortalium  
 velut pannus est menstruatae, eoque etiam bona sua cuique merito  
 debent esse suspecta, tibi fortasse non insalubre fuerit addubitare,  
 timereque tecum, ne tu vel in Mariae parte non sis, vel Mariae 1450



## #83. To a Monk

partem perperam delegeris, dum aut eius munus, cui Christus  
 Marthae postposuit officium, tu Apostolorum officio anteponis,  
 aut ne tibi visus, dum leviter temet examinas, in sanctam fugiens  
 solitudinem, noxiis te subducere voluptatibus, in Dei secretiore conspectu,  
 qui nos multo penitius introspicit, qui corda nostra profundius 1455  
 quam nos ipsi rimatur, cuius oculis imperfecta nostra  
 videntur,prehendaris fortasse negotia detrectasse, et te subtraxisse  
 laboribus, et pietatis umbra quaesivisse voluptatem quietis,  
 et molestiarum fugam appetisse, talentumque tibi creditum involuisse  
 sudario, quod ne foras emitteres, intus perderes. 1460  
 Huiusmodi cogitationibus hoc saltem facies lucri, quod suggeretur  
 occasio, ne (quo nihil est perniciosius) de tua tecum secta  
 superbias, neve in privatis nimium confidas observantiis, spemque  
 ut in religione colloques potius Christiana, quam tua, nec innitaris  
 illis quae per te facere pates, sed quae nisi per Deum non potes. 1465  
 Ieiunare potes ex te, vigilare potes ex te, precari pates ex te, quin  
 potes et ex Diabolo. Ceterum vere Christiana fides, qua Christus  
 Iesus vere dicitur in spiritu, vere Christiana spes, quae de suis  
 desperans meritis in una Dei benignitate confidit. Vere Christiana  
 caritas, quae non inflatur, non irascitur, non suam quaerit 1470  
 gloriam, nulli prorsus, nisi sola Dei gratia, et gratuito favore, contingit.  
 Quo plus fiduciae posueris in communibus istis Christianismi  
 virtutibus, eo minus assuesces fidere privatis caerimoniis,  
 vel ordinis tui, vel tuis, in quibus quo minus fides, eo tibi magis  
 conferent. Nam tum demum Deus te fidelem servum ducet, quum 1475  
 tu te duces inutilem. Quod merito certe poterimus, etiam si  
 fecerimus omnia quaecumque possumus, quod ego Deum precor,  
 uterque ut aliquando faciamus, et Erasmus etiam, nec faciamus  
 tantum, sed vel multo potius, si multa fecisse contingat, nihil ut  
 nos omnino fecisse censeamus. Nam ea via potissimum eo conscenditur, 1480  
 ubi neque nos quicquam virtus aliena torquebit, neque  
 lacrimam ullam lippientibus oculis excutiet aliena caritas.  
 Quod in calce tandem scribis meae fore modestiae, ne tuas  
 litteras cuiquam ostendam, non video, qui id pertineat admodum  
 ad modestiam meam: fuisse[t], haud dubie, tuae vel modestiae 1485  
 vel certae prudentiae ostendisse paucioribus Modestiae, si quales  
 tibi videntur, tales essent. Prudentiae, si quales vere sunt, tales  
 etiam tibi viderentur. Nunc vero nova est ista modestia, exigere  
 a me silentium, quasi vel tua tibi non placeret epistola, vel  
 declinares laudem, ac temet ilico, quum te gloriolae pruritus 1490  
 incenderet, quaerere quosdam simili titillatos scabie, ut iucundo  
 fructu pariter et scabereris et scaberis. A quibus, quum audirem  
 passim esse iactatum tuis elegantissimis, et a Spiritu Sancto dictatis  
 epistolis, ita mutatum me, ut Erasmica scripta reiecerim, arbitratus  
 sum convenire mihi meam sententiam, litteris ut testatam redderem 1495  
 eorumque vel stultitiam, si credidere, vel malitiam, si confinxere,  
 convincerem. Etenim iudicare non possum, quonam pacto  
 litterae tuae affecerint illos, quando asinino palato placentes cardui,  
 locum etiam fecerunt adagio; mihi certe nihil in eis visum est  
 usque adeo splendidum, ut nobis oculorum sic perstringeret aciem, 1500  
 quin quod album esset, album etiamnum videretur.

## #83. To a Monk

Hunc itaque meum animum quum propter vanissimam sive  
tuam sive tuorum iactantiam declarandum esse censuissem, hactenus  
tamen statui habere semper famae tuae rationem, ut neque  
nomen tuum, alioqui mihi percarum, meis litteris insererem, et e  
1505  
tuis ipsius, quae quidem in mea manu essent, expungerem. Atque  
istoc pacto fiet, ut quicquid hoc de facto tuo vel dicent vel sentient  
homines, (de quo boni doctique sentient dicentque omnes, procul  
dubio, pessime) nihil te tamen pudoris ac ruboris attingat. Illud  
1510  
mihi vehementer placet, quod ubi satis debacchatus es, redditus  
tandem tibi, factus es in fine placator, insinuata spe irae in Erasmus  
condicione non admodum difficili componendae. Nam hunc  
in modum scribis: 'Nec tamen usque adeo inimicus sum Erasmo,  
quin facile cum eo in gratiam redeam, si ille sua correxerit erratula.'  
1515  
Papae! besti hominem, qui alioqui periculum erat, ne  
maerore misere maceraret sese, si spes omnis prorsus adempta esset,  
fore ut aliquando te tanto videlicet viro magis uteretur propitio.  
Verum nunc quandoquidem tam facilem pacem offers, in qua  
tam aequa postulas, haud dubie parebit avide, corrigetque protinus,  
1520  
simul atque tu errores eius ostenderis. Nam hactenus tantum  
ostendisti tuos. Quamquam ea ipsa quae tu vocas erratula,  
nempe 'verriculum' pro 'sagena,' et 'remitte,' pro 'dimitte,' et 'discumbentibus,'  
pro 'discumbentium,' atque eius generis alia, sicubi  
Latinum vocabulum pro barbaro supposuit, aut sermonem purum  
pro soloeco, aut perspicuum pro ambiguo, sicubi vel interpretis  
1525  
errorem correxit, vel scriptoris lapsum restituit, vel Graecitatis  
idioma Romanae linguae figuris enuntiavit. Haec, inquam, ipsa,  
potius quam te inimicum habeat, immutabit omnia, ac barbarismos  
omnes, omnes soloecismos, quicquid usquam fuit  
1530  
obscurum, quicquid aut dormitanter versum, aut inemendate  
transcriptum. Erasmus hunc thesaurum omnem, quandoquidem  
non furtum tantum (ut video) sed sacrilegium quoque dum haec  
auferret e templo commiserat, in sanctuarium rursus bona cum  
fide reponet. Nihil eo deterritus, quod bonos doctosque omnes  
1535  
ab se alienare videbitur, quos illo officio devinxerat, quando illorum  
vice omnium, te tandem atque Apologastrum illum, hoc  
est, populi vice primarios quosdam principes, ac veluti litteratorum  
omnium Duumviros conciliabit sibi.

Sed, omisso ioco, hoc unum certe sicuti abs te probe pieque  
factum est, ita ego quoque vere atque ex animo laudo, quod dum  
1540  
erratula tantum fateris esse, quae sint corrigenda, fateris interim  
verecunde quidem pro tua modestia, sed vere tamen, quo te mendacio  
liberes tam scelesto, confiteris, inquam, falsa fictaque esse  
omnia, quae de haeresi, de schismate, deque Antichristi praeconio  
initio praefervidus obieceras. Neque enim usque adeo mihi deploratus  
1545  
es, quin melius de te sentiam, quam ut haeresim, schismata,  
atque Antichristi praeconium, quorum atrocitatem scelerum,  
nulla malorum moles exaequat, pro leviculis habeas erratulis.  
Quamobrem, quum te videam quicquid erat grave recantasse,  
1550  
non est animus de levibus tecum contendere. Ut utrimque pariter  
quae dicta sunt habeantur indicta omnia, tumultusque omnis, ut  
de nihilo natus est, ita in nihilum vicissim desinat, atque haec

tragoedia tandem exeat in comoediam. Vale, et si Claustro nolis frustra claudi, quieti potius spirituali, quam istiusmodi rixis indulge.

#83. To a Monk

1555

84. To Edward Lee  
Greenwich  
27 February <1520>

THOMAS MORUS EDUARDO LEO S.D.

Neminem esse mortalium arbitror, carissime Lee, cui sua consilia perpetuo constant; mihi certe (neque enim vel constantior affecto vel prudentiar videri quam sum) saepe sic usu venit, ut quod alias impense placet, alias impense displiceat. Nec istud umquam tamen verius validiusve mihi contigisse memini, 5 quam in hoc tua negotio, in quo minime omnium putassem eam animi mei mutationem accidere potuisse, non ideo tantum, quod mihi videbar ipse pulchris rationibus esse confirmatus (nam mea mihi semper suspecta sunt). Sed quod tam multas habere me videbam, eosque ex prima classe prudentium, qui meae sententiae 10 non modo suffragarentur atque subscriberent, verum auctores quoque profiterentur sese. Quos quum nunc videam universos sui paenitere suffragii, quod meum una calculum, quem revocare non possum, testari cogor in urnam etsi fideliter parum tamen 15 caute coniectum, vel tantorum certe virorum societate memet, vel communi sorte mortalium, quibus nihil satis provisum est, undique consolabor.

Nam quis non putasset id quod tam multi, tam docti, tam amici tibi putaverunt, utiliter me suasurum, ut inter te atque Erasmum 20 rediretur in gratiam, libellusque, quem nunc edidisti, premeretur perpetuo? At nunc res indicat id ipsum consilium non satis consulte consultum. Fuisset enim, quandoquidem perpetuo premi non potuit, quod quo minus potuerit, neque iudico neque disputo per utrum steterit. Fuisset, inquam, etiam si non satis commodum, at certe minus incommodum, si liber esset olim editus priusquam ad 25 cetera mala tantus iste rixarum cumulus, et conviciorum immensa moles accessisset, quorum nescio, an vos adhuc pigeat, ceteros certe omnes iam dudum pudet. Uter in causa fuerit in praesente non excutio. Litteris meis olim declaravi tibi quid mihi partim, partim aliis, ad eum usque diem de utriusque facto videretur. Post 30 eum vero diem quo pacta res tractata sit inter vos, nec satis certe comperio, nec de re parum comperta pronuntio. Verum postquam tu significaras, meo te suasu perpetuo pressurum librum, quievistis paululum. Ceterum haud multo post Erasmus huc scripsit ad nos, te, quum aperte prae te ferres concordiam, occultis cotidie 35 cuniculis plusquam hostilia moliri. Tu contra negabas, et contendebas illum falsis duci opinionibus. Iterum ergo illum, iterum te admonuimus utrique cavendum esse, ne pravis aliorum dolis inter vos committeremini. Ille postea saepe velut novis ac novis abs te laesus technis querebatur, cui ego semper eadem respondebam, 40

aliorum malitiam vestrae invidere quieti, quibus studium fuerit  
ex duello vestro voluptatem capere. Te vera, a quo nihil accipiebam  
litterarum, nolui nostris obtundere, praesertim quae non aliam  
cantilenam possent, quam toties ante cantatam occinere.

#84. To Edward Lee

Nunc tandem libellus annotationum tuarum (qui iam ante  
quoque coeperat a quibusdam apud nos asservari neglegentius, et  
permitti pluribus) offertur excusus typis, sed non nisi unum volumen  
aut alterum. Hic et a frontispicio conspicio, et a postico magis  
virulenta convicia, quam quae modestiorum ferant aures. Quorum  
omnium initia causasque, quum in Erasmus conicias, ut te non  
refello ita nec illum adhuc inauditum condemno. Hoc unum, mi  
Lee, scio, quod quum idoneis argumentis docere possim, dissimulare  
non debeo, litteras illas, quibus te commonebat ab impotentibus  
Germanorum animis tibi cavendum esse, quas litteras velut  
minaces videris in odium trahere, ab animo in te sincero, et de  
tua salute sollicito profectas. Cetera quo pacto gesta sunt, tum  
demum expendam, quum illum quoque audiero. Quae tamen  
seu vera sint, ut dicis, omnia, seu te nonnumquam imago quaedam  
veri deceperit, seu tua coniectura (ut est animus in sua cuique re  
suspiciax) longius interdum sese, quam quo ducebatur evexerit,  
non adeo immemor sum humanae sartis, ut non conivendum  
putem, si quis interdum dolori suo, seu veris e causis orto, seu  
creditur indulgeat. Sed optassem tamen, mi Lee carissime, pro  
mea in te amore (quo non est in te cuiusquam sincerior), optassem,  
inquam, ita tibi temperatum esse, ut modestiae potius laudem,  
quam acerbitalis veniam consequerere. Verum haec sera querela  
est. Nunc quod reliquum est, oro te, mi Lee, ut redire properes  
ad nos, a quibus utinam numquam fuisses digressus. Etenim sive  
tu vera narras, ab ipso te impulsus Erasmo, sive ille recte suspicatur  
incitatum te a suis aemulis, numquam hic tumultus inter  
vos exortus esset, si tu perpetuo mansisses in patria, in qua ut brevi  
te reducem videam, salvum atque incolumem precor. Interea vale.  
Grennici, xxvii. die Februarii.

85. To Edward Lee  
Greenwich  
29 February <1520>

THOMAS MORUS EDUARDO LEO S.D.

Nudius tertius ad te, mi Lee carissime, litteras dedi,  
statim ab allatis huc paucissimis annotationum tuarum voluminibus,  
quae nescio quis e Parisiis scholasticus huc festinarat mittere,  
ut amicis quibusdam primo flore gratificaretur; heri mihi redditus  
est abs te libellus una cum litteris, quibus auguraris me non boni  
consulturum, quod librum ad me mittas excusum typis. Ego certe,  
quod mihi donas, habeo gratiam; quod nunc excusum curasti,  
quamquam perpetuo maluissem premi, tamen ut res habet, non tam  
tuum factum, qui nunc edideris, quam meum damno consilium,  
per quem effectum est, ne tum esset editus, quum minore utriusque

damno potuisset, dum adhuc minus acribus odiis utrimque laborabatur. Sed quoniam scripsi tam nuper hac de re, non erit opus eadem repetere.

Unum praeterire non debeo, quod ais longa me et prope minaci epistola tecum egisse, ut premeres. Profecto, mi Lee, ut fateor esse longiusculam, ita quantum recordor, minarum nihil habebat epistola. Certe nihil habebat animus, aut habebit umquam, neque enim natura sum torvus. Memini scripsisse me pro mea virili conaturum, ut ista taxatio translationis Erasmi, tuum potius factum, quam patriae nostrae videretur, salva mihi semper tecum, quoad per te liceret, amicitia, quae verba nolim te (qui mihi videris interdum plus aequo suspicax) ad minas trahere, quibus ego nihil aliud sensi, quam quoad possem, effecturum me, ut innotesceret exteris, factum illud tuum apud nos, ut quibusdam fortasse placeat, certe non omnibus placere. Si nihil aliud possem, illa ipsa epistola saltem testaturum, non placere mihi, ut labores Erasmi in communem studiorum usum tanto cum studio collocati, tuo libello traducerentur, atque haec me vel ideo facturum obnixius, quod verebar, si ab Anglo impeteretur opus omnibus tam carum gentibus, ne nostra patria traheretur apud eruditos omnes undique in invidiam. Nec uno pilo minus hanc invidiam pertimescebam, quod istic sentiebam opus a nonnullis, vel invidis vel imperitis infamari. Quum augurer atque praesagiam, aut evictis hostibus aut desistentibus, Erasmi labores aeternum esse victuros. Nec tamen omnes vel invidiae damno, vel imperitiae, quibus fortassis opus displicebit; liberum erit per me suum cuique iudicium, et poterit interdum zeli fervor etiam peritis imponere: hoc certe fidenter pronuntio, neque sanctiores adhuc, neque doctiores, ab adversa parte, quam ab Erasmo perstitisse, ut nihil interim dicam de Summa Pontifice, cuius in hanc partem suffragium idemque bis iam honorifice praebitum, quamvis mihi videatur irrefragabile, nescio tamen quanti ponderis sit istic apud quosdam, quos ego (si modo vera audio) sane vehementer admiror, tam levem ipsos eam auctoritatem ducere, pro qua adversus alios ferro flammaque depugnant; certe si potestatem illam tam rigide ab se defensam, tam facile quum libet neglegunt, cui non fidem faciant, non pro Pontifice sese, sed pro suis potius affectibus dimicare? Nam quod audio iactare quosdam, prope diem sese facturos, ut Pontifex revacet calculum, dispeream ni cupiam suavium hominum miram illam audire facundiam, qua sic Pontifici demulceant aures, ut persuadeant ei ex honore esse pontificiae maiestatis, ut in malorum gratiam bonorum detrahat commodis, et opus iam tandem reprobet, quod bis iam ex intervallo probavit, et toti se declaret orbi, cuius curam habet, Christi negotium, cuius vicem gerit, tam neglegenter agere, ut dominicum gregem, pro quo rationem redditurus est, semel atque iterum pastoralis voce dimiserit in perniciose pascua. Certe Lutherus ipse prae istis videri potest pius in sacrosanctam Romanam sedem, ut cui aliquo saltem modo tribuit universam potestatem, quam isti ut verbis sublevant, ita re videntur tollere, si iudicium eius in approbandis scriptorum operibus adeo ducunt leve, atque ut illud ad sedem pertinet, sic istud pertinet ad

Pontificem, de quo scelerate sentiunt, si censent eum per incuriam  
 id operis bis iam accurate commendasse fidelibus, quod haberi  
 legique sine fidei detrimento non potest. Iam quod tu ais nescire  
 te an Pontifex approbaverit, ut ad Graecam fidem excutiantur  
 Latini codices, certe non probasse saltem exemplar Erasmicum, 65  
 quod ipsum probetur esse mendosum, ut primam partem prorsus  
 abicio, ita secunda delector, ut belle atque acute excogitata per te;  
 neque enim illorum quemquam audivi hactenus, qui tantum sibi  
 invenerit suffugii, qua totum opus impune liceret impetere, quod 70  
 approbasset Pontifex. Itaque non conabor tibi hoc iumentum tollere.  
 Cupio profecto ali quod tibi effugium patere, quo quod facis,  
 fecisse possis, inoffenso Pontifice.  
 Verum misere metuo, ne ex hoc asylo quoque te deturbet Erasmus,  
 qui etiam si per se tanto bonorum consensu satis in tuto sit, 75  
 non feret tamen umquam tantam ignominiam, ut clipeus ei Pontificius,  
 velut ancile de caelo datum, excuti videatur e manibus.  
 Quod si censeas, agrum in summa frugiferum, aliquot adhuc  
 tamen continere frutices, qui manum desiderent agricolae, nec  
 auctoritati Pontificis obsistis, non me modo, sed ipsum etiam Erasmum 80  
 habebis astipulatorem, qui non eam ambit laudem, ut  
 quod nemini umquam contigit, nempe ut nusquam in longo dormitet  
 opere, id illi deferatur uni, atque utinam sic aperte modereris  
 tuam, mi Lee, sententiam, quod videri potes alicubi sensisse, utpote 85  
 quum fateris non omnia damnare te, in quibus ab Erasmo dissentis;  
 id si quo forte loco (nam totum librum non legi) abs te sit aperte  
 factum, nihil erit tibi negotii cum quoquam, nisi ut de solis annotationibus  
 disputetur, e quibus ut reiciuntur, haud dubie, multae,  
 ita quaedam fortasse consisterent, quibus utilis videretur liber, 90  
 quae nunc alioquin in idem recident periculum, quod intentant;  
 nempe quoniam malae sunt quaedam, damnari ut debeant omnes,  
 vel eo iustius id subiturae discriminis, quod legem ferant ipsae,  
 qua pereant. At quum dicis periculum esse, ne quis in posterum laedatur  
 ab his, quae tu reprehendis in illo, divinatio quidem est ista.  
 Atque in diem est, quem tibi fingis, timor, etiam si vera metueres, 95  
 et cui multis modis possit occurri.  
 Etenim qui malam ab illo stabilierit opinionem, hactenus nullum  
 vidi, at cotidie video passim studiosos, qui se laboribus eius mire  
 iam nunc fatentur adiutos in campo Scripturarum. Nec hac in  
 parte dubito quin mecum, mi Lee, sentias, et sis aliquando fassurus. 100  
 Habes hominem doctissimum atque integerrimum, florem  
 ipsum Theologicae scholae, Dorpium, utriusque vice praeivium  
 tibi ducem, ut qui et tuam sententiam diu tenuerit, et post excus[s]am  
 diligentius reliquerit; qua veritatis agnitione, immane quanto  
 plus verae peperit gloriae, quam ulla umquam victoria potuisset. Et 105  
 mihi plane polliceor, quemadmodum litteris illum refers, et eidem  
 succedis in certamen, ita non ullo pudore cunctaturum quin aliquando  
 quod verum videris (quod visurum non dubito) ingenue  
 sis agniturus. Cuius bonitatis mihi spem facit, quod idem iam nunc  
 uno atque altera loco fecisse te, non sine laude video; idemque ut 110  
 Erasmus faciat, ex animo certe consulam.  
 Quod vera me, mi Lee, rogas, ne quid amoris erga te mei

minuam, confide, mi Lee, mihi, etiam si in hac causa aequior in  
 eam partem sum, quae oppugnatur, at sicut optem ab urbe salva,  
 salvas abduci copias, te tamen amabo semper, et amorem abs te  
 115  
 meum tanti fieri gaudeo, nec in tuam rem sicubi causa postulet  
 incumbam segnius, quam in hanc inclino, usque adeo ut cum  
 quid edideris aliquando tuum (nam editurum certe multa, non  
 dubito), si vel Erasmus in alienum opus curiosos iniecerit oculos,  
 120  
 atque opus totum opposito conetur opusculo demoliri, quamquam  
 aliquanto meliore loco videretur, quod non nisi retaliaret iniuriam;  
 ipse tamen tecum, quantumvis infirmis viribus, firmissima voluntate  
 perstabo. Vale, mi Lee carissime, ac, si nos amas, ad nos  
 advola. Grennici, ultima Februarii. [Anno. M.D.II.]

#85. To Edward Lee

86. To Germanus Brixius  
 1520

T. MORUS GERMANO BRIXIO. S.

Non adeo tenere mihimet Brixi faveo, ut quod nemini  
 umquam contigit mortalium, id dedigner ac doleam non contigisse  
 mihi. Quis enim ullo umquam saeculo tam inoffense transegit  
 vitam, ut ei nullus aliquando inimicus exoriretur, quum haberet  
 5  
 amicos? Quamobrem, quando illud mihi video communi mortalitatis  
 sorte negatum, ut penitus inimico caream, gaudeo saltem fortunae  
 beneficio, amicos mihi perquam egregios, inimicum vero  
 contigisse talem, quem neque amicum quisquam velit, neque inimicum  
 curet, ut qui neque iuvare benevolens, neque nocere possit  
 10  
 iratus. Et tamen mihi certe succenserem, si vel talis merito me  
 odisses meo. Nunc vero eo aequiore animo fero, quod non dubito  
 quin omnibus inclarescat facile ineptum istud ac plusquam muliebre  
 iurgium, non aliunde quam ex animi tui morbo natum. Quin  
 eo quoque minus mihi displicet hoc certamen, quod ut nihil inde  
 15  
 boni potest accidere, ita praeter chartae iacturam et temporis,  
 quorum ego neutrum statui multum perdere, nihil alioqui queat  
 alterutri nostrum magni evenire mali; quando tales uterque  
 sumus, ut neque mihi quicquam tu nocere possis, neque tibi quisquam;  
 quum sis eiusmodi, in quo nihil fieri detrimenti queat.  
 20  
 Qua una fiducia te impulsus video, ut quaqua versus apud  
 litteratos omnes (si qui tamen tam nugaces nugas dignabuntur  
 legere) libello illo tam elegante, tam egregio indolis tuae specimine,  
 morumque tuorum tam gravi teste temet ipse traduces;  
 ut qui ante satis docuisses, cuiusmodi poeta sis, nunc demum,  
 25  
 edito in id libello, qualis etiam vir sies ostenderes. Ostendisti vero  
 tam insigniter, ac temet ita depinxisti graphice, ut ego tot tantaque  
 in te probra spargere, quam quibus tute temet totum oblinis, neque  
 si velim, queam; neque, si queam, velim. Et tamen ut eiusmodi  
 laudibus te gestire doces, ea videatur una atque unica via placandi  
 30  
 propitiandique tui, si quis in te foedis velit probris debacchari.  
 Verum ego non usque adeo tuam amicitiam ambio, ut non ea potius  
 mihi dicta cupiam, quae vel uni placeant bono atque honesto viro,

## #86. To G. Brixius

quam quae trecentis Brixii, eoque praeclaram illam ac divitem  
 probrorum tuorum suppellectilem, qua te sic ostentas ae iactitas,  
 haud contrectabo; neque, quoad abstinere licebit, attingam: 35  
 tantum, si quid in ea fuerit iucundioris insaniae, quod qui perpenderit  
 ridere possint, odisse non debeant, eo non gravabor  
 lectoris levare fastidium; quod necesse est multum subeat in legendis.  
 eiusmodi rixis, ac nihil umquam profuturis iurgiis. Cetera vero,  
 quibus te conspurcas foedius, aut prorsus valere sinam, aut sicubi 40  
 cogar attingere, sic attingam leviter, ut omnibus faciam perspicuum,  
 non minus libenter me tua probra contegere, quam tute,  
 Brixi, detegas, ac velut insigne prae te feras. Nam quae vitio vertis  
 mihi, tam insulsa sunt calumniae, ut non fuissem dignatus rescribere,  
 si non hac unum dumtaxat diluere visum esset, quod tu tam 45  
 frequenter inculcas, quam numquam probas, huius tui iurgii auctorem  
 esse me. At istud non dicere, Brixi, verum docere debueras.  
 Quod si eam rem satis declarare videbantur Epigrammata mea,  
 ea saltem abs te tuo libello conveniebat ascribi; ne vel illis  
 videreris impudens, quibus meum carmen non esset in manibus. 50  
 Et fecisses, haud dubie, nisi sensisses e re non esse tua, meos versus  
 legi. Qui si com[m]inus conferantur tuis, etiamsi cui videantur  
 alii, quod videntur tibi, tuorum scilicet splendorem carminum  
 reverituri; hactenus tamen adversariarum luce fruerentur, ut res  
 redderetur illustris, et ipsos magis obiurgatas esse quam victos; 55  
 et tibi non satis commodam ansam nunc demum debacchandi  
 rursus arreptam. Quae res, quo fiat dilucidari, quando te libenter  
 oblivisci video, praeclari istius duelli caput tibi redigam in memoriam.  
 Sed ita redigam, ut patius amittam quaedam, quae ad rem  
 meam faciant, quam ut ob causae commodum attingam quicquam, 60  
 quod absque gentis cuiusquam contumelia tangi non passit.  
 Quum ergo tumultus esset olim Lodovico Regi vestro, cum  
 Romano Pontifice, ac Princeps noster invictus Henricus, eius  
 nominis octavus, ab illa sacrosancta sede rogatus, labantibus Ecclesiae  
 rebus ferre statuisset auxilium; naves aliquat emisit in 65  
 mare, quae classem perquam potentem, quam Lodovicus adornarat,  
 arcerent atque compescerent. Quae quum sibi mutuo occurrissent,  
 reliquis amnibus utrimque bona fortuna servatis, duae tantum  
 (quae prima congressu protinus, iniectis harpagonibus, ita sunt  
 colligatae, ut tabulatis igne correptis, dirimi non potuerint, triste 70  
 belli praeludium) perierunt.  
 Hanc navalem pugnam, quum tu ita descripsisses versibus, non  
 ut vera falsis involveres, sed ut rem fere totam meris mendaciis  
 fingeres, atque ex arbitria tuo concinnares novam; quum Regis  
 nostri pietatem, nomine depravares invidiae, Angliamque totam 75  
 velut foedifragam atque periuram, maledictis falsis perquam petulanter  
 incesseres. Quum Herveum plusquam Herculeum, mendaciis  
 plusquam poeticis in mare deduceres. Quum nostras naves,  
 quibus aequor instraveras, una tu invectus Chordigera, parva  
 comitante caterva, fretus Herveo bellipotente disiceres, ac veluti 80  
 muscas quocumque tibi libebat abigeres, plerasque vero fluctibus,  
 homo crudelis, immergeres, quas paulo tamen postea Neptunus  
 misericors incolumes remisit domum. Quum Regentem nostram,



lepusculi more fugientem, tu generosus canis insequeris Chordigera.  
 Quum Chordigeram, cui remigii nullus usus erat, validis 85  
 remigum lacertis impelleres, ne tibi periret operosum illud hemistichium,  
 'Validis impulsa lacertis'; quum Hervei clamoso flatu  
 proflares vela. Quum navis adversae ducem, virum magni nominis  
 et loci, praeterires tacitum, idque ex arte videlicet; quum Herveum  
 fere facticium caneres non fortiter modo, verum etiam prodigiose 90  
 pugnantem. Quum eum in Regentem, in qua numquam pedem  
 posuit, in medios hostes imperterritum intruderis. Quum Regentem,  
 occupatis eius speculis, horrenda edita strage, victam vinctamque  
 traheres. Quum e victa nave non satis observatus in  
 victricem iaceres ardentis flammae bolidem (quae res fuisset victis 95  
 vinctisque difficilis). Quum Herveum adhuc in Regente relictum,  
 memoria lapsus (quae res mentientibus facile solet obrepere),  
 subito velut bicorporem, in conflagrante Chordigera, mediis in  
 flammis, faceres longis logis contionantem, non in aliud (opinor)  
 mortem differens, quam ut interea te videlicet alumnum Phoebi 100  
 suis aliquando fatis vatem vaticinaretur futurum. Quum Heroes  
 universos in cinerem decoqueres, meritoque adeo decoqueres,  
 qui maluerunt exuri quam in Regentem sese transferre quam  
 coeperant, quam victam vinctamque trahebant, passisque ad sidera  
 palmis. Quum Herveum describeres, suis superstitem sociis, iam 105  
 iamque evoluturum ad superos, (nimirum quicquid mortale  
 gerebat excocto flammis, maximeque, mortalium perniciosus affectibus,  
 cuiusmodi sunt ira cum primis et odium) tum demum ita  
 purgatum, Divi opinor Laurentii (ad cuius exemplar fortissimi viri  
 pectus effinxeras) exemplo provocatum; captam navem fingeres, 110  
 et tot egregia deditorum corpora, per invidiam atque vindictae  
 libidinem, nullo suo fructu concremantem secum. Quum demum  
 non homines tantum ac naves usque adeo devorares ignibus, ut  
 ne deus quispiam e machina (quod fieri solet in tragoediis) unum  
 saltem servarit incolumem; qui te rei quam decantas ordinem 115  
 doceret, verum etiam flammis illis corripere, 'Sidera cum caelo,  
 cumque ipsis piscibus aequor'; nec illud brevi hyperbole, sed  
 pluribus versiculis accuratissime stolidis, pulchre videlicet aemulatus  
 Ovidium, hoc etiam vincens, quod quum ille ab Solis equis absque  
 rectore deerrantibus, orbis finxerit incendium; tu perquam scite 120  
 scilicet, caelum, terras, ac mare comburas a conflagrante navicula.  
 Quum sic victo Nasone ferox, Maronem quoque lacesseres; et  
 quoniam is effinxerat demissam a Iove pluviam, quae flagrantem  
 Aeneae classem respergeret atque servaret, tu perditis iam atque  
 consumptis incendio navibus, imbrem e caelo copiose deplueres, 125  
 ne, velut aqua perennis e pumice scaturit, sic ignis ex aqua iugiter  
 eructatus, flammam eiacularetur in caelum. Haec ita quum tractares,  
 ipse casu tuum nactus librum (haud scio an etiam tum excusum  
 typis), quum tam immania portenta viderem, tam foeda, tam  
 pudenda mendacia, fictiones tam absurdas, purpureos aliorum 130  
 pannos, hinc atque inde insutos illi tuo crassissimo bardocucullo,  
 quibus ne locus non esset, habitum totum in eam compositum  
 formam, quam 'Non sani esse hominis non sanus iuret Horestes,'  
 uno atque altero epigrammate me significavi in narratione tua

#86. To G. Brixius

fidem rerum, in poemate desiderare consilium, tum plures abs te 135 #86. To G. Brixius  
 congestos, quam pro horrei tui modulo alieni farris acervos.  
 Eodem tempore Epigramma luseram in nostratem quendam,  
 qui ut parum tempestive, sic non admodum feliciter, affectabat  
 Gallicitatem. Quo in Epigrammate, si quid est mordacius, id in  
 ridiculum recidit affectatorem, non in Gallos; de quibus, ut 140  
 maxime torqueas Epigramma, non aliud excuties dictum, quam  
 quod heri sitis in ministros paulo duriusculi. Quod nec vos opinor,  
 admodum diffitemini, et ego sicut non insector in vobis, ita quum  
 sui cuique genti sint mores, in illo nostrate displicuit quod apud 145  
 nos praeter consuetudinem nostram, durius tractaret vestratem.  
 Haec ego quum illa tempestate scriberem, qua belli fremitu  
 flagrabant omnia, etiam si quid asperius mihi venisset in mentem,  
 non credidissem certe, nec tam iniquum quemquam, nec ipsum te  
 tam improbe faventem tibi, ut libris in nos debacchati; tamen  
 exigeretis a nobis, uti ne versiculo quidem vicissim tangeremini. 150  
 Quamobrem si ego prior in te scripsi, provocasse convincar; sin tu  
 prius in nos, quid habes quod isti tam inhonesto facto possis  
 honeste praetexere? Quum ipse librum epigrammate rependerim,  
 tu rursus epigramma iocosum retaliaris, mirum quam virulento  
 volumine? Ad haec, quum ego statim illa mea rebus nondum pacatis 155  
 luserim, tu nunc tot annis postea, in summa pace, artissima necessitudine  
 coniunctis Regibus, mira concordia conglutinatis populis,  
 post sancitam sanctissimis utrimque caerimoniis saluberrimam  
 -----, nunc exoriris denique, qui sopitas atque  
 oblitteratas simultates renoves, coalescentia divellas vulnera, et 160  
 obductas cicatrices refrices, qui nobis in os ingeras, foedas nostrorum  
 fugas, dispersas et obrutas classes, invidiam, foedifraga  
 periuria, quas res ipse foede confingis.  
 Atqui haec abs te omnia videri vis concinne fieri, quod me  
 strenuus videlicet nunc aggredieris, qui tecum sim olim aliquando 165  
 luctatus. At cui non perspicuum est, quam ridicule sit facturus  
 athleta, qui prodiens in palaestram, semelque universos provocans,  
 quum forte sit deiectus a quopiam, tandem soluto coitu dimissoque  
 ludo, aliquot post annis redeat denique, atque rebus animisque 170  
 omnium immutatis, et in quilibet potius quam eiusmodi certamina  
 versis, inopinus assiliens, antagonistam, quocum olim luctatus  
 est, de repente corripiat medium, provocatum etiamnum  
 sese clamitans, quasi vel provocet qui provocanti respondeat, vel  
 initum semel certamen duraret aeternum—quam ridicule sit,  
 inquam, eiusmodi facturus athleta, cui non est perspicuum, etiamsi 175  
 fors congressu fuerit superior? Quod si sic insiliens, quum huc atque  
 illuc verterit sese, brachiaque iactans ac tibias, alios eiectis pugnibus,  
 alios calcibus feriat, atque in his fortassis etiam prioris ludi agonothetas;  
 denique ubi diu frustra sese torserit, quum prosternere non  
 possit adversarium, ne frustra processisse videatur, in vultum 180  
 conspuat, crapulaque ac sanie totum ebrius eiecta stomacho convomat,  
 itaque gestiens, tamquam re praeclare gesta discedat, egregium  
 scilicet triumphum in ganeis ac popinis acturus; hiccine palaestrita  
 coronandus? an dignus potius fuerit, cui talos aliquis et crura  
 perfringat? 185

## #86. To G. Brixius

Iam quis non videt, Brixii, quam tu sis huic athletae similis?  
 quamquam hoc fortasse dissimilis, quod non athletico certamine  
 totam gentem nostram sed hostilibus provocasti conviciis; nisi  
 forte contendas periurium non habendum pro contumelia, quod  
 simile est, ac si disputes, asinum non habendum pro quadrupede. 190  
 Qua in provocatione, quum ego tecum uno atque altero telo, sed  
 exarmato, non tam dimicarem quam luderem, (nam is videbare  
 quem non esset operae pretium laedere), tamen nescio quo pacto  
 (ut facile penetratur pustula) tanto cum dolore ictum recepisti,  
 ut nunc demum tot elapsis annis, toties facta firmataque pace, 195  
 tam multis modis constabilita concordia, tam necessaria iunctis  
 affinitate Principibus (quae res una debuit inter utriusque populos  
 pristinas omnes simultates tollere) tu tamen, tamquam neque  
 prior provocasses, et adhuc duraret bellum, in me repente rursus  
 insurgas, et omnibus in amorem, amicitiam, societatem, ac iam 200  
 quoque hospitalitatem mutuam intentis, hostilibus armis invadas;  
 et telis non acutis admodum, sed (quod amplius est quam inter  
 homines, non omnino barbaros ac silvestres, belli iura permiserint)  
 impetas venenatis; non stupide minus quam improbe clamitans  
 interim, te prodire provocatum, tamquam responsurus esses ad ea, 205  
 quae nos in te dum tibi responderemus, inieciimus; quae certe  
 fuerunt eiusmodi, ut ea respondendo non possis, quantumlibet  
 sudaris, effugere. Quod quum verum esse sensisses, sic instituisti  
 libellum tuum, ut tuam defensionem timide, ac velut obiter attingens,  
 totus in me confodiendum convertereris; qua in re quum 210  
 quicquid tibi virium fuerit intenderis, quid aliud effecisti denique,  
 quam ut effutitis infacetis facetiis, evomito furiali veneno, me  
 tandem, quum non potuisti laedere, ne nihil egeris, perspuisti?  
 atque ita demum discessisti victor ac triumphator egregius? Verum  
 in me quam lepide dicax fueris mox videbimus. 215  
 Interea pensitemus isto tam operoso libello, in quo elaborando  
 plures perdidisti dies, quam liber habet versiculos, quanto cum  
 artificio quae tibi sunt obiecta dilueris. Ego igitur quum in te  
 taxassem alia furto surrepta veteribus, alia perabsurde tractata,  
 omnia denique sic abs te narrata, ut neque in rebus veritas esset, 220  
 neque in verbis fides, ad primum sic respondes, tamquam ego sim  
 criminatus, quod tui versiculi nimis redoleant antiquitatem, a quo  
 ego crimine (ne quid excusando te torqueas) facile te absolvo.  
 Nam quod idem crimen alibi rursus attingens obiter, rursus dissimulas  
 obiectum furtum, rursus velut obiectam aemulationem 225  
 defendis, ac non contentus si reprehensione careas, laudem etiam  
 ab re tam illaudata vendices, quod ita videlicet veteres aemulatus  
 sis, quod eorum assidue vestigiis inhaeris, quod Herculi denique  
 clavam e manibus eripueris, non potui, hercle, sine risu legere, e  
 facto tam pudendo tam magnifice vendicatam gloriam. Nam quum 230  
 omnia pessime sis imitatus, quum aliorum vel hemistichia vel  
 integros versus, uno interdum verbulo male commutato, interdum  
 ne commutato quidem, passim usurpes pro tuis, hoc non est,  
 opinor, aemulari, Brixii, sed contaminare, foedare, polluere; hoc  
 non est Herculi clavam vi eripere, sed repositam furto surripere. 235  
 Quamquam negare non possum quin hoc sit veterum inhaerere vestigiis.

## #86. To G. Brixius

Verum enimvero, Brixii, nimis inhaeres importune, quum  
 sic inhaeres vestigiis, ut eorum decutias calceos, quibus tuos pedes  
 haud quaquam aequales, obvestias. Nec tibi satis patrocini fuerit,  
 si quid tale de se dixit Vergilius, quale tu de temet iactas. (Neque  
 enim cuiusque est, Corynthus petere.) Ille de se dixit, quod  
 240  
 abunde praestitit; tu de te gloriaris in eo, quod praestare non sufficis,  
 nisi simile putes esse pereuntes Ennii versiculos Vergilii  
 poematis aeternum victuris inserere, et aeternos Vergilii versus  
 245  
 tuis infulcire pereuntibus. Illum aliorum carmina interclusisse  
 melioribus. Te splendidissima quaeque vetustiorum sordibus immiscuisse  
 tuis. Illum sic certare cum Graecis, ut ubique sese parem  
 probet, plerumque etiam superet. Te cum Latinis congressum non  
 hoc agere, ut aemuleris aut certes, sed ut ex insidiis aliquid auferas,  
 250  
 quod in tuam sup[er]ilectilem conferas integrum, si clam fore  
 furtum speres—alioqui, velut equi furtivi caudam atque auriculas  
 amputes, ut vel deformato possis uti potius quam careas. Qua in  
 re adeo te industrium praebes ac plane frugi furem, ut frequenter  
 ne vel hemistichio alieno contineas manum, si quod tibi videatur  
 255  
 eximie bellum, mire absurda commenta, fictiones ineptissimas,  
 quas locus aut res neque petit neque patitur, a caelo ad terras  
 usque, sed quae neque caelum (quod aiunt) neque terram attingant,  
 accersas. Quod si in explicanda pugna, si tempestate repraesentanda,  
 vel si quid aliud erit eiusmodi, Veterum quempiam  
 proponas aemulandum tibi; sic illius verba pleraque, sic versus  
 260  
 plerumque totos, in versus inculcas tuos; sic quicquid variaris,  
 immutas in deterius, ut si quis parteis conferat seorsum, hinc  
 nihil illi similis, hinc ille ipse videaris. Sin utrimque simul contempletur  
 totum, tum vero videri possit, ira quapiam Superiorum,  
 265  
 mira metamorphosi, pulcherrimus heros quispiam in ridiculum  
 commutatus simium.  
 Ergo quum obiecta tibi tua furta, ratione tam elegante, nempe  
 dissimulatione, diluisses, ad tam pudenda mendacia (quibus  
 Chordigera tua non aliter scatet quam cadaver vermibus) velut  
 270  
 Aiacis clipeum aut Palladis aegida, poetices opponis privilegium,  
 quo videlicet historica lege tradendae veritatis eximitur. At ego  
 profecto, Brixii, ut poeticen, augustam sane ac perquam liberam  
 divam, non adeo angustis limitibus obsepserim, quin ut verborum,  
 ita rerum quoque fingendarum detur licentia, modo sumpta  
 275  
 pudenter; ita plane non patiar, ut quidlibet impudenter ementiens,  
 idemque tractans absurde, totam rerum seriem atque adeo summam  
 invertat atque demutet. Quam si alioqui statueris, omnibus  
 prorsus Historiae legibus tam absolute liberam, ut et debellasse  
 cantitet, qui non conflixerint, et vicisse pronuntiet, qui victi sint,  
 280  
 hostesque fugasse, qui fugerint; iam non Didonis tantum miseranda  
 fata (quae tu profectis affers) irriserimus (quae nescio an  
 satis confutata, certe trahuntur in dubium non sat indubitatae  
 fidei auctoribus), verum etiam falsa esse bella omnia, falsa fictaque  
 coniugia, aut Aeneam certe a Turno, Turnum a Pallante superatum,  
 285  
 omnia denique contra gesta, quam sunt a Marone tradita,  
 crediderimus. De Vergilio videlicet accedentes tibi, de Homero  
 vero Dioni, homini tam infenso poeticae, ut totum Troianum bellum

contenderit, atque ipsam propemodum Troiam, figmentum  
 esse Homericum, idque obstinate contenderit, infinitis victus argumentis.  
 Quod non alio consilio fecisse videtur, quam ut id ipsum 290  
 infensus ageret, quod agis nunc ipse propitius; hoc tantum diversus,  
 quod quam rem ille studio conabatur, ut nemo poetas haberet  
 in pretio, hoc tu procures imprudens, non faber fabro invidens,  
 sed arti prorsus ipsi suam invidens gloriam, ipsique adeo tibi tuam,  
 si quantus haberi postulas, tantus vere vates esses, cui an non 295  
 praecipuam gratiam decusseris, si nemo sua facta dignabitur  
 poeticis versibus commendari memoriae? Nemo certe dignabitur,  
 qui mentem habeat, qui quidem habeat persuasum, habenda pro  
 fictis omnia, quaecumque Poeta cecinerit, idque eo fatente ipso  
 cecinit. 300

Ceterum hac in parte (ut vere tecum loquar ac libere) non  
 unus es, qui res nobiscum gestas a vobis, si non falso recenseas  
 (nam id dicere apud tam teneras aures religio est), at certe  
 nimi[r]um recenseas libere. Prodiit opusculum Pillei Turonensis  
 satis canoris versibus (nam reliqua libens praetereo, ne is quoque 305  
 se provocatum clamitet), cuius in libello tamen quisquis adverterit,  
 in re narranda, quam passim utatur Brixiana poetice, quam  
 honoratis titulis nostram exornet Angliam, quam venerandis  
 epithetis inclutas honestet Hispanias, is, opinor, certe iudicabit,  
 si quis Pilleum, aut Hispanus, aut Anglus, non tantum epigrammate 310  
 remorderet, nihil habiturum causae Pilleum, cur se quaeratur  
 lacessitum esse, quum prior laeserit. Quod si quis tam iniquus  
 esset usquam, ut contra sentiat, non dubitassem, vel ipse eam  
 subiisse calumniam, si liber olim mihi venisset in manus. Nunc  
 vero non est consilium antiquatis amicitia nova simultatibus tumultuari 315  
 de integro.

Quamobrem omisso libro, titulum tantum proponam, quum ut  
 ex ungue liceat aestimare leonem, tum ut si cui libeat legere, nomen  
 habeat saltem, quo vestiget librum. Is ita inscriptus est, *De Anglorum*  
*e Gallis fuga, et Hispanorum e Navarra expulsione*. Quis 320  
 non vel absque cribro divinet facile, cuius farinae reliquus siet  
 liber, quum istiusmodi furfuris legat titulum, qui cum reliquo  
 libra tam concinne concinit, quam ab historia tota discordat?  
 Nam quis non rideat, quod Anglos proelio iactat e Gallis esse  
 fugatos? Quos, opinor, satis constat (ut nihil amplius dicam) 325  
 certe non fugatos e Gallis; quod si fugatos sentit ab Aquitanis,  
 quomodo fugari poterant ab his, cum quibus nec eo ventum est,  
 ut liceret congregari? At istud multo adhuc magis insigniter est  
 ridiculum, quod Hispanos buccinet Navarrae possessione depulsos,  
 qui Navarram tum ingressi, perpetuo post possederint, hodieque 330  
 possideant. Sed donentur ista poetice, qua Pillei Musa, quod ad  
 fictiones attinet, ita belle refert tuam, ut nusquam terrarum sit,  
 simia simiae similior. Quin et is, opinor, hanc obtundet poeticen,  
 per quem haud ita pridem Parisiis excusus est fasciculus temporum,  
 vere comburendus fasciculus, ut in quem congesta sint li[n]gna 335  
 quaedam, quae, nisi noster Princeps tam bene sibi conscius esset,  
 ut se suaque facta non dubitet clarius latiusque testata, quam ut  
 sint obnoxia latratibus invidorum, potuissent aliquem fortassis

#86. To G. Brixius

ignem inter duos populos accendere. Nam ei libello cum alia  
quaedam nuper indita sunt seditiosa mendacia, tum coronis adiecta 340  
multo seditiosissima; qua legitur Princeps vester, iam ab hinc  
biennio fuisse moturus adversus Turchas, nisi ei fuisset infidelitas  
Regis Angli suspecta. Quis haec ferat, qui norit, neque de tali  
expeditione tum fuisse cogitatum vobis, neque quemquam aut  
minus fuisse suspectum Principi vestro quam nostrum, aut qui 345  
minus commiserit, quare suspectari debuerit? Iam quid illo scriptore  
vel dici vel fingi potuit impudentius, qui vestra lingua perscripsit  
Iacobum Scotorum Regem, interea dum Rex noster in  
armis esset in Gallia, Britanniam ingressum, rebus feliciter gestis,  
ingente cum gloria sese recepisse domum? nec reveritus est scriptor 350  
improbis, totius orbis conscientiam, qua satis superque cognitum  
omnibus sciret esse mortalibus, fusas fugatosque Scotos, ipsum  
Regem cum tota fere nobilitate peremptum, corpusque eius, quod  
moreretur Christianae communionis expers, insepultum, iubente  
Pontifice, tot annos asservatum. 355  
Haec atque alia quaedam eiusmodi, quum huc subinde proficiscantur  
istinc, tamen postquam tam alta pax coaluit, maluimus  
conticescere, patique potius ingestas in dies contumelias, quam cum  
aliqua animorum offensione regerere; simul sperantes fore ut  
Paulus Emilius, tam sanctus et incorruptus enarrator historiae, ut 360  
iureiurando putes obstrictum; tam elegans, ut nisi recentiora rescriberet  
videri possit haud infimus antiquorum, res utriusque  
populi (quas quidem inter se gessere) sincera fide sit aliquando  
traditurus posteris.  
At tuus liber, quando mihi iam tum in ipso rerum tumultu 365  
fuit oblatus, haud quaquam existimavi maioribus victimis expiandum  
piaculum, si librum eum, qui et tam acerbus esset et  
impudenter mendax, Epigrammate saltem per ludum iocumque  
perstringerem. Et tu tamen, qui (ut es undique mire facetus) ludis 370  
in dominationem meam, nisi qui te attigerim, me vicissim tangi  
paterer, quum totam gentem meam et conviciis improbis et mendaciis  
impudentibus prior exagitasses, tam indigne tulisti, vel ioco  
contra tangi sacrosanctam Maiestatem tuam, ut annos aliquot, in  
hoc unum totus perdius ac perniox incubueris, ut aliquando posses  
accurato volumine cum Epigrammate plusquam extemporali conflare. 375  
Qua in re quum duo tibi proposueris; primum ut tua  
defenderes, deinde ut invehereris in mea; alterum tam praeclare  
praestitisti, ut ex his, quae tibi obiecta sunt, alia dissimularis, alia  
non intellexeris; illud vero, quod maius erat quam ut praeterire,  
notius quam ut dissimulare, verius quam ut evitare potueris, 380  
tamen diffinitione declinasti commode, ut quicquid ego te mentitum  
argueram, tu non mentitum quidem te, sed finxisse contenderes.  
Quamobrem quum hoc congressu sentiam tam acutum esse te,  
ut Tenedia bipenni fictum a falso disseces, hoc est, ita temet 385  
erroneo mendacio explices, ut implices ultroneo, haud amplius  
tibi molestus fuero, quin hac sane parte perviceris; modo hoc unum  
inter nos conveniat, quod alioqui iuratis evincam testibus, qui abs  
te exusti adhuc supersunt tamen, tuasque fictiones arguunt atque  
derident—conveniat, inquam, excepto dumtaxat hoc uno, quod 390

#86. To G. Brixius

## #86. To G. Brixius

unum poteras uno clausisse versiculo, nempe quod duae naves  
 incensae sunt, cetera quae volumen tuum tanto decantat hiatu,  
 esse abs te ficta omnia. Nunc igitur a tuis castris ita reiectus, atque  
 depulsus, impellor ad mea tutanda refugere. In quibus horreo, ne  
 tam acrem hostem, tam indigne provocatum, tam capitaliter offensum, 395  
 tam recente victoria ferocientem, ab suis usque munitionibus  
 a me tam ignaviter oppugnatis, ab illo defensis tam fortiter, ad  
 mea usque castra me persequentem, quae ego tam effusa fuga  
 repetiverim, nequeam sustinere. Quod quo magis exhorream,  
 machinae illae tuae me commovent; quibus in me tam valide non 400  
 ista torques minutula, quae, quum conicerentur in te, ne declinare  
 quidem fere dignatus es, veterum compilatos versus canoris nugis  
 insertos, ingenii stuporem tenuibus verborum bracteis (per quas  
 pellucet totus) obductum, et (quod laudi quoque ducis tibi,  
 modo vocetur fictio) mendacissimam petulantiam; sed barbarismos 405  
 ac soloecismos, et non satis consistentes syllabas, res, bone  
 Deus, quam atroces, quam impias, quam (si cum illis conferantur)  
 immanes! Nam quae re obiectas ista sunt, ceterum verbis et conviciis  
 meris, stultum, insanum, furem vocas, idque plusquam  
 centies; sed ea convicia sunt Mopsopii sales tui, in hoc adhibiti, 410  
 ut insulsum per se libellum tali condimento reddas insulsiorem.  
 At syllabis illis et soloecis omnino me fortiter oppugnas, ac stringis.  
 Sed est adhuc, Brixii, quiddam, quo me constringis durius, verum  
 tu profecto praeter aequum ac bonum durior, qui non oppugnasse  
 contentus, postules praeterea quo me armorum genere defendam 415  
 ipse praescribere. Ita pro imperio iubes, ne quid ex his, quae tu  
 impingis mihi, reiciam in Frobenium. Qua in re vide quam sis  
 incivilis atque adeo iniustus etiam, qui quum scires opus impressum  
 esse Basileae, quum ipse morarer in Anglia, nec dubitare  
 possis, quin eo tempore fuerim occupator, quam ut mihi liceret, e 420  
 Londino Basileam, cotidie bis transcurrere, quicquid errati tamen  
 inveneris in opusculo, potius quam excusori quicquam imputes,  
 omnia impropere malis auctori.  
 Enimvero si legem, quam in me tulisti, ferre debes et ipse,  
 futurum non dubito, quin si quid tuorum posthac excudatur 425  
 uspiam, ubi tibi non sit accessus ad impressorum prelum, satis  
 in te nobis huiusmodi ministrabis telorum, qualia nunc in nos,  
 tamquam uno quoque plane tran[s]fixurus, intorques. Cuius rei  
 satis insigne documentum hic ipse quoque libellus exhibet, quo  
 mihi tam ferociter aliena impingis errata, ut interdum etiam impingas 430  
 tua, qui quum excuderetur assistente te, et subinde raptas  
 a prelo formas reformante, tamen absoluto volumine, si non  
 aut tute librarii lapsus emendasses, aut alius quispiam tuos, futurum  
 fuerat, ut errores neque pauciores, neque minus ferendos,  
 tuus haberet liber, quam quibus nunc insulse sic insultas in meo. 435  
 Quamquam ne nunc quidem ita repurgasti tuum, quin hinc atque  
 inde naevos aliquot quovis foediores polypo reliqueris.  
 At ego hac in re sic meam causam tutari possum, ut nec in  
 Frobenium quidem ullam culpam derivem, etiamsi ipse litteris  
 ad me datis, a suis cessatum operis fatetur, ac pollicetur sese diligentius 440  
 excusurum denuo. At ego certe quicquid esset, etiamsi

## #86. To G. Brixius

corrupta quaedam sine mea culpa videbam, illi tamen protinus  
 imputare non poteram, conscius exemplar a me nullum quod  
 sequeretur accepisse Frobenium, neque enim eorum ego carminum,  
 praeter ea quibus Regis auspicia veneratus sum, eaque quibus 445  
 in te luseram, vel edidi fere quicquam, vel edere adhuc decreveram.  
 Quod si vel amici mei, vel pueri sibi describere libellum,  
 aut apud me servatum neglegentius, aut apud quempiam fortasse,  
 cui non in hoc credideram, atque ita contigerit, ut quibus liber  
 arriserit, putarint evulgandum; neque miri quicquam est, si aliquid 450  
 mendarum substruxerit scriptor, aliquid astruxerit typographus  
 exemplari videlicet usus, et corrupto non nihil, et fortasse  
 perplexo; neque aequum ipse feceris, si vitio veritas mihi quicquid  
 alienus uspiam vel error vel incuria perverterit, atque ex aliena  
 imperitia, me condemnes inscitiae. Nisi protinus pronunties illitteratum, 455  
 et doctis prorsus omnibus explodendum, si quis indiligentius  
 occluserit litterarum suarum capsulas.  
 Quod si dubitari non potest, quin alienis mendis infectus sit liber,  
 utpote et excusus typis, et ante non ab uno transcriptus, haud  
 facile adducor, ut credam, quin et ipse me tacitus absolvas apud 460  
 te, de quibus apud alios tam aperta calumnia traducis; sin tibi  
 penitus insederit fixa atque offirmata sententia, quicquid inemendatum  
 reperisti, vitio prorsus id contigisse meo, quid aliud, quam  
 laterem lavem, si tibi me purgare contendero. Vide ergo, quam  
 civiliter agam tecum. Etenim quamquam (ut vides) possum apud 465  
 aequos optinere iudices, ut quae mihi impingis, eorum pleraque  
 deriventur in alios (nisi quae res nulli umquam libro contigit, nusquam  
 ut typographus, nusquam scriptor erraverit, id nunc demum  
 contigisse videatur meo). Tu quamquam in quibus, ut certissimis  
 exsultas maxime, in his te vel calumniari maxime, vel certe maxime 470  
 falli, certissimis mihi liceat argumentis evincere, partim productis  
 auctorum testimoniis, quibus erit perspicuum recta esse plurima  
 quae reprehendis, partim prolatis illis ipsis chartulis, quibus olim  
 edidimus pauca illa, quae diximus, quibus liquido constiterit,  
 aliter a me composita quaedam et edita, aliter post excusa 475  
 Frobenio; sive id exemplaris cuiusdam perplexitate contigit, sive  
 evenit incuria, sive a meo describenti libro, placuit scriptori quidpiam,  
 quod ipse interlito versu mutaveram—quis enim satis divinare  
 possit, quam multis casibus irrepit mendum, aut qua fortuna  
 propemodum omnibus obtingat auctoribus, ut vetustis etiam collatis 480  
 exemplaribus lectio nonnumquam variet?—Quamquam haec,  
 ut dixi, possum; ego tamen, Brixii, quandoquidem tu tam civiliter  
 temet in te tuendo gessisti, ut in eam rem nihil fere prorsus attuleris,  
 quod quidem ad rem pertineat, seu te ingenuus quidam sic  
 obstupescit pudor, ut non posses cogitata proloqui; seu festinatione 485  
 praepeditus es obiurgandi mei, statui tecum simili contra civilitate  
 contendere, et quod ad errata pertinet, huiusmodi defensionem  
 meam in praesente praetermittere, utpote quum erga te inutilem, cui  
 nullo posset umquam pacto satisfieri, tum erga ceteros omnes  
 minime necessariam, quorum ego neminem fore suspicor, cui tu 490  
 persuaseris ea mihi prorsus imputanda, quae taxas, sed Lector  
 aequus haud dubito quin quidvis potius comminiscatur ex sese,



quam ut me praesumat tam insigniter inscium, ut neque positionem  
in carmine, neque soloecismum in sermone cognoscam.

Quod si mei lapsus esse vincerentur maxime, tamen quando ipse 495  
librum non edidi (quae res manifestior est, quam ut liceat tergiversari  
vel tibi), quo iure possis obicere, si quid adhuc meditati  
subductum est atque vulgatum ei, qui dicere possit illud Ovidii,  
'Emendaturus, si licuisset, eram?' Quo mihi versu, si cuiquam alii, 500  
meritissime licet uti. Nam ego totum librum, praeter ea quae iam  
olim edideram; pressurus eram perpetuo, ut qui nec illa ipsa  
fueram editurus, nisi litteratoribus quam ipse sum, magis arrisissent  
quam mihi, cui nihil meorum umquam salsum visum est  
admodum, nisi quod nunc ex tua bile sentio aliquid habuisse salis, 505  
quo frictus es. Quod si librum aliquando publicare statuissem,  
certe quaedam immutassem, non quod errorem syllabae tam valde  
magni penderem, quam quod essent aliqua minus aliquanto severa  
quam vellem. In syllabis vero, si quid hallucinatus essem, quamquam  
non fuisset gravatus emendare, tamen in una fortassis et 510  
altera, non nimis anxie me torsissem, praesertim sicubi commode  
mutare sine sententiae damno non possem; quandoquidem non eos  
dumtaxat auctores, qui tanto te doctrina superant, quanta tu illos  
superbe despicias, verum vetustissimos quoque non usquequaque  
servasse reperio, eodem tenore semper easdem syllabas, qua ex re  
natus est nimirum acervus ille communium. 515  
Postremo vel eo minus haec me remordet cura, ne quis ea putet  
mea esse omnia, quae tu carpsisti, quod in his ipsis videam nonnihil  
eiusmodi, ut quamquam non sit meum, tamen pro meo me non  
puderet agnoscere. Neque quicquam dubito, quin cuique inter  
legendum succurrant exempla, quibus eorum pleraque, quae tu 520  
pro soloecismis in nos annotasti, reperiantur pure puteque Latina.  
Porro futurum denique, ut si quid reprehendisti rectius, id in me  
tamen certe non possis impingere, qui nec aderam castigationi, nec  
exemplar unde excuderetur exhibui, nec librum prorsus edidi.  
Contra vero, in quibus ipse aut deciperis aut calumniaris ultro, 525  
quae sunt haud dubie supra dimidium, temet ipse traduxeris, vel  
ignorantiae vel sycophantiae, utrobique certe insignis impudentiae,  
qui tam superbe, tam nulla causa, tam longo tibi expensa tempore,  
ad eum scribens, quem iam secunda provocas, atque ad inquirendum  
in te quoque arrogans, ac securus excites, tamen tam multa, 530  
quae recta sunt, vel imprudens per inscitiam, vel per invidiam  
prudens, reprehendas. At tu quum hunc ad modum strenue mea  
omnia velut uno deflavisti spiritu, de te securus, et meras efflans  
glorias; iubes ut excutiam vicissim tua, nimirum certus, ita tibi  
pulch[r]e instructa omnia, ut ne Momus quidem, vel syllabam 535  
possit invenire quam vellicet.

Ego profecto, Brixi, multo velim libentius eos libros excutere, e  
quibus aliquid excuti possit boni. Quamquam et hunc tuum, etiamsi  
nihil inde frugis vel exspectavi vel reperi, tamen quoniam in me  
scriptus est, eo legi studiosius, quod quae mutari conveniat, quae 540  
vel amicis interdum commendat amor, vel ne quod offendant,  
obtinent, ea plerumque solet inimicus iratus effundere. Itaque sic  
attentus legi, ut quo tu me vocas (nempe uti in syllabis excutiendis

#86. To G. Brixius

essem curiosus) eo nusquam respexerim; si quid vera inesset  
 rerum, id certe non indiligenter expenderim. Et tamen quantumvis  
 abhorream ab eo, ut otiosus occuper aucupio syllabarum,  
 certe monosyllaba, illa mens, quam in *Chordigera* desideraveram,  
 in *Antimoro* quoque sedulo quaesita, nec mihi tantum quaesita,  
 sed multis, adeo nusquam inventa est, ut libelli titulus, etiamsi  
 brevis, tamen videatur omnibus dimidio longior esse quam debet;  
 opusque tuum non *Antimoron* appellandum sed *Moron*; eoque  
 iustius, quo tu insulsius in meum nomen affectas haberi salsus,  
 quasi non in Hermolaum Barbarum fortuna dederit hoc scurrandi  
 genus, vel impense barbarus, et in Thomae Mori nomen Germano  
 Brixio, qui vere germaneque Mora sit, vere germaneque germanus.  
 Eum ego librum quum perquam attentus inspicerem, nihil aliud  
 vidi quam delira convicia; quae vel recte scripta reprehenderent,  
 vel mihi alienos lapsus obicerent, vel tuum caput recta repeterent.  
 Porro multa tam belle competebant in me, ut potius quadrare  
 videantur in quemlibet. Latratus audio plusquam caninos, sed  
 elatratos inaniter, morsus plusquam rabidos, sed qui temet unum  
 mordeant; virus plusquam vipereum, sed uni tibi noxium. Quae  
 quum sint eiusmodi, non miror admodum vereri te, ne forte non  
 sustineam legere, quae nemo certe durare queat; ut perlegat, nisi  
 haec omnia (qui Brixii lepor est) amoenis condulcarentur deliriis.  
 Quae mihi tam vehementer in Morico isto arrident *Antimoro*,  
 ut quum primum mihi dabitur otium, sim curaturus, ut accuratius  
 aliquanto quam nunc excusus est, excudatur denuo, fortassis et  
 illustretur commentariis; tantum abest, ut isti gloriae tuae invideam,  
 qua tibi factus videre Deus, si Mori dispuibile tibi nomen  
 exsibiles, ac venerabile nomen Brixii libro isto tam elimato, tam  
 erudito, tam lepido, tam festivo, tam sacro denique aeternae consecraris  
 infamiae. Cuius libri dotes admirandae, ne quid oscitantem  
 forte Lectorem lateant, nos exempli causa quasdam indicabimus,  
 ut his, veluti stimulis, excitatus, penitius in librum penetret; atque  
 advertat attentius, quam lepidi ioci, sales, deliciae, mel, et saccarum,  
 ac plane lacteum suadele flumen ex amne Gallo scaturiat.  
 Exordiar igitur, unde tu exorsus es, ab hendecasyllabis illis, quos  
 scripsisti Macrino. In quibus tamquam in operis frontispicio insignem  
 stuporis tui titulum praescripsisti. Nam quum initio Macrinum  
 Stentorem tibi fecisses Homericum, eundem etiam Nestorem,  
 olim poetam optimum, iam vero et oratorem derepente prodeuntem,  
 tam venustum, tam vehementem, ut sua Suada, cui tot carites,  
 tot lepores Venus afflaverat, ita quolibet tuum perpelleret animum,  
 ut illi reluctari non possis flagitanti, uti quam primum  
 exiret *Antimorus*, eoque ipsius auspiciis volumen emiseris, cuius  
 hortatibus non valuisti resistere; paulo post oblitus tui, negas eum  
 umquam flagitando atque orando extorquere potuisse, ut elephantis  
 ille praeclarus partus ederetur ante completum novennium.  
 Verum ne Venus inventi tui deperiret tibi, libellum tam venustum  
 suppressenti diutule, quando scommata, nisi statim retorta, non  
 habent gratiam, coactus es properare, et quo libellus adversus epigramma  
 posset subito paucis annis exire, necesse tibi fuit, singulis  
 fere biduis, singulos versus absolvere. In quibus quum ne tantulum

#86. To G. Brixius

545

550

555

560

565

570

575

580

585

590

quidem tibi suffragetur ingenium, ut vel primam paginam 595 #86. To G. Brixius  
 potueris eo tenore progredi, quin tibi statim tam insigniter excideres,  
 ac memoria lapsus, ipse sic pugnares tecum, ut quem tam  
 potentem oratorem feceras, qui te in suam sententiam impulerit,  
 eundem proximo fere versu diceres nihil persuasisse; cuius impulsu  
 librum te scripseras edere, quando videlicet non potuisti tam mellitae 600  
 suadelaē resistere, eum protinus affirmares, numquam tam  
 commode potuisse dicere, ut librum tibi possit elicere. Quum  
 igitur, quod dicebam, Bixi, in ipsis offendas foribus, et tam diu  
 limatis ac relimatis versibus, tam longo labore, non alia scribas  
 deliria, quam quae subito solent effutire moriones; quis non assentiat 605  
 illis versiculis, quibus lectorem tibi velut voluptatis illecebra  
 concilians, promittis ei parvo e carmine sedulo legenti magnam  
 demum voluptatem fore? Erit haud dubie, nisi quis adeo sit  
 agelastos, ut ne ad id quidem rideat, quo uno fere movent risum  
 hi, quibus natura negavit ingenium; nempe nihil ut dicant, quod 610  
 consistat secum, sed diversa omnia, atque pugnantia, tamquam  
 vigilantes somnient. Quamquam non dissimulabo esse quidem, qui  
 putent non esse stultum istud, sed nasutum, tamquam lepide  
 volueris irridere Macrinum: quem tam dulcem oratorem, tam  
 vehementem facias, ita denique tibi vim afferentem sua suaviloquentia, 615  
 ut quod unum tibi venusta illa Suada suadeat, persuadere  
 non possit. Ego certe non ita suspicor. Nam et is videtur Macrinus  
 esse, qui tuo sit amore dignior, quam quem ridere debeas; et  
 reliquus liber ad diversam longe virtutem propius, quam ad eiusmodi  
 vafritias accedit, eoque causa non erat cur arte sic laborares 620  
 tegere, quam diu tibi tuus liber haesit in manibus; nam ut scommatibus  
 gratiam deterit mora, sic istius generis omnia, tempus et  
 labor commendant admodum. Nam si quid dicas insigniter stolide,  
 id quo maiore conatu parturieris, eo pepereris gratius. 625  
 Quin mire facetum et illud, quod veritatem quoque tuis mendaciis  
 asseris iterato mendacio, dum rursus Herveum servantem  
 facis patriam, rursus victorem tua tuba buccinas, rursus nostras  
 rates agitantem vexantemque decantas, quae tam vera sunt omnia  
 quam tu. Iam vero probatio, quam affers, mirifica est. Ais enim ea  
 quae narras, Anglorum testata funeribus. Si aliorum funera 630  
 loqueris, quam qui in Regente perierunt, tam vera sunt illa funera,  
 quam vera fuit illa victoria; sin eos exprobras peremptos, quos  
 Regentis incendium absumpsit, non adeo stultus sum (quantumvis  
 tu me stultum voces) quin tuum istud acumen sentiam pistillo  
 quovis obtusius, quo sic nobis exprobras exustam navem, 635  
 quasi dum arderet nostra, vestra interim alserit, aut quasi eo victorem  
 probes Herveum, quod etiam prior arserit. Hoc Brixianum  
 acumen est. Haec est Brixiana victoria!  
 Sed operae pretium est videre, quanto cum artificio tractes eum  
 locum, in quo ego inter Principis nostri laudes commemoro 640  
 restitutam ab illo reformatamque rempublicam quorundam ante sceleribus,  
 avaritia, rapinis, delatione, calumniis deformatam. Ergo  
 quum statuisses nihil meorum relinquere ab ineptis intactum  
 calumniis, in hunc locum praecipue tumultuaris ineptissime. Hunc  
 miris merisque sycophantiis exagitas. In hunc praeclearas omneis 645

atque admirabileis effundis ingenii tui virulentias. Hic temerarius  
 tibi visus sum, qui rem tantam meis viribus tam longe imparem,  
 sim ausus aggredi. Quasi mihi Principis enarrandas laudes omneis  
 desumpserim, ac non potius, quod erga superos quoque citra culpam  
 pro suo quisque facit affectu, id ipse fecerim in venerandis 650  
 Principibus, ut tam felicia principatus auspicia, primo statim die  
 tam salutaria, quum idem certatim facerent omnes, ego quoque  
 pro mea virili qualicumque poteram carmine concelebrarem. Qua  
 in re, ut nihil dubito quin et uberius laudari potuissent a peritioribus,  
 et dignius a praestantioribus; ita neque meo satisfacisset officio, 655  
 quod fecissent alii; neque mea carmina cuiquam obstiterunt, quominus  
 et alii fecerint, et quibus facere libuisset, licuerit.  
 Denique quisquis iusserit a nullo nostrum laudari Principem,  
 nisi qui parem praestare sese tantae rerum moli possit, is admirationis  
 praetextu, Regis virtutibus invidet; quas, quum omnes praedicare 660  
 debent, omnes semel iubet conticescere. At hic Apellem  
 nobis (si superis placet) revocas ab inferis, quod quidem tibi facile  
 est, si, quemadmodum scribis, tam familiares habeas infernaleis  
 Furias; ipse tam egregius pictor interim, ut quum istud in primis  
 ei sit curandum, quisquis os cuiusquam pingendo velit exprimere, 665  
 uti eas parteis, eum respiciat situm, qui ita sit cuique proprius, ut  
 is repraesentatus faciem reddat maxime cognobilem; tu sic depingi  
 Regem postules, ut amabile decus reverendi vultus, idque adeo  
 tam rarum, ipsique suum, quoque uno maxime possit agnosci,  
 delere prorsus e pictura iubeas. Nam tibi caeco prorsus pictori 670  
 videor vel stipite plane stupidior, qui non praeviderim, eas fuisse  
 laudes omittendas, quas fere solas, vel publica causa vel sua Principem  
 referebat audire; utpote tales, quas (ut fateor) non fuisse  
 Brixiano more poeticas, qui nihil poeticum censet nisi fictum; ita  
 nemo fuit Anglorum, qui non suo bono senserit esse veras; nec 675  
 quisquam adeo sine sensu vivit, ut non sentiat esse vere regias, nisi  
 tu nobis aliud invenias magis regium, quam regnum ab omni  
 parte fatiscens reficere, prosperumque rursus ac felix reddere.  
 At nec praesentis honor Principis quicquam decessori detrahit,  
 cuius adversa valetudo fuit in causa, ne annis aliquot ante mortem 680  
 proximis vel publicis rebus posset vel domesticis sufficere, eoque  
 nec mirandum, nec ipsi certe imputandum, si quorundam perfidia,  
 quibus ille nimis credidit, sit labefactata respublica quam filius  
 eius fere collabentem feliciter exortus erexit, idque tam celeriter,  
 ut correptis coercitisque repente maleficis, quorum scelere calamitas 685  
 illata fuerat, omnia reformarit ilico, priusquam se pateretur  
 insigniri diademate. Nec sibi visus est, neque sana certe cuiquam  
 contumeliosus in patrem, quod illius valetudine aliorum malitia  
 labentem erigeret patriam, aut quod severe animadverteret in eos,  
 quorum perfidia in patriae perniciem fefellerat patrem; aut quum 690  
 quaedam etiam patris instituta, quamquam non incommoda  
 populo, maiore tamen commodo rescinderet, bonumque mutaret  
 in melius.  
 Et tibi videtur immanis impietas, si quod patris felicitati negavit  
 morbus, hoc filii statim regia virtus effecit, si patriae compilatores, 695  
 deceptores patris, eversores legum, in patriae bonum, in legum

robur, in patris honorem coercuit; aut si quid denique prudentissimo  
 patre prudentior filius, in administranda republica vidit acutius?  
 Quae quum Princeps ageret non ad praesentem tantum rerum  
 statum feliciter, verum in futurum quoque tam salutare sanciret 700  
 exemplum, ut facile declararet sese, principalium esse artium omnium  
 Principem, non fuissem profecto deterritus, quo minus ea  
 laudassem, etiamsi culpa quaequam recidisset in patrem.  
 Nec a nobis umquam tantum patris impetrasset pudor, ut eius  
 facti laudem surriperet filio, quo facto nullo umquam saeculo princeps 705  
 ullus quicquam fecit laudatius, aut quod magis publicae interesset  
 rei, commendari memoriae. Nec fortunae umquam tribuissem  
 tantum, ac ne naturae quidem, uti vanum alterutrius fulgorem,  
 tam inclutae virtutis verae praeferrem gloriae. Quibus enim parentibus  
 nascamur, illis in manu est. Virtus una vere commendat 710  
 bonos.  
 'Nam genus et proavos, et quae non fecimus ipsi,  
 Vix ea nostra voco.'  
 Qua Nasonis sententia, neque Maro quicquam, neque Homerus,  
 quos opponis mihi, aut verius umquam dixit, aut salubrius. Quorum 715  
 etiamsi utrumque valde suspicio, numquam tamen hactenus apud  
 me valebunt, ut ambobus hac in parte tribuam, quantum uni tribuam  
 Platoni; qui optabile quidem censet, quantaque potest cautione  
 curandum, ut filii nascentur honestis parentibus, quod velut 720  
 seminarium quoddam indolis atque virtutis indatur occulte nascentibus,  
 et tamen, ut fortunatiores aliquanto censet, bonos  
 prognatos bonis, ita multo laudatiorem iudicat mali patris bonum  
 filium, idque adeo merito. Nam si sit eo turpior quo magis claro  
 patre degeneret, an non vicissim convenit, eo plus cuique laudis 725  
 esse, quo magis in diversum tractus improbi parentis exemplo, sua  
 ipse virtute benefactisque claruerit? Haec igitur quum senserit,  
 haud dubie non alium poetam exturbare sua debuit urbe Plato,  
 quam tui palponem similem; qui vel a fortunae iubes, vel a  
 naturae commodis adulari principibus, a virtute laudare non sustines; 730  
 quae, vel cum dispendio popularis aurae laudanda sit, et  
 contra vulgi receptos sensus, cui fere placent pessima, mellitis  
 numeris essent opiniones bonae sensim inferendae pectoribus.  
 Quamobrem, ego quod dixi, etiam si qua culpae pars haesisset  
 in patre, non reticuissem tamen filii laudes, quae tum fuissent 735  
 eo certe ipso cumulatiores, quod paternum errorem emendare  
 potius quam imitari delegisset; atque id ita fecissem, rationi uni  
 parens atque obtemperans, etiamsi poetas omneis, si vulgus universum  
 sentirem longe sentire diversa; tantum abest, ut nunc ea non  
 obticuisse paeniteat, quorum reprehensio ad eos pertinet, qui patris 740  
 fide ad suum quaestum et malum publicum sunt abusi; gloria  
 vero et immensa et aeterna pertingit ad filium, qui tam celeriter  
 affectis poena nocentibus, ac restituta republica, patrem simul et  
 patriam pius in utrumque vindicavit. At tu laudator egregius, quae  
 potissima regiae laudis portio sit, quam et privatim et publice, 745  
 velut omnium laudum principem, et ei Principi in primis propriam,  
 totus agnoscit populus, quae adeo patri nihil detrahit,  
 ut praecipuum ei decus adiciat, quod pater sit eius Principis, qui

#86. To G. Brixius

## #86. To G. Brixius

regnum vere regiis administret artibus, eam censoria virgula iubes  
 expungi, non ob aliud, opinor, quam quod vera sit; adeo nihil tibi  
 placet, nisi poeticum tuum, ex ficto falsoque conflatum totum. 750  
 Nam poesis tua, (testante temet), 'Id si sustuleris, nulla poesis erit.'  
 At Princeps quum ea faceret, non in tenebris occulte, quasi  
 benefacti puderet, sed in clarissima luce, in oculis tractaret omnium,  
 in privatis, publicis iudiciis, in com[m]itiis, in amplissimo 755  
 totius regni conventu, cum plebe, cum proceribus, quum omnis  
 aetas, ordo, sexus, rem tam illustrem videret, tam salubrem sentiret,  
 tam egregiam laudibus in caelum veheret; ego videlicet,  
 quod potissimum praedicare debebam, solum solus omitterem, ut  
 quod nunc dictum incessit Brixius, id in dictum riderent etiam  
 pueri, quibus ipsis vel stupidissimus, si non sensissem; vel improbissimus, 760  
 si non probassem; vel invidissimus, si non laudassem,  
 merito videri poteram. Et tamen hunc locum tu nescio ineptius  
 exagites, an invidiosius; adeo caeco praeceps impetu, ut te non  
 sentias inscitiae propemodum notare Principem nostrum; atque  
 adeo, quum ei parem facias, paris inscitiae notare etiam tuum. 765  
 Nec interea tamen (quod tibi certe perpetuum est) quicquam  
 consistis tecum. Nam primum ita curam ei tribuis Camoenae  
 Latiae, ut tamen leges ignoret carminis; mox adeo facis inscium,  
 ut ne quid verba quidem sibi velint sciat, et tamen tuum Regem  
 cum eo copulas, ut ex aequo sint, 770  
 'Ambo Cecropiae numine plena deae.'  
 Numnam haec pulchre cohaerent? Sed non est istud novum, ut  
 altero quoque versu excidas tibi. At me condum laudatorem vocas,  
 et parcum, ipse laudator ad eo non profusus, ut eam laudem, quam  
 Vergilius tribuit pastoribus, tu quum velles applicare Principibus, 775  
 aliquid tamen tamquam nimis sumptuosa foret abraseris, atque  
 in deterius, quod semper imitando soles, immutaris. Nam quum  
 illius versus sic habeat in pastores duos, 'ambo florentes aetatibus,'  
 tuus habet in duos Reges, 'ambo pares aetate': atque ita Vergilius  
 in illis exprimit aetatis florem, tua laudatio quum his aptetur Principibus, 780  
 qui vere florent aetate, tamen sic est anceps, ut duobus  
 possit convenire decrepitis ac silicerni[i]s senibus.  
 Porro, quam de virtute quoque subiungis, non admodum prodiga  
 laus; quandoquidem ita virtutem utrique tribuis, ut tibi 785  
 relinquo liberum, utrique simul ac libeat adimere. Nam quum  
 pronuntias 'pares virtutibus ambos,' neutri tamen affirmas inesse,  
 sunt enim pares (si nescis) tam qui pariter carent, quam qui  
 pariter habent. Nec tamen istud eo dico, quod in eam partem te  
 sensisse censeam; sed ut ostendam, si quis ad eum modum tuas  
 excutiat laudationes, quo tu calumniaris meas, quam facile locus 790  
 reperiatur obnoxius. Nec ego tamen huc Apelles atque Alexandros  
 evoco, non Cherilos, pugnos, exilia, neque taleis tibi moveo tragoedias,  
 quales tu mihi cies. Quod si et res minus esset illustris, et  
 Princeps noster tam esset inscius, quam tu eum facis, in quantum  
 fors periculi coniecisses me, quum vix fieri possit, ut qui versatur 795  
 in publicis negotiis, non aliquem habeat aliquando, qui libenter  
 optet calumniari, si vel res pateretur, vel ignoratione Principis  
 liceret abuti; praesertim si qui sint, qui rursus cupiant rerum

statum in deterius trahi, ut quem nunc aegre ferant magis in  
 summam prosperare publice, quam seorsum sibi! Verum hi, si 800  
 qui sint huiusmodi, sic rem viderunt ipsi non clanculariis machinis,  
 sed actam et tractatam publicitus, sic in suis artibus sentiunt praestare  
 Principem, qui iterum atque iterum prorepentes viperas, ac  
 velut post hiemem novo sole apricantes sese, et calumniae vetus  
 virus denuo temptantes effundere, denuo retudit, compressit, elisit, 805  
 ut facile sentiant noxiis votis suis nullam relictam spem.  
 At tu quum istiusmodi scribas, Brixi, quae sint non absurda  
 modo atque inepta, verum scelestas quoque, et (quoad per te fieri  
 potest) perniciose, tamen Deloinum, Budeum, Lascarem, viros  
 litterarum et virtutis gratia toti commendatos orbi (quorum nominibus 810  
 maior debebatur honor, quam ut libello contaminares istiusmodi,  
 tamquam gemmas collocares in luto) nominas; eosque tecum  
 velut in parteis attrahis, quos et castigatores praedicas, et consultores  
 adhibitos inconsultissimis consiliis. At ego, quamquam de  
 syllabis illis ac soloecismis, quos obiectas mihi, non possum spondere 815  
 quod sentiant, quorum, ubi me audierint, nec in illis quidem  
 detrectabo iudicium; certe taleis esse eos persuasum habeo, et  
 philosophicae rei scientia, et rerum prudentia publicarum, ut si  
 tu cuiusquam eorum calculum hac sane parte possis extundere,  
 quo se (quod ad regias laudes attinet) sentire testetur tecum, ego 820  
 tibi et in reliquis concedam omnibus, et laudem ultro deferam,  
 qui nunc aliud suspicari non possum, quam quod videtur omnibus,  
 illas inferni Furias (quas scribenti tibi fateris adfuisse) tale tibi  
 inspirasse consilium, quod, seu furorem spectes seu virulentiam,  
 haud obscure Tartaream refert originem. At aliquando tandem, 825  
 velut per antrum Trophonium emergens ab inferis, exhilaratus,  
 in iocum solveris, et risu canis irritati, meam subsannas epistolam,  
 qua libelli dilationem confero in pictorem, cuius podagra fecerat,  
 uti serius aliquanto, quam statueram, veniret ad Regem. Haec  
 tibi causa non placet; homo superstitiose poeticus ferre non potest, 830  
 ut dicantur vera; et civilitate plusquam aulica deridet, si quis  
 apud Principem de re nihil obscena, verbis utatur iisdem, quibus  
 utitur populus. Quis ita ridentem non rideat?  
 Porro quid illud sibi scomma velit, non intellego; videtur enim  
 sapere nescio quid salis reconditi, quo significas meis officere 835  
 studiis curam rei domesticae; quo dicto nescio an tuis arte vendices  
 praerogativam, quasi tibi nulla sit domus, sed liber et expers curarum  
 alienas paropsides velut parasitus obambules; eoque necesse  
 sit tuum poema praecellere, quod otium et cibus excolat alienus.  
 Ego certe de te sentiebam honestius, hodieque sentio; quamquam 840  
 libellus tuus (ut vere dicam) et Pyrgopolinicen refert et Artotrogon.  
 Neque video quid ad rem pertineat exprobrare mihi, quod  
 habeam domum, nisi tu domum non habeas. Nam alioqui iocus  
 ille festivus, et (ut Plautinus ait parasitus) dictum de dictis melioribus  
 in te recideret. Certe quemadmodum te persuadeo mihi non 845  
 esse plane parasitum (quantumvis istud liber prae se ferat tuus),  
 ita vere te suspicor Cynicae Sectae philosophum, non a latratu  
 tantum, verum etiam quod ubique te video ad divitias ludere  
 ubique ad mendicitatem, ubique ad famem applaudere. Nam ita

#86. To G. Brixius

ludis in liberos meos, ut eorum describas miseriam si tantum versus meos haereditate, ac non etiam numos essent habituri; quasi tui sint futuri solis paternis versibus felices. At ego liberis tuis, si quos aut habes aut habiturus es umquam, longe laqueos, longe mendicitatem deprecor, quae mala tu facete scilicet ominaris meis;	850	#86. To G. Brixius
atque ex animo precor, ut uberius eis affulgeat alicunde fortuna, quam ex versiculis tuis, quorum ego neminem esse usquam tam insanum censeo, qui trecenta milia redimat teruncio; quae quidem huius generis sint cuius effutivisti hactenus.	855	
Eiusdem salis et illud est, quod lupo temet assimilas famelico tamquam, nisi mea bono Reges duo sanxissent pacem, me miserum agnellum semel devorasses integrum nunc vero nefas ducis facta pace, litigare, eoque libellum istum nunc demum edidisti blandulum.	860	
Sed illud demum divinum fuit inventum, quod Diras omneis, ac bellas illas Carit[at]es, inferorum Furias tam formosulas amiculas affinxisti tibi, quibuscum lusites atque otium oblectes tuum, imitatus videlicet quosdam non imperite ridiculos, qui quum esse sibi quaedam vel corpore deformia, vel moribus foeda sentiant, quae vel obnoxia dicteriis sint vel criminationibus, homines scurrandi sollertes in sua vitia ludunt ipsi, ut quando evitare non possit opprobrium, ansam saltem carpendi praeripiant	865	
aemulis, ipsique potius de se triumphum ducant. Ita quum tu videres. <i>Antimoron</i> tuam, non <i>Moriam</i> modo, sed <i>Maniam</i> quoque spirare, quando nemini futurum videbas ambiguum, unde sit ille furor emissus, maluisti in tuas furias ipse praeludere, quasi eas ultro sese offerentes tibi, amico videlicet tam necessario	870	
et iuratissimo mystae, fueris emissurus in me.	875	
Illud, opinor, nemo leget umquam, qui non insignem ingenii tui notam iudicabit, et plane. Brixianam facetiam, quod quum te dignis versibus, ad tuam ipsius me pinxisses effigiem, veritus ne non dum satis expressisses te, 'rabulam' annotasti in margine quod talem me diceres esse in patria. Ego, Brixii, qualis domi sim non dico, ne similis tibi sim; cuius gloriam, sive quam ipse tibi tribuis, non mereor, sive quam tribuunt alii, non affecto. Tu vero qualis domi sis, effecisti tandem foris ut cognosci possis. Quem (quum te videri velis a secretis esse Reginae) non pudet eiusmodi	880	
rabia rabire in Consiliarium Regis, qua nec in rabulam quidem quisquam rabit nisi rabula.	885	
Et tu quum hunc in modum toto te libello gesseris, operae pretium est videre, quomodo sumpta scilicet auguriis persona, divines fore, ut me pro hoc tam amico in me officio sis habiturus	890	
inimicum, cuius tu pudendos lapsus, pia cura, tollas in auctoris honorem, relaturus tamen ab ingrato malam gratiam; atque ita tractas istud admirabile atque ex intimis rhetorices penetralibus depromptum schema, ut fere contionantis quoque personam induas, et iniecta frequentius mentione Christiani, atque identidem	895	
peccatoris nomen inculcans, tamquam animae res agatur, propemodum soloecismorum velis agam paenitentiam, quod appropinquet (credo) regnum caelorum.		
Ego certe, Brixii, tuum illud augurium de me non dubitabo fallere; qui numquam tibi statui inimicus esse. Nec usque adeo	900	



## #86. To G. Brixius

sum inhumanus, ut tam amicum in me officium non agnoscam  
 hominis tam officiosi in famam meam, ut editis atque excusis in  
 me famosis libellis, aliena errata pro meis mihi insusurret in aurem;  
 tam indulgentis in honorem meum, ut potius quam me non impetat  
 falsis calumniis, suum ipse nomen veris inhonestet opprob[r]iis, 905  
 tam propensi in salutem meam, ut Principem meum vel  
 impietatis insimulet vel inscitiae, ni me prorsus exterminet. Nec  
 usque adeo sum stupidus, ut non sentiam quanto pretio redimendus  
 sit eius viri favor, qui sit tam prudens, ut altero quoque versu  
 obliviscatur sui, tamquam Lethaeum poculum interbiberit; tam 910  
 generosa palma, ut non erigat modo se adversus maledicta aliorum,  
 verum ipse quoque sese oneret suis. Tam fortis et invictus pugil,  
 ut Herculi surrepta clava, perpetuo pugnet secum. Tam oculatus  
 ac lynceus, ut non videat sua in se redire scommata; tam urbanus,  
 ut insanum, stultum, furiosum, canem, rabulam, habeat in facetiis; 915  
 tam placabilis ac tranquillae indolis, ut fidefragos, perfidos, et  
 periuros inclamans, tamen abstineat conviciis; tantus assertor  
 poetices, ut eam contemni postulet, praemonens ne quis ambiat  
 ab ea laudari, quae sibi vetat credi. Tam vehemens orator, ut defendat  
 eum provocare, qui responderit, provocatum vero, qui prior 920  
 laesent. Tam pulchre olivam mediis gerens in armis, ut in media  
 pace de bello litiget. Tam aequus ut insaniat, quod ipsius liber vere  
 sit taxatus mendacii ab illo, cuius totam gentem eodem libro  
 falsus insimularat ante periurii. Tam fructuosus Encomiastes, ut  
 Principes a corporis dotibus laudari postulet a fortunae muneribus 925  
 ferat, a virtute non sinat, nisi si quid dicatur in genere sic  
 ut dici possit in quemlibet, si quid vero factum sit eiusmodi, ut  
 id viri, mulieres, pueri; lapides prope collaudent, eius rei Pythagoricum  
 indicat silentium. Tantus Apelles, ut (nisi tabula eius  
 cum favore spectetur) duos videatur Principes ex eadem propemodum 930  
 denigrare fidelia. Tam anxie Christianus, ut nisi mihi  
 duo Reges ab illo (precibus, opinor) impetrassent veniam, numquam  
 potuisset obtinere Christus, quin acerbe olim debacchatus  
 in nos, quoniam uno sit repercussus verbulo, me misellum agniculum  
 homo plus ullo lupo famelicus totum deglutiret. Tam 935  
 lepidus denique, tam festivus, tam sollers, et undique tam consummatae  
 sapientiae, ut sibi ipse familiareis esse fateatur infernaleis  
 Furias.  
 Eas ergo quum habeas, Brixii, domesticas, ut sis fortassis ambiendus  
 aliis, sicubi sint, quibus cum eiusmodi sodalibus libeat ludere, 940  
 ego te profecto nec inimicum horreo, nec amicum expeto. Nam  
 hostem tuum nihil timendum est, ne (quod tu minaris) umquam  
 invadant Furiae, nempe trabalibus clavis artius ferruminatae tibi  
 quam ut a tam caro capite queant avelli quoquam. Amicis vero  
 ac familiaribus eiusmodi pestis possit nocere contagium. Contra, 945  
 inimicus ipse tibi non ero, neque enim eum odisse possum, cuius  
 sic obsessi misereor, immo adamarem certe, ni vererer, ne me  
 redamares mutuo, ut qui frequenter audierim, quam sit molestus  
 ac noxius amor eiusmodi spectrorum.  
 Proinde quoad licet, erga te sic neutro memet affectu geram, 950  
 ut nec dignaturus umquam sim albusne sis an ater inquirere. Quamquam

nec opus est istud inquirere; tam atrum enim tuum te  
 atramentum reddidit, quam carbo est. Tantum ne tam grati officii  
 prorsus oblitus videar, quo meorum versuum mendas annotasti  
 sedulo, nec eas cuiusquam pateris errores haberi quam meos, Diris 955  
 interim tute ac Furiis (si vera fateris) obnoxius, utrique nostrum  
 supplex quod sit salubre comprecor; uti superi mihi tibi que tam  
 propitii sint, amborum vitia ut corrigant, ac mihi soloecam orationem  
 castigant, tibi perpurgent soloecismos ingenii; mihi barbara  
 verba velint e sermone tollere, tibi barbaros istos mores e 960  
 pectore; denique benigni largiantur et mihi sanos pedes in carmine,  
 et tibi sanum caput in corpore.

#86. To G. Brixius

87. To Erasmus  
 <Greenwich?>  
 <March-April 1520>

THOMAS MORUS D. ERASMO ROTEROD., VIRO OPTIMO ATQUE  
 DOCTISS., S. P.

ECQUID vidisti umquam, Erasme optime atque doctissime, suaviorem  
 quemquam quam sit hic noster Brixius? qui simulatque ipsi quicquam  
 dissimulare libet, reliquos idem mortales omnes satis [c]elatum  
 putat. Nam quando homo quantumvis stupidus non sentire non  
 potuit quam esset absurdum, odiosum, infame, sine causa quemquam 5  
 iurgiis et conviciis impetere; iterum atque iterum narrat, infigit,  
 inculcat, epigrammatibus meis provocatum se defendentis tantum  
 partes obtinere, ut diris et execrationibus impetitus, non nisi iocis  
 contra, salibus et facetiis repetat adversarium. Ceterum de petulantia,  
 mendaciis, probris, quibus omnem prius provocarat Angliam, 10  
 verbum interim nullum; ut nec de eo quidem, quod quae simultas  
 olim inter nos agitata fuit in mediis belli tumultibus, eam ille iam  
 olim mortuam nunc demum in summa pace redintegrat. Et sic agit  
 homo Phormiana confidentia, ut quum suam causam facile sentire  
 possit nulli non esse damnatam, qui quidem rem pernorit, tamen 15  
 velut eam bene ac dilucide quibus oportuit iudicibus approbasset, iam  
 suo iure scilicet quidvis debacchetur in me, et totam pectoris sui  
 sentinani lepidus et facetus exhauriat: qui postquam unum atque  
 alterum epigramma scriptum ioco statuit habendum esse pro diris,  
 tamquam dixisse modo foret omnibus prorsus persuasisse, simul persuasit 20  
 sibi rem se plausibilem facturum, si paucos versus et adversus  
 petulantissimum eius libellum et in bellico tumultu ludentes olim,  
 nunc denique tot annis post factam ac firmatam pacem, in quanta  
 numquam fuit ullorum populorum concordia, libro virulentissimo  
 rependeret; sperans videlicet neque tam occulatum fore quemquam ut 25  
 id posset cernere ad quod ipsi libet conivere, neque tam importune  
 saeverum iudicem ut aliud exigat probamentum quam narrantem  
 Brixium, praesertim suae causae aequitatem tanta cum fiducia  
 iactantem.

At mihi certe visus esset aliquanto minus impudens, si has ad 30  
 populum tantum phaleras exposuisset; in quo reperire potuisset aliquos

quibus res adhuc esset incognita, multos quibus alteruter nostrum,  
 quosdam quibus vel inique placent rixae: ac non hoc pacto  
 bos eiusmodi sese iactaret ephippiis apud te, qui non tantum proram  
 puppimque certaminis (nisi non legisti Chordigeram; nam cetera, 35  
 legisse te scio) verum etiam certatores ipsos intus, quod aiunt, et in  
 cute nosti; tum cui sciat eiusmodi rixas, etiamsi quae iusta sint exortae  
 causa, tamen pro tui ingenii candore atque humanitate odiosas  
 invisasque esse, nedum hanc illius ineptissimam, iniustissimam,  
 inhumanissimam, et quam abs te vidisset epistola ad se missa velut 40  
 praeiudicio damnatam, adiectis etiam tuae sententiae causis: altera in  
 honorem utriusque civiliter magis excogitata quam vere, quasi nos  
 essemus hi quos litterarum intersit concordēs esse; altera certe iustissima,  
 quod quae olim flagrante lusimus bello, ea nunc facta pace  
 conveniat oblitterari. Ex his causis illam quae civilior erat quam 45  
 verior, quamquam de me contemptius admittit, de se tamen candidus  
 atque modestus agnoscit: alteram illam quae tam vera fuit ut negari  
 non posset, dissimulanter praeteriit, ac rursus ob oculos fundit provocationis  
 pulverem, qua se lacessitum a nobis et prius praedicat et  
 hostiliter. 50

Et profecto si Brixius, ut totus est in metaphoris comicis, ab epigrammate  
 meo velut ab epitasi iubeat hanc auspicari fabulam, negare  
 non possum quin ipse provocaverim. Sin communi more patietur  
 addi suo loco protasim, non erit, opinor, ambiguum quod nihil habeat,  
 comicum illius turbulenta catastrophe. Nam primum quis non admiretur 55  
 insignem impudentiam toties oclamantis prius lacessitum  
 se, quum sciat interim suam passim prostate Chordigeram? quam  
 non fuissem prosecutus epigrammate, nisi nostram gentem totam  
 mendacibus impetisset conviciis. Qua in re quid comminisci potest 60  
 quod isti praetendat calumniae? an quod epigrammata mea praecesserint  
 eius libellum, quum non ad aliud quam ad eius libelli ludant  
 inscitiam, furta, mendacia? Aut, ut est acutus rhetorculus, contendet  
 in Chordigera nihil esse convicii? At idem quantumvis impudens  
 non negabit in primo limine Chordigerae nos foedifragos vocare se,  
 et petulanter appellare periuros. Et tamen audet praefari olivam 65  
 sese mediis in armis gessisse, homo nimirum sic affectus erga mendacia  
 ut periurium quoque et foedifragium habeat in blanditiis. An  
 nihil ad me pertinuisse censet, mendaciis et calumniis ab illo lacessitam  
 patriam, quod ipse non attingar nominatim? nam id videtur innuere:  
 quasi non hac ratione, atque adeo eadem praeclara [o]ratione, 70  
 latroni liceat in ius vocare viatorem, a quo sit fortasse repulsus inclementius,  
 quod non illum impeteret sed insidias temptaret pecuniae.  
 At fortassis etiamsi non in illum prius, saltem scripsi acerbius:  
 est enim et in ulciscendo modus. At ego ‘Polyphemi barbariem imitatus  
 prae stomachi rabie Brixium, alterum videlicet Ulysses, diris 75  
 et execrationibus insectatus sum’. Ita sane disputat, nihil habens  
 pensi quam falso. Nam eo solatur se, quod sperat fore multos quibus,  
 quum rem totam non didicerint, ista facile persuaserit, atque ita  
 sine pugna vicerit: apud te vero et si qui sint conscii, satis habet si  
 consequatur id laudis genus, ‘Ni causam nossem, putarem vera hunc 80  
 loqui’. At ego aut veritate me tuebor, aut vinci potius volo quam  
 iudicis ignoratione vincere. Quamobrem non imitabor hac sane parte

Brixium, qui versus meos in Abyngdonium (quos per iocum effutiveram  
ut cuiusdam asininas auriculas demulcerem, quod ei nihil  
placeret absque consonantiis rhythmicis) in extremo limite insanae 85  
Sylvae suae collocavit, adeptis duobus epigrammatis meis in idem  
argumentum, quibus illorum iocus versuum aperiebatur. Qua re  
nihil efficere potuit magis sycophanticum. At ego certe contra faciam.  
Nam et Chordigeram curabimus excudendam, et Epigrammata nostra  
subiungemus. Quin adiciemus et Sylvam eius, ne quid causetur 90  
ademptum; atque hoc pacto spero me facturum ne sit arduum atque  
acclive litteratis omnibus iudicare an tam bonam habeat causam quam  
habere se iactat atque gloriatur Brixius.  
Nam quum nos periuros appellasset ac foedifragos, quum totam rei  
seriem in suorum gratiam ac nostrum probrum, ut ipse voeat, fictionibus, 95  
ut res vere habet, impudentibus invertisset mendaciis, eademque  
omnia tam absurde tractasset ut nihil umquam quisquam tractarit  
absurdus, ita versibus obvestivisset alienis, ut Valeriae Probae te  
putares legere centonas, nisi quod eos illa concinne coaptavit, Brixius  
ita consarcinarat inepte ut commissura tamquam cicatricosum vulnus 100  
exstet in nodum, aut velut arida siti tellus hiulcet; ego non aliud  
illis epigrammatis, quibus se queritur tam capitaliter offensum, quam  
in ea quae dixi vitia lusi, et certe nihil, opinor, acerbe: eoque vehementer  
admiror in quo meorum Epigrammatum reperiat illas diras  
atque execrationes, quas homo lepidus, ut iactat, convertit in iocos. 105  
An illud execrationes appellat ac diras, quod in uno meorum Epigrammatum,  
per iocum excusans eius mendacia, quasi nemo redierit  
e Chordigera domum, qui rem ut erat gesta doceret eum, adieci  
dignum fuisse Brixium qui fuisset in ipsa nave, ut suis oculis rem  
videret quam esset scripturus: ne ad eum modum tam turpiter 110  
mentiri cogeretur; et falsa pro veris commendare memoriae? Extra  
hoc unum certus sum nihil umquam reperturum Brixium, in quod  
possit tendere ullam vel dirarum vel execrationis calumniam.  
Quamquam in hoc ipso aut calumniatur egregie, aut certe quid  
execratio, quid dirae significant, egregie sese declarat inscium. Erit 115  
fortasse qui mordaculum putet (et tamen idem si Brixii expenderit  
parum Chordigeram, spero non difficulter ignoscet): execrationes aut  
diras haud sane quisquam erit qui vocet, qui quidem Latine sciet;  
utpote ad quas nec illud quidem Martialis nostro tam longe mordacius  
accedit in Theodorum vatem, Brixio vati fortasse non absimilem: 120  
de quo poeta magnum fuisse facinus ac deorum crimen exclamat,  
quum Theodori penates ignis absumeret,  
Non arsere simul quod domus et dominus.  
Ego vero, etiamsi dignum duxi Brixium qui, quo vitare tam impudenter  
mentiendi necessitatem posset, in media fuisset Chordigera: 125  
non optavi tamen istud ei, nec ignem imprecatus sum, quem effugerunt  
etiam multi qui fuerunt in nave. Neque enim quisque statim  
imprecatur ea cuilibet, quibus illum censet ac pronuntiat dignum.  
Nam et Brixius, opinor, fures dignos ducit suspendio, dignos ducit  
adulteros, dignos haud dubie periuros; a quibus haud ita multis absunt 130  
parasangis mendaces: nac tamen, reor, usque adeo immitis est  
ut iis omnibus, tantae nimirum parti mortalium, semel imprecetur  
interitum. Quod voti genus ut inclementissimum fuerit, ita nec

ipsi fortasse Brixio satis tutum.

#87. To Erasmus

At praeter illud epigramma supersunt novem, quorum in primo—id 135  
quod etiam verum est—admoneo simpliciter ademptum iri scriptoribus  
omnibus fidem, si assuescant ipsius exemplo non ex fide sed  
ex affectu scribere. Duobus in id ludo, quod Herveum fecerit tam  
prodigiose pugnantem. Uno iocatus sum in Brixii et iactantiam simul  
et incogitantiam, qui praeter alia multa perquam vehementer absurda 140  
finxerit Herveum de ipso vaticinatem, velut alumno Phoebi, et, ut  
id fieri posset, fecerit illum in mediis flammis diu contionantem  
tamquam in summo otio: porro quod quum servati sint ex utraque  
nave multi, succurrentibus nostrorum naviculis aliquot, ille maluerit  
universos prorsus exurere, quam relictum esse quemquam a quo 145  
videri potuisset audivisse quam scriberet. Uno allusi ad eos versus  
quos Brixius effinxit in cenotaphium Hervei. Duobus ad id lusi,  
quod Brixius Chordigeram suam veterum poetarum furto surreptis  
versibus exornasset. Duobus ostendi me mentis et ingenii plusculum  
in Chordigera quum in inventione rerum tum in dispositione requirere. 150  
Haec quum scripserim et laccessitus et turbulentis temporibus et  
vere, tamen numquam vel edidi vel ostendi sola, sed ita coniuncta  
cum aliis, ut lectoris cogitatio vel plurimum averteretur ab illis, vel  
non tota certe detineretur in illis: quum eius Antimorus contra nihil  
profiteatur aliud quam in meum nomen non minus delira quam contumeliosa  
convicia. Postremo quum accepissem id agi ut excuderentur  
Epigrammata mea Basileae, scis ipse quid egerim ut ea quae in  
Brixium scripseram, una cum nonnullis omitterentur: quod quaedam  
mihi non satis saevera videbantur, etiamsi procul absint ab ea obscenitate 160  
qua fere sola quorundam epigrammata video commendari  
quibusdam. Et simul neminem volebam quantumvis iusta de  
causa tantillum a me perstringi nominatim.  
Qua in re, quod ad Brixium attinet, meum conatum frustratum  
esse vehementer gaudeo: adeo se declarat dignum in quem longe alia  
scriberentur. Nam in illis quibus non minus crebro inculcat quam 165  
falso, se provocatum prius, et tot probris, tot conviciis, tot maledictis,  
tot diris, tot execrationibus offensum capitaliter; si ea quae recenset  
invenerit, quamquam ut tum res erant et illius merita, meum factum  
potuissem omnium gentium iure defendere, tamen agnoscam profecto  
Cyclopis illam Polyphemi barbariem quam mihi Brixius impingit. 170  
Quod si contra non invenerit illic ea quae causatur, tunc aequum  
censeo ut agnoscat Brixius eum locum quo de diris obicit atque  
execrationibus, ab ipso fictum totum, ut esset sedes in quam Polyphemum  
vastum sane gigantem posset admittere: quando adeo illi  
tam lepida blandiebatur inventio, ut potius quam cogeretur excludere, 175  
fingendum quispiam duxerit in quod posset aliquid facete dicere.  
Verum ni caecior esset ipso Polyphemo Brixius, facile profecto cerneret  
eam rem non admodum multum illi parituram gloriae, si dissimulanter  
praeteriens quod in eum dicitur, alia contra se subornet  
ipse, quae commode possit vincere. 180  
Scripseram epigramma in quendam nostratem, qui ridicule, cum  
nobis bellum esset cum Gallis, in Gallicos mores totus abierat. Alio  
loco, quoniam Brixius nos appellarat foedifragos atque periuros,  
tetigeram obiter nostram causam in Gallico bello fuisse piam et

officiosam in Ecclesiam Christi, cuius Vicario sumus opitulati: Gallorum contra, quod foverent schisma et oppugnarent Pontificem. Quod ipsum neque nunc disputo rursus, neque olim me volente prodiit. Et tamen si finxisset Brixius (cui tam impense placet fingere) commotum illis locis fuisse sese, potuisset homini fortassis ignosci facilius: ut cui videretur imposuisse falsa quaedam honesti species, nempe amor importunus in patriam, quo videretur vel vere in eam dicta non perpeti, vel certe foederibus condonata vindicare. Nunc vero stupidissime delegit eam causam, in qua et eosdem habet obices quos haberet illic, nempe ipsum scripsisse prius, praebuisse occasionem, impegisse falsa, litem esse iudicatam, immo peremptam atque abolitam foederibus publicis.	185	#87. To Erasmus
Sed et hoc praetereo turpissimum, quod, quum publice prior laeserit, privatim sese sic offensum queritur. Quomodo, non potest docere: sed diras et exsecrationes in se ingestas a me ipse a se finxisse convincitur. Quamobrem quum prior scripserit in nos, eaque etiam falsa, quum ego tantum epigrammata contra, in quibus ea scripsissem, quae si neget esse vera, nihil assequetur aliud quam ut eum intellegant omnes bis fuisse mentitum; non solum potuit honeste desistere, verum debebat etiam. Atque adeo fecisset, scio, nisi maluisset omnibus declarare quam insigniter esset impudens: qui quae peccasset ante, quum donari vel iuventae eius potuissent, vel imputari temporibus, nunc tot annis elapsis, in tanta pace, in tanta concordia atque in ipso fere duorum Principum hospitio (nam id nunc adornant) deintegro renovet omnia, et epigrammata pauca quae in illius librum lusimus, virulentissimo libello retaliat: in quo quum nihil inveniret quod respondere posset pro se, totus in me conversus, nihil effundit aliud praeter meras calumnias et plus quam furiosa convicia.	190	
Primum, quicquid usquam fere vel cessatum est ab operis Frobenii, vel ab ipso quisquis exscripsit exemplar, id omne obicit mihi; quum videat nullum umquam librum tam feliciter excusum esse ut nihil insit errati, et illic nullum legat erratorum indicem. Et tamen in illis ipsis plerumque felicius errarunt illi quam castigat Brixius. Quam seditiose calumniatur me lacerare parentem Principis! quum ipse tantum commemorem quae mala Princeps, dum auspicaretur imperium, incomparabili gloria correxerit, quibus aliquot ante annos afflictabatur respublica; nonnullorum perfidia quibus huius Regis parens nimium credidisset, impar aliquandiu ipse rebus administrandis per adversam valetudinem, alioqui vir omnium regnandi prudentissimus. Et tamen Brixius, quum ea mala quae aliorum contigere malitia, ipse improbe vertat in Regem, mirum quam virulenter ibi debacchatur in me: ut pugnos, ut colaphos, ut exilia congerit! Et tamquam velut carcere stringeretur metro, ne tam libere quam libebat liceret excurrere, addidit vipereas glossas in margine, quibus in ea loca duceretur lector, si quis fortassis parum esset attentus ad carmina.	195	
Atque hoc pacto quum demonstret insigniter nihil sibi ad nocendum Defuisse praeter vires pares virulentiae, tamen homo lepidus gloriatur se dixisse facete, dum risum ridet Aiacis. Nam ut is abiudicatis armis insaniens, quum appensas verberaret pecudes, effuse risit	200	
	205	
	210	
	215	
	220	
	225	
	230	
	235	

interim, et earum gemitu mire plausit sibi, ut cui furor persuaserat eas  
 Argamemnonem esse atque Ulysem, in quos cupiebat ulcisci: sic  
 Brixius improbum interpretamentum suum insectans, et ad perniciem  
 usque exagitans, suaviter arridet sibi, dum prae mentis inopia non  
 advertit omnes, immo omnes prorsus homines quibus ulla scintilla aut  
 240 boni pectoris aut sensus insit communis, in hoc Brixiano risu non  
 minus animum gladiatorium detestari quam deridere dementiam.  
 Atque haec quum ita se habeant, tamen tamquam ista Coroebo  
 cuiquam scriberet aut Margitae, non Erasmo; tamquam ipso conivente  
 ad suam petulantiam, qua prior debacchatus est in nos, omnium  
 245 simul sic eruisset oculos, ut quod ipsi cernere non liberet, idem nemini  
 prorsus liceret aspicere; tamquam iam vicisset me lacessisse prius,  
 quem res docet posterius scripsisse; tamquam adhuc hostilia durarent  
 tempora, ut ei liceret olim iactata verbula eademque prorsus innocua,  
 250 nunc demum venenatis vindicare calumniis, quum uterque Princeps,  
 quum totus utrimque populus ita coaluit in concordiam, ut milites  
 obliviscantur etiam vulnerum, quorum cicatrices adhuc gestant in  
 corpore; tamquam ipse acerbiter essem invectus ac diras omnes  
 imprecatus in illum; tamquam ille vicissim meros iocos, meras  
 255 facetias, meros sales affudisset, ac non insana convicia deblaterasset  
 in me ac plus quam virulenta deliria: operae pretium est videre ut  
 securus ac certus spondeat sibi non veniam tantum velut necessariae  
 responsionis, sed laudem etiam clementiae, qui videlicet impetitus  
 diris et execrationibus (quae nusquam exstant), quum illi fas esset  
 260 paribus armis in certamen descendere, mira tamen indolis benignitate  
 atque admirabili dexteritate ingenii mordere se iactat absque dente,  
 iocari sine calumnia, ridere citra convicium, ludere citra maledictum,  
 commonefacere sine obiurgatione, erudire sine ferula; immo adeo mea  
 maledicta in lusus, convicia in risus, probra in iocos, execrationes in  
 265 ironias, diras denique in scommata convertisse.

An non videatur belle perorasse Brixius, si quis haec forte legat,  
 qui nihil omnino cognoscat de causa? Nam si quis lector inciderit  
 qui Chordigeram eius, qui mea Epigrammata, qui moricum eius  
 Antimoron inspexerit (si quis forte sic abundet otio ut ei vacet bonas  
 270 horas tam male perdere), quum in illis Epigrammatis meis neque  
 maledicta neque probra neque convicia neque execrationes neque  
 diras inveniet; quum apud illum contra nihil inveniet aliud praeter  
 meras sycophantias, maledicentiam et virulenta iurgia; quum dentes  
 videbit, sed fractos in coticula, ferulam videbit, sed absque litteris;  
 275 quum videbit hominem sic admonere ut stultissime carpat quod non  
 intellegit, sic erudire ut calumnietur improbe si quid intellegat: is  
 quanto risu ridebit eos risus Brixii, qui Brixium reddant ridiculum!  
 Quibus scommata, quae multo scommate redeant in auctorem! Quos  
 ei iocos exhibebit ita iocans Brixius, ut se videre putet saltantem  
 280 camelum! Quantam praebebit ludendi materiam tam inepte ludens  
 Germanus, ut germanus videatur Aesopici aselli, qui non multo  
 minus absurde illitatus lascivientem caniculam quam Brixius aemulatur  
 poetas, lutosos et corneos pedes impegit in heriles humeros,  
 fustibus inde retrusus in stabulum! Denique quam lepidis ironiis  
 285 eludet ironias Brixii! quippe tam illepidas, ut lectorem admoneant  
 pictoris cuiusdam, omnino talis qualis Brixius est poeta; qui cum

leporem atque canem depinxisset ita similes ut internosci non possent,  
 tandem uter canis esset, uter lepus, subscriptione sollers indicavit.  
 Ita Brixius eiusmodi fere ludit ironiis ut misere metuat sibi ne  
 quas velit accipi per iocum dictas laudes, earum plerasque multi 290  
 agnoscant pro veris: cuius periculi non aliud vidit effugium quam  
 ut *εἰρωνεῖν* se protestaretur marginali glossemate. Nimirum homo  
 cautus ita cavit sibi, ne sua teneretur syngrapha, quasi me laudasset  
 ex animo. Uno loco tantum putavit non necesse esse ut marginali  
 nota nos admoneret ironiae suae, adeo fidebat eius loci elegantiae: 295  
 quum in indice, ut ille vult videri, meorum errorum, ut res indicat,  
 calumniae atque inscitiae suae, meminit. Ridet in Utopia mea  
 dialogum in quo fraterculus cum morione disceptat: 'in quo' inquit  
 Brixius, 'dialogo enarrando exornandoque Morus ingenii sui acumen,  
 phraseos vim ac iudicii integritatem facile explicat.' Equidem, 300  
 Erasme doctissime, non usque adeo contemno Brixium, aut mihi tam  
 impense placeo, quin facile fatear neque elegantem fraterculorum  
 phrasin neque acutas morionis argutias tam belle umquam me potuisse  
 exprimere, quam ad verum ac vivum potuerit expressisse Brixius.  
 Adeo efficax res est talibus orationis deliciis assuescere, et ad morionem 305  
 non nomine (quod tam civiliter tam saepe Brixius concedit  
 mihi) sed natura (quo illum suo sibi iure vendicat Antimorus)  
 accedere.  
 Porro, quod de iudicio dicit, quo nimirum significat absurdum  
 esse barbaram fratrum phrasin ei libello inserere, quem cupias esse 310  
 Latinum (ut omittam interim et Graecos Latinis barbaros esse, et  
 Latinos Graecis, quorum sermonem cum laude quoque Romano  
 sermoni scriptores omnes tam frequenter insererunt), non exspecto  
 ut, non dico mea oratio (in qua Brixius undique tam manifestarios  
 soloecismos ac barbarismos, sed manifestaria sycophantia, manifestaria 315  
 deprehendit inscitia) sed nec ipsius Brixii (cui Veneres omnes atque  
 omnes prorsus Gratias putat affusas Brixius) ad Latinitatem aliquando  
 sit perventura Plautinam: qui nec absurde tamen sibi facere visus  
 est, nec Romanum sermonem dehonore, quum in comoedia Latina  
 Poenum interdum faceret loquentem Punice. A quo exemplo non 320  
 multum, opinor, abest, si quis in eo scripti genere quod prope  
 accedit ad comicum, fratrem id genus producat in proscenium lingua  
 loquentem sua, hoc est Latino-barbara. Et tamen scis ipse, mi  
 Erasme, quam non valde mihi placuerit ille dialogus, quamque  
 libenter fuerim omissurus, nisi supra quam dico placuisset illis, quos 325  
 neque litteris neque iudicio quisquam (qui quidem litteras habeat ac  
 iudicium) non tam longe anteponat Brixio,  
 Quantus ad aethereum patet hinc suspectus Olympum.  
 Quorum aliquos hic quoque commemorarem, nisi quod et frustra  
 commemorarem conscio, et non est animus viros quum honestos tum 330  
 etiam honorabiles obicere invidissimi viri latratibus; qui aliena  
 laude sic intabescit, ut plane pereundum homini fuerit, nisi aliquid  
 rabiei suae deblaterasset in Beatum Rhenanum, aemulatus Aeschinis  
 odium: a cuius eruditione non minus abest quam ego absum a  
 Demosthenis, cuius gloriae [ita] invidit Aeschines ut Ctesiphontem 335  
 quoque, quia laudaverat, accusaret publice, et ei machinaretur exilium,  
 quod merito mox in ipsum recidit. Ita quoniam Epigrammata mea



## #87. To Erasmus

Rhenanus Bilibaldo, doctissimus doctissimo atque optimus optimo,  
laudatione sua commendavit, mirum quam insanit Brixius, quam  
virulento animo, quam infimis viribus hebetem plumbei gladii 340  
cuspidem stringit in Rhenanum: adulatorem vocat, aut, nisi hoc  
agnoscat, inscium, indoctum ac plane caecum, qui non viderit meos  
versus tales esse quales visi sunt per invidiae conspicilla pervidenti  
Brixio. Sed frustra involat in elephantem culex. Nam Brixius  
cuiusmodi sit, declarat ipse. 345

Rhenanum laudare ego nec, ut nunc res habet, volo, ne illud  
audiam 'Mutuo muli scabunt'; nec certe si vellem, satis possem, ut  
quo (quod omnes norunt, fatentur ac praedicant) tot felicium ingeniorum  
ferax Germania nihil habeat, si linguam spectes elegantius,  
si disciplinas, eruditius, si mores, melius. Verum demirror hercle 350  
cur in unum furit Rhenanum Brixius. An eius unius iudicium de  
meis studiis dissentit a Brixio? quasi nihil honorifice de me scripsissent  
(ut omittam te ac Petrum Aegidium, quibus videri possit  
amor nonnihil imponere) Buslidius, Huttenus, Paludanus, Noviomagus,  
Vives, Grapheus, Zasius ac Budaeus; quibuscum eo tempore 355  
adeo non amicitia contracta est ulla, ut nec littera quidem ulla intercesserit:  
at neque cum ipso Rhenano, ut omittam plurimos eruditione  
non incelebres. Quod si Brixius fingat hos omnes adulari mihi,  
multum ei debeo qui tam magnum virum me facit. Sin caecos,  
inscios atque indoctos omnes pronuntiet, quoniam sic ab ipso dissentiunt, 360  
ut quem ille toties stultum vocat, toties appellat insanum, ei,  
ut nihil recenseam amplius, aliquanto certe plusculum tribuant prudentiae  
quam adhuc audio, praeter Brixium, quemquam tribuisse  
Brixio: nemo ei tam absoluta potestate dictaturam detulit, ut eius  
unius sententiam ita ratam esse oporteat, quin ad populum saltem 365  
supersit provocatio.

Nam quod hoc ita moleste fert, quod Rhenanus Epigrammata mea  
Marulli et Pontani praetulerit, debebat; aliquanto pressius Rhenani  
laudationes expendere: qui etsi multo mihi tribuit amplius quam  
meus pudor possit agnoscere, tamen ea parte qua potissimum Brixius 370  
offenditur, non adeo effusus est in laudes meas ut Brixius invidere  
debuerit. Neque enim me Pontano aut Marullo undecumque praefert  
Rhenanus aut confert. Natura tantum comparat, non Graecarum  
litterarum peritia: ne sit opus ut ita stomachetur Brixius Graeco  
conferri Britannum. Etenim natura quid impedit etiam Graeco 375  
parem quempiam,  
Verecun in patria crassoque sub aere nasci?  
Quamquam ipse neque tam superbus sum neque tam nescius mei, ut  
quae mihi tribuit Beatus Rhenanus, agnoscam: qui me, quod dixi,  
talibus viris natura confert, utilitate vero praefert hactenus, ut 380  
censeat plus frugis afferre lectoribus si quid affero salubrium sententiarum,  
quam quicquid illi chartis illinant obscenitatis ac nequitiae;  
ac plus iuvare putat quae simpliciter ac aperte cano, quam Marulli  
delectant aenigmata. Qua in re quid aliud Rhenanus quam, si quid  
est virtutis in me, id illorum praefert vitiis? 385

Quod laudis genus quum nihil obstet quominus eorum virtutes  
meis possint, ut certe faciunt, longe antecellere, non debuit ad  
invidiam usque videri benignum: quum interim, ut praeteream

reliquos, Budaeus unus, vir non minus publicae rei peritus quam litterariae (in qua plane principatum quendam obtinet), quae de me scripsit eiusmodi sint quae—sicuti nunc hominis candidissimi civilitati tribuo, non aliter [quam] quae in Brixii Chordigeram praefatur eruditissimus Aliander—, ita longe magis optem esse vera quam Pontanum aut Marullum superare carmine, aut utrumque simul utraque lingua vincere. Et tamen mirum est quam subito mutatus Brixius incumbit in famae meae curam etiam ipse, utpote cuius non nisi favore ac studio tot erratorum meorum me tot millium, tam pudendorum, amice, benevole, fideliter commonefecerit; videlicet ut ipsius opera subducantur clanculum, quae circumferri diutius absque insigni traductione mea ac perpetua quadam ignorantiae nota non poterant: quo nomine censet tantum etiam debere me tam amicae eius industriae, quantum alteri quisquam debere possit. Hoc tam elegans ac bellum schema tam vehementer arrisit Brixio, ut quod nemo non irrisit quum legeretur in Antimoro, nunc velut repetit serio: oblitus interim illorum versuum, quibus miro ingenio comminiscitur, qua arte nunc verisimile sit me tantae mederi infamiae, nempe hac, ut omnes libros qui iam excusi sunt usquam, curem undique reportatos ad me, atque ita repurgatos post emittam denuo. Et tamen hoc ipsum ita veretur Brixius, ne videlicet emissis in omnes undique terras plus quingentis legatis, omnia exemplaria recipiam, ut minetur se facturum uti apud se atque aliquot etiam alios (quod nisi emissis in id vicissim legatis difficile, opinor, fuerit) corrupta exemplaria exstent, quae meos errores (quorum nunc id me admonet ut tollantur clanculum, ne quis posthac possit exprobrare) sic omnibus essent exhibitura, ut nec Oceani fluctus omnes sordes mihi possint abluere.

Eiusdem vel memoriae vel constantiae etiam illud est, quod quum in ista epistola ad te neget Antimorum suam dentatam esse, ut in qua mordeat sine dente; tamen in hendecasyllabis (quos ita belle concinnat, ut in unum versum interdum syllabas intrudat tredecim) ait suos elegos se meo cruore oblinere. Et plane quemadmodum non minus ridicule poetas imitatur quam hominem simia, nec minus inepte dissimulat quam aut mugil aut cuniculus, qui simulatque caput in glebam condidarit, totum corpus satis occultatum putat; ita nullus lupus umquam fuit deteriore memoria, nulla pluma, nullus ventus magis constanter inconstans.

Iam quod ait se tuo consilio fuisse pariturum, nisi liber iam tum fuisset in manibus typographi; demiror admodum, quum tantam vim obtineat apud illum vel solus nutus Erasmicus, tam leve pondus habuisse monitoriam epistolam, ut potius suam famam pergeret infamare tam furioso libello, praesertim siticulosus gloriae, quam perderet paxillum pecuniae: homo cui, ut ipsius verbis utar, non victus aut vestitus modo, sed famulitium quoque atque equitatus insuper, et crumena denique semper aere gravis abundet; cui domus sint et hortuti, in quos Apollo ac Musae omnes, nisi Brixius pessulum obdat hostio, cupiant relicto Parnaso prorsus immigrare. Et tamen miror si tibi fuisset pariturus, qui re adhuc integra toties admonitus, neque Budaeo neque Beraldo neque Lascari neque Deloino parere voluit, neque reverendissimo Cardinali, qui nuper obiit in Gallia.

#87. To Erasmus

390

395

400

405

410

415

420

425

430

435

Ceterum ut bonitatis fuisse iudicat quod Antimori dehortareris editionem, ita nisi probaris editam, plane iam te censet iniustum: qui aliud ius illi nunc dicas in me, aliud in Fabrum olim statueris tibi. Nec dubito quin sibi videatur acutus admodum Brixius, et peritus iudiciorum, qui te tam gravi stringat praeiudicio, ut ni videri velis iniustus, adversus eum pronuntiare non possis.	440	#87. To Erasmus
Ego, mi Erasme, (quod sicuti apud omnes profiteor, sic apud neminem libentius profiteor quam apud te; cuius animum hac sane parte comperi penitus conspirare cum meo) Iacobum Fabrum sic observo, suspicio, veneror, quomodo virum debeo quo non aliquot ante saeculis exstitit quisquam litteris ac virtute venerabilior: qui an plus annis sit, ut praeter sacrarum litterarum studium, in quibus illustrandis utiliter est versatus, scholas aliquando ab inepta ista garrulitate atque absurdis argutiis ad sobriam ac severam philosophiam atque ad neglectas iamdiu disciplinas traduceret, ambigo.	445	
Quae res adeo in confesso est, ut ii quoque perquam honorificis calculis illi attestentur in summa, qui ab eo longissime in uno atque altero interdum dicto dissentiant; nec alia re provocati tamen, quam quod Faber quaedam, ut videtur multis, quae dicta ac disputata moderatius offendissent neminem, nimis aliquanto fortiter asseveret, ac maiore quam par sit contentione definiat: ita bonos viros plerumque longius pius quidam fervor abducit.	450	
Verum quam nihil habeat simile tua defensio cum istac absurdissima querela Brixii, nemini potest esse dubium, nisi cui res prorsus erit ignota. Quamobrem consilium non est hunc explicare locum, et causam cum causa, libellos cum libellis conferre, quasi non aliter patere possit neque in initio quicquam, neque in toto rei progressu, Brixii vesaniam cum tuo facto congruere: ne vel rem clarissimam facere controversam puter, vel sopitum atque obrutum ignem importune videar suis eruisse cineribus, vel Fabrum, quem toto colo pectore, aliqua cogar offendere; vel tuum iudicium, apud quem nunc causam dico, temptare credar, et favorem conciliare blanditiis. Hoc unum certe (nisi quod ludere se posuit pro furere) alioqui dicit non omnino falsum, te videlicet cominus pugnasse, quum ipse rem egerit eminus. Nam ut tu rem non gladio quidem, ut ait Brixius (qui te videtur gladiatorem fingere) sed acu prorsus attigisti; ita ille deliriis tantum velitatus eminus, et eiaculatus convicia quae vel anus ebria effutire potuisset in quemlibet, et quae in ipsum commode competebant plurima, ad rem numquam profecto quivit accedere; aut si fors attingit aliquando breviter, tum quemadmodum solet in duriore solo infirmis viribus emissum telum, protinus aut praetervolavit aut excidit. Itaque eminus sic commissa pugna hactenus plane profecit, ut ediderit specimen posse quidem sagittam sese non incommode prorsus emittere, si quis tantum quem in locum eius sagitta ceciderit, eo scopum semper officiose transferat; et belle posse iurgari, si quem nactus esset in quem illa competerent, quae ipse ex inexhausto probrorum suorum puteo posset haurire: quibus quando deest in quem haereant, quid aliud interim quam ipse perfundit sese?	455	
Verum aliquando tandem velut tuis litteris permotus incipit esse placator, ac, ‘si mihi videatur, posteaquam uterque in proscenium	460	
	465	
	470	
	475	
	480	
	485	
	490	

prodiit, ut ait, personatus (sic enim prodire solebant pugnaturi) ac suas pro virili partes egisse visus est,—ego videlicet epigrammatis aliquot, Brixius integris voluminibus; ego provocantis, ille respondentis (nam hoc, ne quis alioqui non credat, accurate repetit)—

non recusat tandem quominus dextris invicem iunctis Erasmo patre patrato (qui mos olim fuit peculiaris histrionibus) feriamus foedus', praesertim quum tu me sentias illius amore dignissimum. Ceterum ne pax tam facile impetrata fieret aliquanto contemptior, aut mihi inde surgerent cristae, ita rem temperavit, nusquam suae maiestatis immemor, ut 'si tragoediae ipsius exitum spectare malim, nihil item moretur quominus ea ad postremum usque actum deducatur: utpote cui mea hypocrisis non sit tam admirabilis ut illum a proscenio deterreat, nec vires item usque adeo formidabiles, ut si manus conferre voluerim, detractare debeat, modo meis, non ut Patroclus Achillis, armis concertaturus in palaestram descendam, et ante conflictum insonet tuba'. Ut miris artibus istam conflictatiunculam, qua ferme dumtaxat ipse pugnat secum, exornat Brixius atque *ἀποσεμνύνει!* Nam velut histriones nos committit, comicos, tragicos, palaestritas, bellatores: et mirum est quanto cum artificio haec inter se tam diversa commisceat, quam concinne pugnantibus aptet personas, mimis scaenicis arma, et adhibito patre patrato inter imperatores histriones feriat foedera. Ut dimicantes producit in proscenium, bellatores in palaestram! denique scita *επιμονῆ* tam belle persistit in metaphora, ut in tribus fere versibus conficiat nobis comicotragicopolemon.

Quod ad hoc foedus attinet, Erasme carissime, noli laborare. Neque enim tam ingens instat rei litterariae periculum, si congregiantur hinc Morus, homuncio perpusillus, hinc generosa illa palma, palma non altior una, Brixius, ut Erasmo sit opus patre patrato qui faciat pacem: nisi iterarum proceres similiter affectos reddat huius duelli cura, quomodo apud Homerum sollicitos habet superos Giganteo bello formidabilior illa *βατραχομομαχία*. Nam quod me scribis esse illius amore dignissimum, tuam bonitatem agnosco, qui undique studes paci. Verum ego, mi Erasme, me tali non dignor honore ut inter amicos satrapis tam potentis annumerer: cuius nunc utcumque respondi Antimoro, non sat fortasse reverenter pro tanta viri dignatione, sed pro re certe, ut censent alii, nimis aliquanto modeste.

Tu vero, mi Erasme, quid sentias, cupio scire. Nam quod tam propere curavi excudenda quae scripsi, quae tutius fortasse fuerat per otium polire, praesertim obicienda tam occulato aemulo, ut et ibi cernat mendum ubi mendum non est: malui ei ossa multa relinquere in quibus exerceat dentes, fatiget, aut frangat denique, quam mihi diu talibus nugis occupare pectus. Et profecto non fuisset tam insanum libellum responso dignaturus ullo, ni mihi visum esset amicorum quorundam obsecundare consiliis, suadentium ut me tuerer adversus hominis absurdissimas calumnias. Quae res una mihi scopus fuit, non commutare convicia, ac paria vicissim in illum spargere. Alioqui, si statuissem non respiciendum potius quid me degeret dicere quam quid illum conveniebat audire, quantumvis magnifice meum contemnat stilum Brixius, tamquam imbellem, enervem, nihilque masculum; effecissem saltem ut intellegeret quam

verus sit ille Nasonis versus,  
 In causa facili cuiuis licet esse dissertum.  
 Nunc vero quum ille non in ingenium tantum ac mores meos  
 debacchatus sit, verum etiam in perniciem meam; quoad eius fieri 545  
 potuit, sit grassatus; in litteris vero in me nihil intactum reliquerit  
 quod non arrosarit: ego contra nihil illius attigi praeter illa ipsa  
 volumina, quibus aut ipse petor aut patria. In uniuersum vero  
 quid praestare possit, neque pronuntio neque excutio. Scio enim  
 quam leue pondus habiturum sit de illo iudicium meum; quod 550  
 tamen etiamnum magis benignum est in illum quam sit multorum  
 quos ille minus offendit. Verum enimvero neminem adhuc audio  
 tam candido calculo suffragantem Brixio, ut non idem sentiat nihil  
 hactenus ab eo prodiisse tam magnificum, quod respondere possit 555  
 hominis iactabundi gloriolis; dum nunc iactat idem esse poetice  
 sibi quod *πεδίον ἵππου*, hoc est equo suum campum, nunc se gloriatur  
 cum antiquitate certare, nunc ipsam clavam vi eripere Herculi, dum  
 fulmen denique satis impudenter sese minitatur efflaturum. Has  
 hominis glorias alii quoties quum eius conferunt poematiis, ingenium 560  
 censent non insanum tantum sed etiam insanabile.  
 Ego vero, quamquam Brixius in me tam atrocem non modo iudicem  
 sed et augurem quoque praebeat sese, ut non solum quicquid hactenus  
 umquam scripsi damnet, verum etiam pronuntiet nihil posthac scripturum  
 quod possit esse dignum lectu: tamen mitius aliquanto de illo 565  
 sentio, coniecturam potissimum quum ex Chordigera faciens, tum ex  
 Antimoro quam in me scripsit iratus, quando vel hoc ipsum mihi  
 spem adhuc aliquam facit, austeram illam indolem posse aliquando  
 mitescere, quod quum tam inepta scribat nunc id aetatis habens,  
 hominem esse video non tam praecocis ingenii quin adhuc durare 570  
 possit ac maturescere alioqui. Plane si sentirem ad statum iam ac  
 robur pervenisse atque, ut Graeci vocant, *ἀκμήν*, aliud exspectare non  
 possem quam ut cuius ver lethargus est, aestas ira tam impotens,  
 eius autumnus sit omnino furor.  
 Iam quod meam hypocrisin negat esse tam admirabilem ut eum  
 e proscaenio deterreat, fateor certe nil nec habere me nec prae me 575  
 ferre quod absterreat quemquam. Neque negare possum quin hypocrisis  
 Brixii tantum terroris invehat secum, ut non modo me  
 homuncionem pavidulum, et quem facile terruerit personae pallentis  
 imago, sed spectatores omnes prorsus e theatro possit spectris  
 expavefactos abigere: si modo veri sint ii versus Brixii, quos in 580  
 Antimorum *Μωρίχου μωρότερος* inseruit;  
 Haec mihi dictanti astabant Dirae auribus omnes  
 Et Furiae, infernis concita turba vadis,  
 Alecto, et sacris caput irretita colubris  
 Tisiphone, et terrens ore Megaera truci. 585  
 Quod si personas istas plus satis tragicas deponat Brixius, certe  
 reliqua hominis hypocrisis non habet quicquam tam admirabile ut,  
 velut Medusae caput, quemquam reddat attonitum; neque vires eius  
 experior tam formidolosas ut aut Patroclo, aut Thersitae certe, praesidium  
 petendum sit ab Achillis armis adversus Hectorem talem. Sin 590  
 Brixio penitus decretum est [non] factitias illas Furias verum furorem  
 suum proferre in proscaenium secum, si certum est illi totis intonare

tonitribus, si fulmen illud terrificum vibrare statuit, quod sibi ab  
 ore iactat cadere, quoties secum videlicet Offensus gravius dignas  
 Iove concipit iras: histrionicam suam solus per me licebit exerceat, 595  
 ego adversus tam ominosa spectra silentio memet velut amuleto  
 lustrabo. Existet tamen fortassis Hercules aliquis ἀλεξίκακος, qui  
 suetus eiusmodi portenta subigere, clavam quam ei Brixius vi  
 eripuit, vicissim eripiat Brixio, ferula nimirum armatus aut flagro.  
 Nam adversus τὴν τοῦ Βριξίου βροντὴν non dubitav[er]it vel Στρεψιάδης 600  
 ἀντοποπαρδεῖν. Porro fulminis praestigium belle compescat Cacus,  
 talium terriculamentorum peritus artifex: qui si minus calleret  
 artem, tamen quibus armis utendum Caco fuerat adversus tale  
 fulmen, ipsius Caci nomen admoneret. Etenim potius quam fulminis  
 afflatu miseri mortales perierint, in os illud patulum, trisulco hiulcans 605  
 fulmine, non tantum meiere fas est.  
 Spero, mi Erasme, fore ut te in Regum conventu simus visuri  
 Caleti; qui venturus haud dubie sis utrique Regum gratissimus.  
 Alioqui fuerit impudens si nos amiculi tui vel exigamus vel exspectemus  
 ut nostra causa subeas laborem tanti itineris, quorum potius 610  
 officium fuerit ad te venire: id quod, ni te illuc Regum cura pertraxerit,  
 a Principe impetrata in dies aliquot venia faciemus. Tu  
 interea, mi Erasme, vale, ac nihilo minus quam soles amicus Brixio,  
 Morum simul qua soles caritate complectere: cui tu tam carus 615  
 es ut nec ipse sibi sit carior. Lupsetus noster magno auditorio  
 summa cum laude sua, nec minore scholasticorum fruge, bonas  
 litteras in utraque lingua profitetur Oxoniae. Successit enim Iohanni  
 Clementi meo; nam is se totum addixit rei medicae, nemini aliquando  
 cessurus, nisi hominem (quod abominor) hominibus inviderint 620  
 Parcae.  
 Iterum vale; ac meo nomine Dorpio, Neseno, Viveti, viris in  
 re litteraria primariis, salutem plurimam nuntia.

#87. To Erasmus

88. To Erasmus  
 <Greenwich?>  
 <April 1520>

THOMAS MORUS ERASMO SUO S. D.

TAMETSI mihi numquam fuit obscurum, Erasme omnium dulcissime,  
 quanto intervallo iudicium tuum antecellat meum, numquam tamen  
 illustrius inclaruit quam in hoc consilio, quo tibi Leoque suasimus  
 ut libellus eius perpetuo premeretur: te censente contra ut tum  
 potius edere sineretur, dum exspectabatur assidue, ut aliquando 5  
 posset ea finiri fabula, quam sopita fama paulisper post exiret tamen,  
 nova suscitata tragoedia. Itaque perpulimus verius quam persuasimus,  
 ut in ea pacta concederes; quae, quum tu te neges infregisse,  
 Leus sancte sese servasse deieret, interim tamen perpetuo fere rumpebantur.  
 Per utrum vero, quando res me tam procul agente gerebatur, 10  
 altero in alterum congerente regerenteque vicissim omnia, certo  
 diiudicare non possum: dolere tantum cogor illud consilium tantum  
 apud utrumque valuisse ut pax iniretur, quod valiturum non erat ut

servaretur. Maluissem enim tum libellum editum quum minus  
irritatis animis poterat edi mitius, quam ut nunc demum adauctis  
odiis emitteretur acerbior. Prodiit enim, sed amarior aliquanto  
quam vel sperassem vel in rem fuisset studiosorum; in quibus  
desideratur ea modestia quam vel idiotas invicem non praebere  
pudescerat. At tibi certe, mi Erasme convenit, si causas quas allegat  
habuit, non mirari si amarulentius affectum suum tam insigniter  
offensus effuderit: sin elusus est aliqua figura veri, sic quoque convenit  
ignoscere. Neque enim nos quicquam segnius credita movent  
quam cognita.  
Non es vel admonendus, opinor, vel hortandus, ut exhibeatur abs  
te vere Christiana modestia, cuius labor in tota re uni desudat  
Christo, qui tibi solus ob oculos debet obversari: a quo solidiorem  
tanto referes gratiam, quanto magis hic referre mundus neque ingratus  
curat neque gratus potest. In cuius immensa commoda quum tot  
incommoda perpressus sis, quum tot laboribus valetudinem detriveris,  
ut bona promoveres studia, tamen apud invidos, eosque tibi propemodum  
uni debentes quicquid habent litterarum, si quid habent  
bonarum, mala pro bonis referas, eo similior es Christo: quem non  
aliter possis imitari fidelius quam si maledicta retalies benedictis,  
sicut incitasti benefactis. Vale, Erasme animo meo carissime.  
Tuus, ut suus, T. Morus.

#88. To Erasmus

15

20

25

30

35

91. To Erasmus  
<Greenwich?>  
<May init.> 1520

THOMAS MORUS ERASMO, VIRO OPTIMO ATQUE DOCTISSIMO, S. D.

ANTIMORUS, mi Erasme, Brixii iam diu Londini fuerat priusquam  
tuae ad me litterae pervenirent. Mirabar aliquantulum, quam rem  
tam valde velles, cur de ea tam sero scriberes: nisi aut Antimorus  
forte serius aliquanto pervenit isthuc; aut ideo fuisti segnior, quod  
donec accepisses me libellum parare contra, putasti fore ut eius  
librum, utpote auctori potius quam mihi noxium. neque plane dignum  
cui responderetur, mea sponte contemnerem. Id quod ego profecto,  
mi Erasme, fecissem, nisi amici quidam et doctissimi simul et prudentissimi  
suasissent aliter; quibus Brixius etsi magis irrisus est  
quam invisus, tamen haud quaquam ita carus erat quam est, ut  
video, tibi.  
Nam ego iam fere biennium, quum audivissem eum moliri talia,  
atque in animo haberem ad eum ipse scribere, idque quam potuissem  
amantissime, simulque ea consulere quae magis aliquanto in rem  
ipsius fecisse fuerat, quam quae nunc intemperanter fecit; intellexi  
interea nuntiis e Lutecia certissimis adeo hominem in abruptum  
ferri suis affectibus, ut nullis amicorum suasibus potuerit cohiberi,  
non Beraldi, non Lascaris, non Budaei (vides qualium virorum)  
consiliis retrahi: non Deloini demum, viri tanti, non reverendissimi  
Cardinalis, qui nuper illic obiit, auctoritate commoveri. Sic intabescebat  
ulciscendi libidine et, tamquam Narcissus, amore quodam

5

10

15

suorum ipse versuum deperibat misere: quos tamen cotidie novos  
 velut e cunis exceptam subolem in mensam nunc Deloini, nunc  
 Cardinalis circumferebat exosculans; nec semper inde laetus referebat  
 domum, quum a, viris doctis et gravibus audiret interdum talia qualia, 25  
 si sapuisset, ipse dixisset sibi. Quorum mihi multa quum alii scripserunt  
 illinc, tum Ioannes quidam, natione Graecus, homo Latina  
 lingua iuxta doctus ac sua, probis moribus et indubitatae fidei,  
 plurima retulit coram: quibus quum sentirem Brixium impotentius  
 abripi quam ut attractari pateretur, mutavi consilium, atque a 30  
 scribendi voluntate destiti.

Simul cogitabam, etsi hactenus indulgeret animo, ne penitus vellet  
 tacere, tamen quoniam in eam rem tam multum studii, tam multum  
 impendebat temporis, in quo non erat absimile veri primum illum 35  
 animi calorem ac velut impetum quendam, qui subitis rebus imponit,  
 spatio et mora defervere, iocis eum lusurum ac salibus; a iurgiis  
 vero, conviciis et calumniis omnino temperaturum sibi, ne merito  
 iudicaretur importune maledicus, si acerbius in pace laederet quam  
 laesus esset in bello. Tum quoniam ante annos septem Chordigeram 40  
 eius legeram, quae tametsi multis et inventionis, oeconomiae et  
 sermonis vitiis abundabat, prae se ferebat tamen specimen eius  
 ingenii, quod annis posset (quos nunc accessisse videbam) aliquando  
 maturescere; sperabam eum doctum aliquid atque excussum editurum,  
 quod me quoque in quem edebatur, oblectaret; quem iocus 45  
 aliquanto liberior non admodum solet offendere.

At ubi prodiit praeclarus iste Brixii partus Antimorus, Morycho  
 plane moroteros, veneno quovis virulentior et indoctior ipsa Chordigera,  
 nihil aliud quam, ut par erat, irrisi, illud interea mecum *ὑποτονθορίζων,*  
*Χρυσὸν ζητῶν εὐρον ἄνθρακας.* Et hercle quemadmodum 50  
 Aetnae carbonem exusserunt Empedoclem, ita carbonem isti similem  
 captantem gloriam ustularunt Brixium ac reddiderunt carbone quovis  
 atriorem; eoque nec omnino quicquam respondere statueram. Verum  
 aliis aliter visum est, quorum ego iudiciis in meis rebus magis  
 fidebam quam meo. Hi quamquam faterentur neminem esse litteratum 55  
 usquam, cui non factura sint nauseam tam insulsa, tam virulenta  
 deliria, calumnias eius censebant, etsi perabsurdas atque ineptas, ad  
 haec nec obscuras, si quis attendat satis proram puppimque negotii,  
 non fore tamen satis liquidas multis, qui fortasse legerent eius Antimorum,  
 quum neque Chordigerae neque meorum epigrammatum 60  
 facultas futura sit. Suaserunt igitur ut haec omnia in unum librum  
 cogere et lectoris pariter subicerem oculis: tum ut meo scripto  
 negotium nonnihil illustrarem, sic, ut legenti nihil requiratur amplius  
 nisi iudicium suum.

Vides, Erasme carissime, quid nos ad rescribendum compulit.  
 Quamobrem non necesse habeo tuis respondere rationibus; quando 65  
 nisi alio me perpulissent alii, fuerim ipse tibi semper *ὁμόψηφος.* At  
 quod tibi video persuasisse Brixium, neglegentia tantum tabellarii  
 tui contigisse quo minus effeceris ut ille perpetuo presserit Antimorum  
 suum, vehementer, mi Erasme, demiror id sic acceptum 70  
 tamquam probatum tibi. 'Quid ni credam?' inquis, 'quando  
 Beraldum atque Budaeum, utrumque tam spectatae fidei testes,  
 producit in iudicium.' Producit, Erasme, non nego, fidei tantes



viros duos ut utriuslibet fides in quantavis re facere fidem possit.  
 'Quid obstat' inquis, 'ergo quin quod ait Brixius, vicerit?' Hoc  
 unum, mi Erasme, quod quum duos testes producat, utrumque 75  
 producit auritum, occulatum vero neutrum, quum plus in iudiciis  
 valeat occulatus testis unus quam auriti decem. Quid enim aliud  
 possunt testari Beraldo ac Budaeo quam sese ex ipso audivisse  
 Brixio Antimorum illo aut illo die fuisse sub prelo? Hoc enim 80  
 significat Brixius, quum se dicit illis editionem Antimori indicasse  
 aliquot ante diebus quam tuam legisset epistolam. Ergo tu Beraldo  
 credes et Budaeo; sed cui interim credent illi? an non ipsi Brixio?  
 Videsne nunc, Erasme, speciosum istud testimonium,  
 'Quemne ego heri vidi ad vos afferri vesperi?'  
 ut exiret denique in suffarcinatam Cantharam? Ut illud omittam 85  
 interim, quod nullos umquam testes potest producere, non ante sibi  
 lectam epistolam tuam quam vidisset excusam, quum potuerit acceptam  
 dissimulare, ut ista causa post apud te liceret uti integra.  
 Praeterea quum Antimorus eius constet quaternionibus non plus 90  
 octo, qui totidem diebus solent excudi, nec dimidium ex Brixii verbis  
 colligitur peractum esse quum tuas litteras legeret, in angustum sane  
 compingit illos aliquot dies, quibus ait se Beraldo et Budaeo indicasse  
 editionem. 'At cur' inquis, 'fingeret istud Brixius?' Adeo  
 tibi mirum videtur si vel animi causa fingat homo poeticus? Quamquam 95  
 suberat etiam causa cur fingeret. Nam quum uterque frequenter  
 admonuisset ne tam ineptum libellum ac muliebriter iurgiosum  
 ederet, volebat fortassis experiri an eodem animo accepturi forent  
 quum fecisset, quo tam saepe consuluissent ne faceret. Accidit enim  
 nonnumquam ut quod ne fiat obsistimus acriter, dum res est integra,  
 id ubi in eum locum venit ut non possit corrigi, patiamur, et vitium, 100  
 quoad licet, verbis integamus.

At ego, mi Erasme, quo vere videre possis quanto verius Morus  
 tibi paratus sit obtemperare quam Brixius, quamquam quum tuae ad  
 me venirent litterae, liber non quidem sub prelo esset, sed totus esset  
 excusus (atque id docere possim non duobus auritis testibus qui ex 105  
 me audierint, sed occulatis plusquam decem qui suis viderint oculis;  
 immo testibus, opinor, oculis ipsius tuis, utpote ad quem librum ante  
 hanc epistolam pervenisse non dubitem); quamquam ad eius editionem  
 tot amicorum consiliis urgerer, tamen ubi tuas litteras accepissem,  
 cuius unius apud me sententia omnibus omnium calculis 110  
 praeponderat, non sum imitatus Brixium: cui quum sit, ut scribit,  
 crumena semper aere gravis, tamen tanti fecit monitionem tuam,  
 cuius, ut ait, nutus observat, ut non sustinuerit tantillum sumptus  
 impendere, quo libellos illos universos coemeret atque in ignem  
 semel coniceret; ut tantas eius ineptias, nomen illud Brixii, cuius 115  
 illustrandi desiderio nimis quam misere sitit, infamaturas, omnium  
 subduceret oculis. Ego vero, mi Erasme, praeter eos duos, quorum  
 alterum iam ad te miseram, alterum ad Petrum Aegidium, atque  
 alios quinque quos vendiderat typographus (nam quum primum  
 prostarent ac coepissent avide flagitari, tua commodum intervenit 120  
 epistola) coemi universos, eosque clausos asservo, ut priusquam  
 aliquid innovetur ex me, possimus, immo possis potius ipse tecum,  
 statuere quid a me velis fieri.

#91. To Erasmus

Quamobrem tute nunc, mi Erasme, etiam atque etiam dispice in  
 eius amici causa quid statuas, qui quicquid statues obtemperare  
 constituit. Nam quod suades, ut quicquid in Brixium scripseram  
 125 omittatur, quum Epigrammata mea denuo continget excudi, atque ut  
 Antimorus Brixii vicissim non propagetur amplius: ego, mi Erasme,  
 quod ad Brixium pertinet, multis mihi videor coniecturis colligere,  
 130 magis tenerum eius in suos versus animum quam ut abduci patiatur  
 ab eo studio se, quo carissimae feturae suae, quoad eius fieri potest,  
 procuret aeternitatem. Mea vero Epigrammata numquam admodum  
 animo placuerunt meo, id quod et ipse mihi, Erasme, conscius es:  
 cui et quibusdam aliis nisi liber ille arrisisset amplius quam adblanditus  
 135 est mihi, nusquam fortassis exstaret hodie. Nunc vide ut  
 rerum vices inversae sunt. Si condicione cautum esset inter nos  
 ut ex epigrammatis meis tibi liceret quaecumque velles transfigurere,  
 modo ne ius in pauca quaequam sit quae mihi liberet excipere, iam  
 quos in versus solos tu ex pacto ferrum stringeres, eos ego solos  
 140 exceptione defenderem. Adeo mihi coeperunt adblandiri, postquam  
 eos video multis commendari virulenta atque inepta versificatione  
 Brixii. Nec tamen istud dico quo minus tibi quidvis liceat in mea,  
 cui quidvis etiam licet in me.

Iam quod ais eum esse Brixium, quem si pernossem intimius, eum  
 sentirem talem quo nemo sit amore meo dignior: equidem, mi  
 145 Erasme, non ego me pro tanto viro gero ut tam tenui quemquam  
 condicione videam, quem indignum censeam amore meo, modo ne  
 sit improbus qui non amari debeat a quoquam; eoque Brixium facile  
 assentior non indignum esse qui maiorum sit amore virorum dignus  
 150 quam ipse sum. Nam omnino videtur aliquanto plus habere, non  
 dico superbiae, sed plane generosi cuiusdam spiritus et magnificentiae,  
 quam ut ad pusillam hanc atque humilem indolem ineam possit  
 usquequaque congruere, nisi in amicitia tam male copulari vellem  
 Quam male inaequales veniunt ad aratra iuveni.

Nec tamen eam, mi Erasme, te consulente recusem, qui me vel ad  
 155 parendum praestantioribus facile possum componere. Certe quod ad  
 eruditionem eius attinet, studiosum esse credo, et non omnino stupidum,  
 tum quem aliquando alium reddet usus. Ceterum in his quae  
 edidit hactenus, ut vere dicam, id quod etiam docere possum, neque  
 160 soloecismis caret neque numeris satisfecit, et ingenio frequenter  
 magis labitur quam ut puero concedi possit. Et tamen qualis qualis  
 est, non tanti memet facio ut me illi posse censeam eruditione  
 conferri, quum tu, mi Erasme, vel amore caecutiens, vel (quod verius  
 certe puto) quadam erga me civilitate, praeferas. Et ut ingenue  
 165 dicam, adeo illum non odi, ut postquam animo nunc defecatiore sum  
 factus, adamem etiam litterarum gratia.

Verum in causa quid fieri velis, expende diligentius priusquam  
 imperes. Nam plane si non respondero, putabor multis huius  
 170 ineptissimae rixae praebuisse causam, et nihil quicquam provocatus,  
 tamen probris, diris et execrationibus insectatus illum: quod non  
 minus fuisset inhumanum, quam nunc falsum esse docui, si tu librum  
 patieris exire. In quo quod secundo loco mones, vi; si omnino  
 decretum sit emitte, curandum mihi sit ut (quod hactenus me  
 praestitisse dicis) eruditione tantum videar et causa Brixium, non

#91. To Erasmus

etiam conviciis vincere; ego, mi Erasme; ut eruditione contentus 175 #91. To Erasmus  
sim si Brixio compar sim, ita causa non dubito quin longe sim  
superior, quantumvis suam Brixius asserat bonam, facilem, vincibilem;  
quod principium ex arte solet adhiberi ad defendendam noxiam.  
Conviciis profecto facile me vinci patiar, quo armorum genere  
numquam pugnare statui. Et tamen fieri potest ut quod mihi mea 180  
facit iniuria nihil acerbum videri, idem alius cui non idem rei sensus  
est, iudicet esse mordaculum. Quod si fors acciderit uspiam, non  
adeo reverebor aequitatem lectorum, quin ei; in me quoque, mi  
Erasme,—quantumcumque gravem personam tuus nobis imponat  
amor, qui magna de me fingit omnia; tamen dum adhuc inter 185  
mortales versor, nondum plane relatus in divos, ut in re ridicula  
rideamus, non verebor, inquam, quin aliquid et in me condonaturus  
sit humanus lector humanis, quos hominum nemo prorsus excussit,  
affectibus. Vale, mi Erasme Carissime.

Quum Caletium venerimus, quo Rex propediem adornabit iteri, 190  
spero fore ut coram his de rebus commentemur plenius. Nam  
omnino in hoc Regum conventu te exspecto, atque ita Brixium: nam  
at Regina Gallorum aderit, cui cum sit a secretis Brixius, non poterit,  
opinor, abesse. Ita quod ad me attinet, facile rem compones ex  
sententia tua. Nam etsi nulla de causa sic egit in me ut plane 195  
declaraverit nihil ad meam, perniciem praeter vires defuisse sibi;  
tamen quando tu, mi Erasme, plus es mihi quam dimidium mei,  
plus apud me valebit in Brixio quod sit amicus tuus quam quod  
inimicus meus. Iterum vale. M.D.XX.

93. To Erasmus  
Canterbury  
26 May <1520>

THOMAS MORUS ERASMO S.D.

DE puero cuius causam commendasti mihi, iam ante cum patre eius  
egeram quam tu scripsisti. Rogarat enim pridem me per litteras  
puer ipse, quod sibi persuaserat apud illum meam sententiam  
momenti aliquid ac ponderis habituram. Tractavi rem diligenter;  
quid profecerim haud satis certo scio. Respondit mihi pater eius non 5  
omnino duriter; et tamen (ut novi hominem ad rem attentum)  
opinor respondisse tam commode, magis pudore quodam adversandi  
mihi quam quod ex animi sui sententia loqueretur. Summa erat, de  
filio se usurum consilio meo; sed interim non obscure significabat  
eum se nummatum malle quam litteratum. At puerum ipsum sic 10  
animatum video, ut non rem paternam tantum, sed ipsum etiam  
patrem citius relicturus sit quam se divelli patiatur a litteris; nimirum  
dignus cuius indolem talem foveant omnes atque omni ope promoveant.  
Lovaniensem illum scholasticum ita collocavi ut non dubitem quin 15  
tibi perpetuo sit habiturus gratias. Eruditio eius perplacet ero;  
qui quum audivisset eum mihi commendatum abs te, rogavit ultro  
uti iuvenem ipsi permitterem: qua in re ego non gravatim illi sum  
gratificatus, utpote quod alioqui destinaveram petere. Nam apud

me pluribus ministris non vacabat locus.	20	#93. To Erasmus
Is dum primis illis diebus esset apud me, ostendit mihi opera quaedam Lodovici Vivis, quibus neque magis elegans neque magis eruditum quicquam iam diu vidi. Quotum enim quemque reperias, immo adeo quem unum fere reperias usquam, qui tam virente aetate (nam tu eum virente etiamnum aetate scribis esse) tam	25	
absolutum ciclopedias orbem absolverit? Pudet me profecto, mi Erasme, mei meique similium, qui uno aut altero libellulo, eoque fere inepto, venditamus nos, quum Vivem respicio tam iuvenem tam multa, tam excussa, tam disserti sermonis, tam abstrusae lectionis edidisse. Magna res est linguarum alterutra pollere; ille se probat	30	
utraque peritissimum. Maius quiddam ac fructuosius praeclaris imbutum esse disciplinis; at quis uno Vive se ostendit aut pluribus instructum aut melioribus? Multo vero maximum est sic bonas artes imbibisse discendo, ut in alios easdem possis rursus docendo transfundere; at quis illo docet apertius, dulcius, efficacius? Non	35	
possum satis admirari virtutes illas quas in Declamationibus eius tu et acute perspexisti et expressisti luculenter; potissimum vero (quod in declamando potissimum est) non mode illorum historias temporum tam exprompta memoria complecti quam non quivis suarum rerum meminit, verum hominum tot olim saeculis functorum fato	40	
affectus tam praesentes induisse, ut non e libris hausisse quae declamat, sed vidisse, sensisse, in parte fuisse rerum vel prospere vel secus cadentium videatur: consilia denique non ex aliena condicione languidule, sed ferventer admodum ex suo ipse metu, spe, periculo, felicitate metiri. Quod si in alterutra tantum parte praestaret, esset	45	
tamen admiratione dignum. Nunc vero talem se probat in utraque ut chamelionta putes, verso solo simul mutasse colorem.		
Utinam expergiscantur, Erasme, atque ad istud Vivis exemplar componant sese quidam qui nimium ambitiose volunt haberi pro dissertis! idque eo magis titulo quod alia omnia contemnant, quam	50	
quod vel assequantur vel rite consequantur eloquentiam, utpote qui ne per somnium quidem concipiant ullam rhetorices imaginem. Hi quum coeteras artes neglegent, quonam studiorum nomine cohonestari postulant? Oratorem profecto vel rhetorem nemo iure vocabit eum qui neque veras agat causas neque declamet fictas. Quin poeta perquam	55	
tenuis fuerit atque exsanguis, cuius poema nullis philosophiae monitis, nullis rhetorum praeceptis, nullis disserendi exercitamentis formetur. Vives quum in rhetorica talem se praestiterit qualem haud fere iam quisquam qui nihil profitetur aliud, tamen ceterarem artium omnium quae quidem dignae sunt scitu, nullam reliquit,	60	
in qua non ita versatus est, ut in ea sola aetatem omnem contrivisse censeas.		
Itaque ut nihil est illius quod non mirum in modum delectet omnes, ita me profecto quae scripsit in Pseudodialecticos peculiari quadam voluptate perfundunt: non ideo tantum (quamquam ideo	65	
quoque) quod illas ineptas argutias lepidis cavillis eludit, validis argumentis oppugnat, inevitabili ratione a fundamentis eruit atque subvertit, sed et praeterea quod ibi video quaedam iisdem fere tractata rationibus, quas et ipse mecum olim, quum nihil adhuc Vivis legissem, collegeram. Quae mihi nunc non eo nomine placent in	70	

## #93. To Erasmus

libello Vivis, quod meae rationes ante arriserint mihi (solet enim placere, si quid afferre alios videmus quod nobis ante in mentem venerat) sed quod mihi plaudo quando quod ante suspectum habueram ne parum apte diceretur, nunc confirmor hand incitum esse, postquam Vivi quoque video placuisse. Iam illud me capit ac delectat maxime, quod quum videam idem argumentum utriusque nostrum animum et cogitationem occupasse, tum sicutriusque tractatum, ut quamquam et fusius ab illo et elegantius, tamen in nonnullis non tantum res easdem afferamus, sed propemodum eadem etiam verba, sic mihi libenter blandior, quasi cognati quispiam sideris animos inter sese nostros occulta quapiam, vi et conspiratione conciliet. Hoc illi gratulor quod tantum habet locum apud reverendissimum Cardinalem suum. Spero fore ut illius numinis favor iniquitatem fortunae corrigat; quae solet in eos esse pessima quicumque merentur optima, et tamquam litteris ac virtutibus invidens, indoctos fere atque improbos beneficiis suis evehere. Verum Cardinalis (cui beandi quemvis tam facilis fere quam ipsi fortunae facultas est) homini tali, quem inter penitissimos ascivit, cui tantum eruditionis eximiae (qua nunc haud paulo clarius quam ipso dignitatis fulgore splendet) acceptum fert, non insigniter esse beneficus neque pro insigni sua bonitate valet, neque sine insigni apud posteros quoque traductione potest.

Vale, mi Erasme carissime; quem ego spero fore ut Caleti propediem praesens praesentem in hoc Regum congressu complectar. Hodie appellit Imperator. Cras summo mane Rex in occursum prodibit, immo fortassis hac ipsa nocte quae iam nunc appetit. Non credas quanto gaudio, non dico Regis ac procerum, sed populi quoque, sit acceptus nuntius per quem constabat Imperatorem huc appellere. Iterum vale e Cantuaria pridie pentecostes. Quiddam est, mi Erasme, de quo si mihi notus esset Vives, admonerem illum. Nunc quoniam haud certus sum quo animo acciperet ab ignoto tam importunum officium, ipse potes per occasionem summonere, esse in Aedibus legum atque item in eius Somnio (quod alioqui multorum superat pervigilatas vigiliis) abstrusiora quaedam quam ut pateant nisi doctissimis; quum fuerit in rem litterariam utile illius omnia quam plurimis intellegi. Ei rei vel explicando vel adiectis in margine brevissimis scholiis facile mederi fuerit. Addet item plurimum lucis Declamationibus, si brevibus historiae summam complexus vel una pagella praeponat. Iterum vale. [Anno M.D.XIX.]

## 96. To William Budaeus

&lt;Calais&gt;

&lt;c. June 1520&gt;

Litteras tuas, quibus hanc absentiam tuam faceres mihi minus gravem, nisi vehementer me cupiditas urgeret, non auderem petere, quando vereor, neque tibi nunc in Christianissimi Regis negotia pertracto multum superfuturum otii; et mihi conscius sim in hoc officii genere meae pigritiae, quoties rescribendum sit

ad quemquam. Ad te vero, mi Budaee, ne scribam infantiae meae non nescius, eruditionis tuae admiratione distineor usque adeo, ut ne has quidem litteras extorquere potuerim a pudore meo, nisi eas alius extorsisset pudor. Nempe ne meae litterae, quas nunc habes in manibus, cum tuis evulgentur una, quae si incomitatae exirent, satis superque conspicua deformitate viderentur, ut non tuarum splendor admotus mearum pudendae formae velut facem quandam claram praeferat. Nam memini dum colloquebamur, incidisse mentionem de epistolis meis olim scriptis ad te, quas videbaris editurus, si id te putares mea voluntate facturum. Qua in re, quoniam obiter tractata est, quid tum respondi, nescio. Nunc vero quando rem recogito mecum, video tutius esse, ut tantisper premas, quoad recognoscam saltem, non tantum ne quid insit forte parum Latine dictum, verum etiam quia de pace, de bello, de moribus, de coniugatis, de sacerdotibus, de populo, etc., quaedam vereor ne non sint tam caute ac circumspecte scripta, ut expediat obici calumniatoribus.

#96. To W. Budaeus

97. To William Budaeus  
<Calais>  
<c. June 1520>

Nescio, mi Budaee, quae valde cordi caraque sunt, an praestet umquam possidere, nisi possis retinere. Nam ego me putavi plane felicem fore, si Budaenum contingeret (cuius effigiem pulcherrimam lectio mihi delinearat) coram aliquando cernere, et postquam voti sum factus compos, visus sum mihi ipsa felicitate felicior. Verum quum neque per utriusque negotia licuerit tam saepe congregari, ut meum illud desiderium colloquendi tecum posset expleri, et intra paucos dies (avocantibus Reges dicionum negotiis) nostra illa consuetudo vix iam coepta simul abrupta sit; nosque (quos necesse erat suum quemque principem comitari) in diversa distracti simus, haud scio an umquam revisuri mutuo; quanto laetior occursus fuerat, tanto nimirum mihi ex hoc digressu maior est obortus maeror. Quem ita demum nonnihil potes levare, si te digneris interim litteris praesentem reddere, quas tamen, nisi vehementior me cupiditas urgeret, non auderem petere.

101. To His School  
At Court  
23 March <1521?>

THOMAS MORUS TOTI SCHOLAE SUAE SALUTEM.

En quod compendium salutationis inveni, quo mihi temporis et chartae dispendium redimerem, quod alioquin erat in singulorum nominibus recensendis in salutatione subeundum. Qua in re meus labor eo supervacaneus fuerit; quod quum mihi sitis alius alio nomine cari, quorum nullum in ambitiosa salutatione

omitti conveniebat, haud ullo tamen fere quisquam carior  
quam scholastico quisque. Adeo me doctrinae studium vobis artius  
propemodum quam ipsa sanguinis necessitudo constringit.  
Gaudeo itaque D. Druum redisse sospitem, de cuius eram (ut  
scitis) incolumitate sollicitus. Nisi vos tam vehementer amarem, 10  
inviderem plane vobis tantam istam felicitatem, quibus tot et  
tanti praeceptores obtigerunt. Sed D. Nicolaum nunc superesse  
vobis puto, ita quicquid habet astronomicarum rerum edidicistis.  
In quibus adeo vos provectoros esse audio; ut non iam polarem tantum 15  
stellam, aut caninam, aut aliud quidvis e gregariis astris,  
verum etiam (quae res peritum et absolutum Astrologum postulat)  
in praecipuis illis ac primariis sideribus, solem dinoscatis a luna.  
Macte igitur nova ista et admiranda peritia vestra, qua sic conscenditis  
astra. Quae dum assidue suspicitis, cogitetis interim 20  
sacrum hoc ieiunii tempus admonere vos, atque auribus vestris  
occinere carmen illud optimum ac sanctissimum Boetii, quo docemini  
mentem simul in caelum ferre, ne animus beluarum vita  
pronus feratur in terram corpore celsius levato. Valet, omnes  
carissimi. Ex Aula 23. Mart.

#101. To His School

105. To Bishop John Fisher  
<1521?>

Sacerdos hic, R. Pater, quem proximum esse scripsisti  
consequendo sacerdotio, si apud Maiestatem Regiam strenuum  
quemquam precatorem esset nactus, effeci, credo, ne stet per Principem  
quo minus consequatur.  
[Et in fine epistolae.]  
Apud Regem si quid possum (certe perparum possum) sed 5  
tamen si quid, id tuae paternitati scholasticisque tuis omnibus  
(quorum ego tam egregiis in me affectibus quam ipsorum ad me  
testantur litterae, perpetuam debeo gratiam) non minus profecto  
libere quam sua cuique domus patebit. Vale, Praesul optime atque  
humanissime, meque, ut soles, complectere. 10

106. To Margret Roper  
<1521?>

THOMAS MORUS MARG. FILIAE DULCISSIMAE S.P.D.

Non erat causae quicquam, dulcissima filia, cur unum  
diem scribere distulisses, quod tibi nimis diffisa vereris, ne non  
eius generis tuae forent epistolae, quae citra nauseam nobis  
legerentur. Etenim si non emendatissimae prodirent, tamen et  
sexus honor a quovis impetraret veniam, et patri solet in liberorum 5  
facie vel naevus videri formosus. Nunc vero istae, mea Margareta,  
tuae tam elegantes, tam politae, adeo nihil habebant quamobrem  
formidare debebant parentis indulgentissimum iudicium, ut  
Momi quoque censuram contemnere quantumvis irati possent.

Quod Nicolaus et amantissimus nostri et astrologicarum rerum  
 peritissimus, iterum vobis caelestium corporum sphaeram auspicatus  
 est, et illi gratias ago et vobis istam gratulor felicitatem;  
 quibus intra unum mensem continget minimo labore pernoscere  
 tot et tam sublimia Opificis aeterni miracula, quae tam multa, tam  
 praeclara fereque supra mortalium sortem ingenia, tot sudoribus  
 et studiis, immo tot algoribus et sub dio pervigilatis noctibus multarum  
 aetatum decursu repererunt.

Placet igitur illud vehementer mihi quod te decrevisse tecum  
 scribis, tam diligenter philosophiae nunc incumbere, ut quod  
 antehac per negligentiam periit tibi, imposterum diligentia resarcias.

Ego certe, Margareta carissima, quum numquam te cessasse  
 deprehenderim—immo progressam gnaviter eruditio ista tua minime  
 vulgaris, sed fere per omne litterarum genus absoluta praedicet—  
 velut eximiae in te modestiae specimen amplector, quod desidiam  
 potius accusare falso maluisti, quam vere iactare diligentiam. Nisi  
 tua fortassis isthuc spectet oratio, tam sedulo posthac incubituram  
 te, ut praeteriti temporis industria, quamquam et illa fuit egregia,  
 tamen si cum futura comparetur, videri possit ignavia. Quod si  
 ita, mea Margareta, sentis, (id quod plane te sentire puto) nihil  
 reor posse contingere aut animo mea iucundius aut tibi, dulcissima  
 nata, felicius.

Etenim ut totam fere vitam reliquam vehementer opto te in  
 rem medicam et litteras sacras impendere, quo nusquam tibi  
 desint ad humanae vitae scopum adminicula (nempe ut sit mens  
 sana in corpore sano), quarum litterarum et aliqua iam fundamenta  
 iecisti, et numquam deerit superstruendi facultas; ita primos aliquot  
 annos efflorescentis adhuc aetatis, existimem in humanis litteris et  
 liberalibus, quas vocant, disciplinis, magno cum fructu collocari  
 posse, quum quod haec aetas commodissime potest per eas difficultates  
 eluctari, tum quod incertum est, an alias umquam futura  
 sit praeceptoris tam seduli, tum amantis, tam eruditi copia; ut  
 interim taceam quod ab his litteris vel paratur vel certe iuvatur  
 iudicium.

Liberet, mea Margareta, mihi diu tecum his de rebus colloqui,  
 sed ecce subito nos interpellant avocantque hi qui iam iam cenam  
 inferunt, mihi certe, nisi aliorum esset habenda ratio, multo  
 minus suavem quam hoc colloquium tecum.

Vale, carissima filia, et coniugem tuum, filium mihi dulcissimum,  
 meo nomine saluta, qui quod eadem iam tecum legit, dici  
 non potest quam vehementer exsulto. Iam qui semper tibi suadere  
 soleo ut omnibus in rebus marito cederes, contra potestatem facio  
 ut in pernoscenda sphaera maritum superare contendas. Iterum  
 vale, et totum saluta sodalium, sed praeceptorem in primis.

106a. To Francis Cranevelt  
 At Court  
 13 February <1521>

T. Morus<s> Cranevellio suo s. p. d.



Qui <in> te silentem non ferebam nunc ipse diu silui ut tibi  
 argumentum scribendi praeberem quo me vicissim corripere id  
 quod merito posses quum tam liberalibus <exc> acceptis litteris  
 iam diu nullam rependerem. Sed statim a paschate nisi quid  
 5  
 accidat praeter spem tecum futurus sum omnia repensurus coram  
 ea loquacitate quam toties tanto cum taedio coactus <es> es  
 perpeti. Interea vale cum dulcissima coniuge matrona omnium  
 prudentissima atque honestissima. Ex Aula xiii<sup>o</sup> die februarii

#106a. To Cranevelt

106b. To Francis Cranevelt  
 London  
 9 April <1521>

T. Morus francisco Cranevellio suo s. p.  
 Binas abs te mi Cranivelli litteras accepi. ex utrisque percepi <c>  
 candidissimum illud pectus et incredibilem quendam amorem <ar> erga me  
 tuum cui si non pari voluntate respondeam profecto sim ingratus.  
 5  
 Dominam meam uxorem tuam aut potius dominam tuam uxorem meam  
 quam ego pridem istic despondi mihi feminam absque ioco primariam ac  
 muliebrim virtutum omnium honestamentis ornatissimam partu levatam  
 gaudeo ac tuam familiam feliciter auctam subole. Quod tantum laboris in  
 dispicienda mihi domo susceperis immensas tibi gratias ago. Nam quod  
 tam amice mihi tuam ipsius offers dignas quas agam non invenio. Multa mi  
 Cranivelli solent inter os (quod aiunt) et offam incidere. ita fieri potest ut  
 <illuc> istuc in ea legatione quae prope<p>diem veniet ipse non veniam quo  
 itinere nisi ut vos amicos meo[s] videam quos ut videam quovis libenter eam  
 commode possim carere Sed intra paucos dies rem certo  
 15  
 cognoscam cognitam ilicet ad te perscribam. Interea  
 propemodum statui apud me primo adventu in tuam domum  
 divertere non ut diu tibi sim molestus sed ut interea fruar tua et  
 dominae uxoris tuae ultronea bonitate dum mihi liceat praesenti  
 rem expendere in quam potissimum / commodum sit  
 20  
 immigrare. Interea mi du[l]cissime Cranevelli vale cum  
 suavissima coniuge cui millies ex me salutem dicito. Londini  
 celeriter Aprilis ix Saluta meo nomine d[ominum] Laurinum,  
 Fevinum

106c. To Francis Cranevelt  
 <London?>  
 <September 1521>

En mi Craneveldi ex [foliis nullum reliquum sed] <car> chartae  
 quidem honestum frustum superest Ego nunc equum conscendo  
 librum tuum r[e]mitto accipies una fasciculum litterarum quas ad  
 me misit Erasmus ut legerem. Edi illas neque vult neque usus  
 <est> id postulat nisi quid adversarius pergat furere. In quem  
 5  
 eventum ut salvae sint etiam ipsius iussu depono apud te. Tu  
 D[omino] Laurino si quam legere volet impartire D[ominam]  
 Matronam eximiam Uxorem tuam meo saluta nomine. cui et tibi  
 et dulcissimis liberis vestris salutem longam et felicitatem

precor. Ego nu[n]c ad equum vocor. Iterum vale  
Tuus Totus .T. M

10 #106c. To Cranevelt

106d. To Francis Cranevelt  
Chelsea?  
12 November <1521>

Accepi mi Craneveldi / nuper abs te litteras tui plane simillimas hoc  
est optimas et amantissimas ac plane litteratissimas Incolumis  
reversus meos omnes incolumes repperi. quamquam undique  
grassante pestilentia. Deum precor ut id velit esse diuturnum. Ipse  
statim a reditu incidi in tertianam sed nunc incipio revalescere ac paene 5  
revalui. Mea schola tota te salutatur tu dominam et uxorem nostram  
salutato Bellam istud ut video Vos non admodum belle tractat.  
Precor aliquando sanam mentem principibus saltem hactenus ut  
velit quilibet unus esse tanta ditione contentus quanta plus satis  
esset decem. Sed pacem brevi spero vel belli taedium feret. Vale mi 10  
Craneveldi quo numquam mihi sodalis obtigi[t] quisquam carior. In  
rusculo meo prope Londinum xii die Novembris  
Tuus quantum suus  
Tho. Morus

107. To His Children and Margaret Gyge  
At Court  
3 September <1522?>

THOMAS MORUS CARISSIMIS LIBERIS SUIS AC MARGARETAE GYGE,  
QUAM INTER SUOS NUMERAT LIBEROS, S.P.D.

Litteras vestras Bristolensis ille mercator postridie quam  
a vobis tulit, ad me pertulit, quibus vehementer sum delectatus.  
Nihil enim ab illa vestra proficisci potest officina quantumvis  
rude sit, quantumvis illaboratum, quin mihi plus voluptatis  
afferat quam quicquid scripserit alius accuratissimum. Ita meus 5  
in vos affectus vestra mihi scripta commendat. Quamquam et  
citra illam merito placere possint suis aestimata virtutibus, lepore  
videlicet ac pura Latinitate sermonis. Itaque nulla fuit epistolarum  
vestrarum quae mihi non perplacuerit. Sed tamen ut ingenue  
dicam quod sentio, praecipue mihi arriserunt Ioannis litterae, tum 10  
quod erant longiores reliquis, tum quod in eas plusculum laboris  
ac studii videtur impendisse. Nam non solum belle depinxit, et  
castigate satis est elocutus omnia, verum suaviter etiam et non  
inepte ludit mecum meosque iocos non inconcinne retaliat, nec  
id amoene solum sed etiam temperanter, quo se declaret memorem 15  
esse se cum patre ludere, quem ita studeat oblectare, ut tamen  
vereatur offendere.  
Nunc exspecto a singulis in singulos fere dies epistolas. Nec  
excusationes has accipiam, si qua vestrum (nam Ioannes nihil  
tale solet praetexere) vel temporis angustiam causabitur, vel 20

praecipitem discessum tabellarii vel argumenti inopiam. Nam  
 vobis adeo nullus obstat scribentibus, ut etiam inhortentur omnes.  
 Tabellarium vero ne quid remoremini, an non praevenire licet,  
 biduoque ante peraratas atque obsignatas in promptu habere  
 litteras, quam offerat se vobis quisquam qui afferat? Materia porro 25  
 quo pacto deesse umquam poterit quam scribatis ad me? cui vel  
 de studiis vestris vel de ludis audire libet, cui vel tum placebitis  
 maxime, si quum nihil est quod scribatur, id ipsum scribatis effusissime,  
 quo nihil est facilius vobis, praesertim feminis, nempe  
 natura loquaculis, et quibus assidue. 30  
 [Maxima de nihilo nascitur historia.]  
 Verum hoc unum moneo seu seria scripseritis, seu meracissimas  
 nugas, omnia tamen diligenter et meditate scribi volo. Neque  
 nocuerit si primum Britannica lingua scribatis omnia, quae postea  
 multo commodius multoque minore labore transferetis in Latinam, 35  
 dum animus ab inveniendi studio liber solo intendet eloquio.  
 Quamquam ut illud arbitrii vestri facio, sic istud omnib. modis  
 iniungo ut quicquid effeceritis, id priusquam exscribatis in mundum,  
 diligenter examinatis; primumque dato ordine considerate  
 sententiam, deinde singulas partes excutiatis. Ita fiet, ut si qui 40  
 vobis exciderint soloecismi, facile deprehendatis; quibus expunctis,  
 et tota epistola de integro exscripta, tamen rursus examinare ne  
 pigeat. Nam solent interdum dum rescribimus vitia quae deleveramus  
 irrepere. Hac diligentia effeceritis brevi, ut vel nugae vestrae  
 seria videantur. Nam ut nihil est tam concinne salsum quod non 45  
 reddat insipidum futilis ac segura loquacitas, ita nihil suapte  
 natura tam insulsum quin meditando facile gratia et lepore condias.  
 Valet, liberi dulcissimi. Ex Aula, 3. Septembris.

#107. To Children

108. To Margaret <Roper>  
 At Court  
 11 September <1522?>

THOMAS MORUS MARGARETAE FILIAE SVAE CARISSIMAE S.P.D.

Epistola tua, dulcissima filia, qua me voluptate perfuderit,  
 supersedebo dicere. Poteris, opinor, plenius aestimare quam  
 impense placuerit patri, quum intelleges quos affectus excitarit  
 alieno. Sedere mihi contigit hoc vespere cum R.P. Ioanne, Episcopo  
 Exoniae, viro et litteratissimo et omnium confessione integerrimo; 5  
 quum inter confabulandum, ut fit, schedulam quandam quae  
 faciebat ad rem e loculo mea depromerem, epistolam tuam extraxi  
 casu. Delectatus manu coepit inspicere; ubi ex salutatione deprehendit  
 esse mulieris, legere coepit avidius. Sic eum invitabat  
 novitas. Sed quum legisset et (quod nisi me affirmante non erat 10  
 crediturus) tuam ipsius manum esse didicisset, epistolam, ut nihil  
 dicam, amplius talem—quamquam cur non dicam quod dixit ille?  
 —tam Latinam, tam emendatam, tam eruditam, tam dulcibus  
 refertam affectibus, vehementer admiratus est. Id quum sentirem,  
 protuli declamationem. Eam vero legens et simul carmina, re 15

tam insperata sic est affectus, ut ipse vultus hominis minime fucati facile planum faceret, animum eius verba, quamquam in tuas laudes effusa, longe superare. Protinus exemit e loculo nummum aureum Portugalensem, quem his inclusum litteris accipies. Eum quin me reciperem ad te missurum pro signa ac monumento animi erga te sui, nullo modo quivi declinare; quamquam id omnibus profecto modis conabar. Ea res impedimento fuit ne ceterarum etiam litteras ostenderem. Verebar enim ne videri possem in id ostendisse, ut simili in ceteras quoque benignitate uteretur; qua ego vel in te usum esse moleste ferebam. Sed est, ut dixi, talis ut ei placuisse felicitas sit. Scribe ad eum gratias accurate, et litteras quam potes elegantissimas. Gaudebis aliquando tali viro placuisse. Vale. Ex Aula xi. die Septembris, fere media nocte.

#108. To M. Roper

108a. To Francis Cranevelt  
<Chelsea?>  
<March? 1522>

Litte[ras tuas] carissime recepi quae mihi fuerunt ut omnia tua gratisissimae. Imaginem meam tibi curae fuisse habeo gratiam. Referet ipsa virgo quae te exigente <te> maiore cura est absoluta. Reliquis coronatos tres qui opere perfecto deberentur artifici credideram me apud quempi[a]m ex amicis istic reliquisse verum nunc effeci ut recip[iat] a Ioanne van Porter et <die> dimidium coronati pr[oprio meo] dono supra pactum si opus ostendet meruisse. Brug[ensium] mi Cranevelli mire me commoverunt tantae sordes in tan[ta] prodigentia qui immensas opes quum in ea consumpserint [re] quae quicquid impenditur perit unciatim reparare co[guntur] ex his decerpentes quibus aliquid potissimum con[venerit] adicere. Sed haec ipsorum ut vitio ita etiam malo f[iant] Nam tibi

113. To Conrad Goclenius  
London  
<c. November 1522>

Misit ad me pridem Petrus meus Egidius Lucianicum Hermotimum, Gocleni doctissime, a te versum et nomini mea dicatum. Quem quum acciperem valde sum equidem delectatus et tua in me humanitate et operis tum festivitate tum stili elegantia; in quo mihi videris etiam cum Graeco perquam feliciter certare. Quocirca nihil me fefellit Erasmus noster, cuius illustri et crebra de tua virtute et doctrina praedicatione prius mihi factus es carus quam notus. Iam vero postquam hoc accessit tamquam tuae vicissim erga me caritatis ac benevolentiae pignus, nec sane ob ullum meritum meum, etsi ante sic te dilexi, ut supra non posse mihi viderer, tamen nescio quomodo illi priori erga te amoris meo, cumulum non exiguum accrevisse sentio. Itaque effeci, tuis eruditissimis lucubrationibus aliis quoque apud nos compluribus ostensis, ut plures praeterea hic amicos habeas ac admiratores ingenii tui. Ego autem

siquid usu venerit in quo vel tibi vel tuorum ulli gratificari aut commodare potero, declarabo quam mihi fuerit officium erga me tuum gratum et iucundum. Vale, carissime Gocleni, mei omnes plurimam tibi salutem ab se ascribi rogarunt Londini. 15 #113. To Goclenius  
 Tuus quantulus est  
 Thomas Morus.  
 Eruditissimo bonarum litterarum professori, Conrado Goclenio.  
 Lovanii.

128. To Margaret Roper  
 <Woodstock?>  
 <Autumn 1523>

Explicare calamo non possum, vix etiam cogitatione complecti, quanta me voluptate perfuderunt elegantissimae litterae tuae, Margareta carissima. Aderat legenti iuuenis ut nobilissimus ita in omni litterarum genere doctissimus, nec virtute minus quam eruditione conspicuus, Reginaldus Polus. Huic miraculi vice fuerunt, etiam priusquam intellexit, quanta temporis angustia coartabar, quibus adversae valetudinis avocamentis distinebaris interea, dum tam longam scribebas epistolam. Vix etiam sibi persuaserat, praeceptoris tibi non corrogatam operam, quoad bona fide didicit neque praeceptorem quemquam esse domi nostrae, neque prorsus hominem quemquam, qui non in scribendis litteris tua magis opera egeat, quam sua quicquam tibi possit commodare. 5  
 %  
 Ego vero interea reputabam mecum quam id nimium verum esse comperiebam quod aliquando memini dixisse quasi per iocum tibi, quum id in tua fortuna miserebam quod ignoratio veri nonnihil esset de meritissima vigiliarum tuarum laude detractura, suspicantibus qui tua lecturi forent in labores tuos alienae aliquid operae insparsum atque impensum esse, quum tu una omnium minime digna sis de cuius laude debeat aliquid tali suspicione decedere, quae ne tantilla quidem umquam sustinere potuisti ut te alienis plumis ornares. Sed tu, Margareta dulcissima, longe magis eo nomine laudanda es, quod quum solidam laboris tui laudem sperare non pates, nihilo tamen minus pergis cum egregia ista virtute tua cultiores litteras et bonarum artium studia coniungere; et conscientiae tuae fructu et voluptate contenta, a populo famam pro tua modestia nec aucuperis nec oblatam libenter velis amplecti, sed pro eximia pietate qua nos prosequeris satis amplum frequensque legenti tibi theatrum simus, maritus tuus et ego; qui vicissim tibi quam maximo possumus affectu comprecamur faustum istum ac facilem partum, quem tibi tam cito scribis instare, quo faxit Deus ac Diva Virgo ut leniter ac feliciter enixa prole familiam augeas matri per omnia praeter sexum simillima; quamquam vel femella certe, modo quae sit eiusmodi ut quod sexus ei condicione deteritur, id olim aliquando studeat maternae virtutis et eruditionis aemulatione rependere. Nam ego certe puellam talem pueris tribus praetulerim. Vale, dulcissima filia. 15 20 25 30 35

133. To the University of Oxford

London

26 July <1524>

CONCILIO ET MAGISTRIS ACADEMIAE OXONIENSIS, AMICIS  
MAXIMIS SUIS.

Post obitum praeclarissimi Viri Thomae Lovelli, qui  
istius Academiae patronus et negotiorum actor fuerat, venit ad  
me vestro omnium nomine, Viri Doctissimi, procurator a vobis,  
qui mihi nuntiavit quam illius summi Viri mortem graviter ferretis;  
deinde, quum de alio in eius locum sufficiendo coieratis, me 5  
in primis habitum idoneum, quae vestra est in me benignitas ac  
amoris magnitudo, quem in eum magistratum crearetis. Quem  
equidem magistratum, tam candidis tamque faventibus suffragiis  
delatum, lubens admodum laetusque suscepi, quippe qui viderem 10  
inter tot praestabiles ingenio viros, qui et prudentia et auctoritate  
vobis plurimum prodesse possent, me potissimum esse delectum,  
cui vestra negotia, causas ac rationes omnes committere velletis.  
Quae res indicio mi[c]hi, et quid de mea diligentia iudicaretis et  
quanti meam operam semper faceretis, manifesto fuit. Quocirca,  
viri praestantissimi, quamquam antea semper tantam e vestra benevolentia 15  
voluptatem cepi, ut maiorem non posse mihi ipse viderer,  
vosque ego contra tanto prosequer affectu, ut quicquam ad eum  
accedere posse non existimarem, tamen post hanc recentem erga  
me benignitatem vestram, ita sum erga vos affectus, ac novo quodam 20  
gaudio ex vestro beneficio perfusus, ut propemodum nec  
vobis dilectus prius, nec vos dilexisse, viderer. Nam antehac ea  
vestra omni tempore extitere merita in me, quae non nisi a summo  
amore proficisci solent, atque haec singula ego haud aliter accepi,  
quam ab ingenua mente et grato animo talia officia accipi debeant.  
Verum haec proxima beneficentia, ceteris (veluti colophon) imposita, 25  
omnia superiora beneficia vestra simul ob oculos mihi  
adduxit atque deposuit, quae tamen animum meum nihilo segnius  
commovebant, quam quo die collata primum fuere, pro quibus  
cunctis ita gratias debere me existimabam et habebam ut si tum  
universa primum accepissem. Neque id eo accidebat, quod muneris 30  
eius habendi ulla cupiditate ducebar, sed quia mihi in mentem ita  
veniebat eos viros, quos ego ab adolescentia usque admiratus sum  
et colui, quos ego semper demerere studui, eisque carus esse in  
votis habui, sic de me ornando certatim laborare quasi id unum  
sibi studio haberent. Quamobrem, viri laudatissimi atque humanissimi, 35  
ago vobis gratias quantas possum maximas. Voloque de Moro,  
qui totus vester est et semper erit, sic vobis promittatis ac ea exspectetis,  
quae vel universi ab adiuratissimo fautore et amico, vel singuli  
a sodali aut fratre carissimo vellent optare. Ego omni studio,  
opera ac diligentia conabor ita me probare vobis, tum simul omnibus, 40  
tum cuique privatim, ut nec quisquam hac spe sibi falsus esse  
videatur. Valete, viri omnium mihi carissimi. Londini vii calend.

Augusti.

Totus ex animo vester  
Thomas Morus

#133. To Oxford

135. To Francis Cranevelt

London

10 August &lt;1524&gt;

S.D.P.

Quantum tibi debeam, mi Craniveldi, video et agnosco!

Ita numquam intermittis id facere quod est animo meo rerum omnium

iucundissimum, id est, de tuis rebus et amicor[um] ad me

scribere! Quid enim Thomae Moro aut debet aut potest esse vel

in adversis gratus, vel in laetis iucundius quam Craniveldii *του* 5*φιλιτάτου άνδρ[ων] άπάντων* epistolas accipere? Nisi quis ipsius

hominis colloquium praestare mihi p[ossit!] Quamquam quoties

tua scripta lego, ita ab illis afficior ut coram tecum interim colloqui

ipse mihi videar! Quamobrem nihil disserte doleo quam tuas

litte[ras] non esse longiores, quamvis et huic quoque malo quaecumque 10

remedium inve[niam:] eas enim quas accipio, perlego

saepius, idque lente facio, ut ne citata le[ctio] nimium cito voluptatem

auferat. *Καί ταυτα μεν δή ταυτα.*Quod de Vive n[ostro] scribis, *καί περί γυναικων διαλεγόμενος**των κακων* dico, adeo tuae sent[entiae] accedo, ut ne cum optima 15quidem sine omni incommodo vivi posse putem. *Κα[ί] γάρ] εάν**τιν ουν εχης γάμον ουκ άμεριμνος εσσαι,* vereque Metellus

Numidicus m[ea] opinione de uxoribus dixit! Verum id tum magis

dicerem si non nostrap[er] culpam] pravae magis redderentur pleraeque!

Verum tamen Vives eo ingenio, e[aque] pru]dencia est, 20

talemque est coniugem nactus, ut non solum omnem coniugii

mo[lestiam,] quoad eius fieri potest, vitare queat, quin magnam

quoque oblectatio[nem] indidem percipiat! Porro iam omnium

animi sic publica cura tenentur occ[upati,] dum belli furor ad 25

hunc modum ubique ardescit, ut nemini va[let ad] privatas sollicitudines

respicere! Quocirca si quem domestica nego[tia umquam]

gravarunt, ea communi malo obscurata sunt. Sed de his

satis.

[Ad te] redeo, cuius humanitas et amicitia erga me quoties subit

[menti (subit) autem saepissime), omnem mihi tristitiam excutit! 30

De libello que[m ad] me misisti habeo gratiam; et gratulor tibi

vehementer no[va pro]le aucto, neque sane tua magis quam

Reipublicae causa, cuius refert plur[imum] qui parentes numerosissima

procreatione ipsam adaugeant: ex te [enim n]isi optimum 35

nasci non potest. Vale et [uxor]em tuam optimam ex me diligentissime

atque officiosissime saluta, cui faustam ac felicem valetudinem

ex animo precor. Uxor mea et liberi salutem tibi comprecantur,

quibus nostra praedicatione non minus notus et carus

es quam mihi ipsi. Iterum vale. Londini, iiii. Idus Augusti.

Plus quam totus tuus 40

Thomas Morus

#135. To Cranevelt

138. To Francis Cranevelt

London

16 May &lt;1525&gt;

Litteras tuas, mi Craniveldi, suavissimas laetus accepi  
 quas Gandavi ad me dedisti, ex quibus intellexi et te, et tuos omnes  
 recte valere, id quod mihi fuit gratissimum. Ego quoque, ut vicissim  
 de me cognoscas, meique omnes belle valemus, Superis gratia.  
 Vives noster, quum tuas accepi, ad uxorem decesserat. Libellus ille 5  
 ineptus de quo scripsisti, adversus Erasmum nostrum editus, iam  
 pridem apud nos erat; qui et mihi et multis aliis visus est sub eментiti  
 auctoris titulo emissus; quamobrem cuperem per te inquiri  
 quis verus auctor fuerit; quis ad typographos attulerit: potest enim  
 forsitan ab eis disci. Quod si comperiri potest, quaeso certiolem 10  
 facias me, ut mihi innotescat etiam iste asinus qui alterius ferae  
 pelle sese texerit. Fevinum convaluisse tam gaudeo quam morbum  
 sensisse doleo; cui, atque uxori tuae optimae, salutem ex me dicas  
 rogo plurimam. Novi in meis rebus nihil est. Mitto tibi et coniugi  
 annulos aliquot consecratos munusculo, et salutem multam. Vale, 15  
 vir carissime.  
 Londini, postridie Idus Maias.  
 Plus quam totus tuus,  
 Thomas Morus.  
 Praestantissimo viro Francisco Craniveldio, Gandavi. 20

139. To Francis Cranevelt

London

6 June &lt;1525&gt;

MI CRANEVELLI, SALVE.

Litteras tuas breves accepi, quibus cogor respondere  
 brevioribus. De Luthero quod audisti verum est. Adventus meus  
 dilatus est, sed in Augusto spero me futurum tecum. Interim vale  
 cum uxore, diurna mea, nocturna tua, domina vera communi.  
 Londini, celeriter; vi Iunii. 5  
 Tuus Thomas Morus.  
 Ornatissimo vira D. Francisco Cranavellio, Brugis.

142. To Francis Cranevelt

Lodon

22 February &lt;1526&gt;

Dulcissimae mihi fuerunt litterae tuae, Cranevelde  
 carissime, quas mihi reddidit Harstus. Picturas coniugum cum tua  
 descriptione conferens, perspexi plane id quod gaudeo, vel dominae



causa te nondum senescere, quum adhuc sis tam egregius formarum  
spectator. 5 #142. To Cranevelt

Convenit inter Monarchas pax, quam diu duratura novit Deus;  
ego perpetuam opto, nec omnino despero. Sic sunt edocti bellorum  
mala, ut satis videant ex re sua non esse ut repetant. Sperarem  
tamen securius, si paulo mitioribus condicionibus quam quae, non  
satis certo, feruntur, inita fuisset concordia. Nebulones qui conspirarunt 10  
in Taxandri nugas, velut serpentes evomito veneno, sese  
abdiderunt in tenebras, sed infamia scurrarum versatur in luce.  
In morte Dorpii plurimum profecto perdiderunt bonae litterae;  
cui quod tam elegante carmine iusta solvisti, vehementer, mi 15  
Cranevelde, laudo. Dominam uxorem tuam et item meam, mea  
nomine, rogo, saluta plurimum. Vale, doctissime Cranevelde, et  
animo mea carissime.

Londini, xxii Februarii; raptissime.  
D[omi]no Cranepfeldio, Mechliniensi consiliario.

143. To John Bugenhagen  
<c. 1526>

DOCTISSIMA SIMUL AC ELEGANTISS. D. THOMAE MORI CLARISSIMI  
VIRI EPISTOLA, IN QUA NON MINUS PIE QUAM FACETE RESPONDET  
LITTERIS CUIUSDAM POMERANI, HOMINIS INTER PROTESTANTES  
NOMINIS NON OBSCURI.

Redeunti domum ex itinere tradidit e ministris quidam  
litteras mihi, quas accepisse se dicebat ab ignoto quopiam. Ubi  
resignavi, reperio, Pomerane, haud scio cuius manu, sed nomine  
scriptas tuo: verum ita scriptas tamen, ut neque nominatim, neque 5  
in genere missae viderentur ad me. Inscripseras enim: *Sanctis qui  
sunt in Anglia*. At ego quam procul invitus ab illis disto, in quos  
vere tantus competat titulus: tam longe libens absum ab iis, qui  
soli sancti sunt, Pomerane, tibi: cui nihil sanctum esse, praeter  
Lutherani sectam, video.

Itaque primum demirabar mecum, quid ei, quicquid erat hominis, 10  
venisset in mentem, ut epistolam talem potissimum curaret  
obtrudendam mihi, qui me Lutheranum negotio numquam immiscueram.  
Verum pressius expendenti rem subiit dubitatio, ne,  
quod in ea re nihil hactenus me commovissem, id ipsum fortassis 15  
in causa fuerit, ut idoneus existimatus sim, qui tali tentarer epistola.  
Nam quum omnes hic mortales passim adversus execrabiles eius  
haereses clamarent, nec ego ea de re quicquam fere loquerer, quod  
neque Theologus eram, nec ullam personam gererem, ad quam  
eius ulceris cura pertineret; Lutheranum quempiam spem concepisse 20  
reor fore, ut aequitatem meam facile talis Epistola, tam in  
speciem pia, pelliceret in partes suas.

Haec ego mecum reputans, tametsi nihil responsi tuae requirebant  
litterae, et ego plane decreveram ab eiusmodi pestis attacku  
noxio semper abstinere, tamen quia mihi res obtrusa est, et fors 25  
tacendo forem spem improbam porrigentis aucturus, statui potius

ad litteras tuas rescribere, quo testatum reddam omnibus, me quantumvis rudem rei Theologicae, constantius tamen esse Christianum, quam ut sustineam esse Lutheranus. Respondebo igitur singulis Epistolae tuae partibus, quo facilius scire possis, quantum quaque parte profeceris. Hunc ergo in modum incipis: 30

*Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino nostro Iesu Christo.*

Nihil est his in verbis mali, sed fecisse modestius videreris, si mores Apostoli potius esses imitatus, quam si tibi arrogasses Apostolicum stylum. Nam Apostolicum est propemodum et illud: 35

*Non potuimus non gaudere, quando audivimus et in Anglia Evangelium gloriae Dei apud quosdam bene audire.*

An non haec dum legit, interim lectori subit Apostolus Ecclesiae quondam in cunis adhuc lactenti congratulans? Quem tu, Pomerane, demum quam concinne nunc imitaris, scilicet? Quasi velut 40

olim, tempore Apostolorum, Corinthiis Evangelium praedicari coepit aut Galatis, ita nunc tandem praedicantibus vobis, Evangelium audiri coeperit et placere Britannis; atque id tamen tam nuper et parce, ut ne adhuc quidem in Britannia bene audiat Evangelium Dei, nisi apud quosdam. 45

Quid tu appelles Evangelium, nescio: verum id scio, si id fateris esse Evangelium quod in mundum protulit Christus, quod quattuor olim Evangelistae scripserunt, Matthaeus, Marcus, Lucas et Ioannes, sic intellectum quomodo veteres omnes Ecclesiae Proceres interpretati sunt, et totus Christianus orbis annos iam plus quam 50

mille et quingentos et intellexit, et docuit: istud, inquam, Evangelium annos plus minus mille perpetuo bene audiit in Anglia, usque adeo ut illis etiam passim hic placeret ac probaretur Evangelica fides, quorum fragilitas erat infirmior, quam ut mores praestarent Evangelio dignos. Sin Evangelium videri postulas 55

nova ista, perniciosa et perabsurda dogmata, quae velut Antichristus, nuper Lutherus invexit in Saxones, quae Carolostadius, Lambertus, (Ecolampadius, ac tute, non aliter ac Lutheri Cacangelistae promovetis, ac per orbem spargitis: sunt in Anglia profecto, id quod nos non gaudere non possumus, vix quidam apud 60

quos adhuc bene audiat istud Evangelium vestrum.

*Ceterum et illud nobis annuntiatum est, multos infirmiores adhuc averti, propter rumores nescio quos qui istic feruntur ab illis, qui Evangelio Dei adversantur, de nobis. Haec est gloria nostra: tantum abest, ut mendacia in Evangelii professores iactata 65*

*refellenda duxerim: alioqui in quo videretur illa beatitudo? Beati eritis, quum maledixerunt vobis homines.*

Avertuntur a vobis haud dubie non infirmiores, sed multo firmiores in fide: non propter ulla mendacia, quae iactantur in Evangelii professores (sic enim vocas Lutheranos) sed propter assidua 70

scelera, quae nimium vere designatis vos Evangelii perversores.

Nam quaeso te, quae mendacia feruntur de vobis? Aut quomodo Evangelium profiteamini? An mendacium esse contendes, si quis factionem vestram dicat bonam Germaniae partem 75

tumultu, caede, rapinis, incendio devastasse? Audebis eos mendaces dicere, qui vestram doctrinam impiam, tot scelerum, tot

#143. To Bugenhagen

## #143. To Bugenhagen

damnorum, tot vastitatum causam esse testantur? An seditiones  
 movere, laicos in Clerum concitare, plebem in Magistratus armare,  
 populos adversus Principes incendere, pugnas, ruinas, bella, strages  
 procurare, idem esse probabis, quod Evangelium profiteri? Dic, 80  
 obsecro, nobis, egregie professor Evangelii, destruere Sacramenta  
 Christi, Sanctos Christi spernere, Matrem Christi blasphemare,  
 Crucem Christi contemnere, vota Christo facta vilipendere, dicatum  
 Christo caelibatum solvere, virginitatem Christo consecratam  
 polluere, monachos ac velatas Christo virgines ad coniugium, 85  
 hoc est, ad perpetuum stuprum hortari, nec hortari solum verbis  
 improbis, sed exemplo quoque foedissimo provocare: Dic, inquam,  
 praeclare professor Evangelii, vel tu Evangelista Lutheri, vel  
 Christus tuus Lutherus ipse, an haec flagitia facere et docere, id  
 demum sit Evangelium profiteri? 90  
 Avertuntur igitur a vobis haud dubie (quod dixi) non infirmiores,  
 sed multo firmiores in fide: non propter ea tantum, quae  
 vere narrantur de vobis, id est, ob ea quae tam scelerate passim  
 vestra designat factio, propter quae Deus ultione manifesta facinorosam  
 sectam persequitur; verum etiam quod talia vident esse 95  
 vestra dogmata, quae pugnent exitialiter adversus doctrinam  
 Christi.

Qua in re quamquam habeant contra conatus vestros in plerisque  
 omnibus aperta Scripturae verba, tamen quo minus dubitent in  
 Scripturae sensu non hallucinari se, habent adversus inconditos 100  
 clamores vestros (quibus nimirum solis probata vultis haberi,  
 quae dicitis) primum sanctissimos quosque Patres, quotquot olim  
 illustrati divinitus, et Scripturas elucidarunt, et optimorum exemplo  
 morum, Christiani populi promoverunt pietatem. Habent 105  
 deinde totius Orbis Christiani per tot aetates, quot a Christo passo  
 fluxerunt adusque vestra tempora, perpetuum consensum: quem  
 si contenditis absque Sancto Spiritu conspirasse, qui facit unanimes  
 in domo; si videri vultis Ecclesiam totam per tot saecula, seducente  
 Diabolo, in unum consensum potuisse coalescere adversus Evangelium  
 Christi; quid aliud agitis, quam ut funditus omnem adimatis 110  
 Christi Evangelio fidem? Quippe quod (ut ipsi fatemini) nec  
 agnosci quidem posset, nisi commonstraret Ecclesia.

Habent adversus vos et illud, quod ea quae iam docetis vos,  
 pleraque omnia docuerunt ii, quorum errores iam olim damnarunt  
 Patres, quorum convictum semper explosit Ecclesia, quorum impietatem 115  
 supplicio detexit Deus; quum vos e diverso nihil habeatis  
 omnino, quod adversus beatorum Patrum vitas (quorum memorias  
 tot aetates Ecclesia veneratur) prorsus possitis hiscere. Illi  
 ergo quum universi nostram fidem propugnent, vestraque prosternant  
 dogmata, quis non se declaret insanum, qui vestros velit 120  
 auctores eo sequi, quo suus eos demersit error, ac non iis malit  
 adiungi, quos cum Christo regnare, nec vos dubitatis, qui, quoad  
 potestis, per odium illis atque invidiam detrahitis? Nam initio,  
 quum falso vobis esset persuasum, vos omnia solos scire, orthodoxae  
 fidei studiosis nihil usquam legi praeter concertationes 125  
 scholasticas, tum freti (ut videbatur vobis) aliena ignorantia,  
 profitebamini sanctorum Patrum sententiis vos staturos. At posteaquam

vos vidistis vestra spe atque opinione falli, et iam decreta  
 vestra passim sanctissimorum virorum testimoniis redargui, tum  
 vero vobis e superbia tam immanis natus est livor, ut dum Superis 130  
 pudet cedere, statueritis inferis omnia devovere. Sic ea demum  
 nata est apud vos et impia simul et insanissima blasphemia: *Non  
 curo decem Hieronymos, non curo centum Cyprianos, non curo  
 mille Augustinos, non decies mille Chrysostomos.*

Denique ne quid officeret luminibus vestris Sanctorum cum 135  
 Christo regnantium gloriosa maiestas et splendor, aggressi estis  
 conceptam de illis opinionem revellere, dignationem lacessere,  
 auctoritatem detrahere, cultum omnem atque honorem, quoad  
 potuistis, auferre. Sed illi, Pomerane, fortes et invulnerabiles, et  
 iam in sublimi petra collocati, conatus vestros invalidos, ut parvulorum 140  
 sagittas, irrident. Honorantur enim, et honorabuntur semper  
 amici Dei, et vivet eorum memoria in saeculum saeculi; quum  
 eorum interim omnium, quos vester error tam multiplex, ab haeretico  
 quisquis erat primo, per tot aetates habet auctores, memoria 145  
 perierit cum sonitu. Nam quum tot orthodoxi libri, per tot saecula  
 sic servati sint, ut pretium cum tempore creverit; haeticorum  
 omnium, paulo post suam cuiusque mortem, sic interierunt opera,  
 ut hodie nullius antiqui quicquam prorsus extet usquam. Nec  
 tamen olim, quum peribant illa, legibus adhuc erat cautum, ut 150  
 addicerentur ignibus: ut plane testatum sit, ipsius Dei manu factum,  
 ut haeticorum telae velut aranearum casses deciderent, et  
 per se neglectae sordibus et situ funditus exolescerent. Nec dubium  
 est, quin vestris quoque laboribus (qui multo maiorem moliuntur  
 Christianae pietati perniciem) haud minus pernix instet atque 155  
 incumbat interitus, quum sanctorum interim Patrum (quantumvis  
 ringatur invidia) et venerabilis erit memoria et in manibus  
 florescent opera, e quibus adversus vestra venena (quibus alium  
 Scripturae fontem inficitis) assidue sugat populus fidelis antidotum.  
 Quorum consensus Patrum, ut fortiter adversus vos consistit,  
 ita non minus fortiter vestra vos oppugnat dissensio, qua 160  
 non singuli solum pugnant inter se, verum etiam quisque passim  
 dissentit sibi. Verum ut ista, quae dixi, multaque itidem alia  
 Catholicos avertunt a vobis, ita procul dubio cordatos viros abstrahunt  
 et illa factionis vestrae plusquam scelerata facinora.

Qua in re rursus ac rursus miror, ita me amet Deus, qua fronte 165  
 possis scribere, mendacia confingi de vobis, et eam esse omnem  
 gloriam vestram. Adeo tibi fugit pudor omnis, ut sustineas dicere,  
 ea falso factionis vestrae sicariis impingi, quae nec ipse nescis,  
 nimium vere passim magno cum Germaniae tumultu, et tot millium  
 internecone patrari? Et quum tam immania sint sacrilega 170  
 illa facinora, quibus grassatur in praeeptis effrenata licentia praetextu  
 libertatis Evangelicae, ut vix ulla sit urbs in bona parte Germaniae,  
 vix oppidum ullum, villa, domus, rusculum, ubi non ista  
 vestra factio rapinae, stuprorum, sanguinis, sacrilegii, caedis, in-  
 cendii, ruinae ac vastitatis tristissima monumenta reliquerit; tu 175  
 nobis interim, Pomerane, quam Evangelice succinis? *Haec est  
 gloria nostra.* Nec dignaris refellere, sed beatos praedicas esse vos,  
 quum vobis maledicunt homines. Recte ista, si mendacia in vos

#143. To Bugenhagen

confingerentur. Recte, si ideo vobis maledicerent homines, quia  
vos bene faceretis. At nunc quid dicere possis ineptius, quum vos  
vere tanta mala et facitis, et docetis, ut maiora de vobis ne fingere  
quidem quisquam possit? Et quam praeclare gloriaris, quasi beati  
sitis, scilicet, quod vobis maledicant homines propter iustitiam:  
quum re vera propter iniquitates vestras, propter scelera, seditiones,  
caedes, rapinas, haereses, et perniciose schismata meritissimo  
iure vobis et homines maledicant, et Deus? 180 #143. To Bugenhagen

Sed istud videlicet animos tibi facit, quod ista Wittenbergae  
non fiant: nam ita videris tibi praeclare moderari sermonem, quum  
statim ista subiungis: 185

*Neque tamen defendimus, si qui alibi praetextu Christianae  
libertatis quid designent non Christianum: quandoquidem non  
omnes Christum induerunt, qui Christi nomen sibi vendicant.* 190

Quam modeste, quam parce moderaris istud, Pomerane? Si qui,  
Si quid, Si alibi, Si non Christianum: quum intellegas, et ubique  
fere, et omnes, qui quidem vestri sint, et omnia, non solum non  
Christiana, verum etiam passim designare plusquam Diabolica. 195

Quod si Wittenberga sibi temperaret ab istorum societate facinorum,  
an id satis esse causae censes, unde vestris dogmatibus  
accrescat auctoritas: e quibus videamus reliquam Germaniam  
totam concuti, periclitari, subverti? Verum quis credat integram  
scelerum Wittenbergam esse, qui videat ex illo fonte profluere  
totam istam lutulenti caeni colluviem, quae tam late terras omnes  
tetra peste pervasit? 200

Integra scilicet Wittenberga sit, in qua Lutherus scelerum caput,  
malorum machinator et artifex, truculenti Dux exercitus castra  
sibi fixit; ubi legatis assidentibus vobis in horas initur consilium,  
quo non aliud quam de movenda seditione, de surruenda fide,  
de exstirpanda Religione, de profanandis sacris, de corrupendis  
moribus, de prostituendis Virginibus, de populanda virtute tractatur. 205

Unde velut e Praetorio datur signum, petuntur tesserae,  
mandata mittuntur, et summittuntur auxilia. Vos ardentem facem  
in totam immisistis Germaniam. Vos ingentem flammam, qua  
nunc ardet orbis, accendistis. Vos adhuc flatu noxio sceleratum  
promovetis incendium. Et quum haec et illustriora sint, quam ut  
latere, et sparsa latius, quam ut negari, et magis perniciose, quam  
ut tolerari queant; tu, Pomerane, tamen quam sancte nobis ista  
praescribis ? 210

*Hoc certe miramur, cur sacrum Christi Evangelium quidam  
istic verentur suscipere: propterea quod de nobis mala dicuntur,  
ignorantes quod oportet Filium hominis reprobari a mundo, et  
stultitiam haberi praedicationem Crucis.* 215 220

Desine, Pomerane, mirari, et omnes vobis desinite tam impense  
placere, quam falso. Neque sic insaniatis, ut velitis e duobus aut  
tribus Apostatis, et a Christi fide transfugis, totam aestimare  
Britanniam. Si minus tibi notus est populus (quem si pernosces,  
aliter sentias) si minus noti Pontifices, (qui si cuiusmodi sunt,  
intellegeres, improbam istam spem deposuisses), at vel ex eruditione  
notior tibi sit necesse est, quam ut eius dicionem debeas tibi  
corrupendam sumere, huius incluti regni Princeps, non magis 225

invictus, quam pius, quum sit invictissimus. Is quum iam pridem 230 #143. To Bugenhagen  
 praeceptorem tuum Sacramenta Christi oppugnantem clarissimis  
 Scripturis et evidenti ratione prostraverit: unde tibi tandem fiducia  
 crevit, ut eius populum te speres posse seducere? An quod absque  
 manuum impositione, contra sacras litteras, contra Sanctorum dogmata,  
 contra totius Ecclesiae perpetuam consuetudinem, ausus 235  
 es Episcopi tibi nomen arrogare Wittenbergae, ibique, velut officii  
 sancti doctrinam salutarem, praeter invectas haereses alias, adiuncta  
 tibi, quum Sacerdos esses, ac vovisses castitatem, libidinis tuae  
 socia, docere sis ausus homines, Deo dicata vota neglegere: idcirco  
 viam tibi factam censuisti, qua Pontificis munus obires apud Anglos, 240  
 atque id tam valde magnifice? Tamquam apud nos successus  
 omnis Evangelici negotii prorsus penderet a vobis, velut si vos  
 hic bene audiat, prosperet Evangelium: sin laboretis infamia,  
 res Evangelica simul abeat retro.  
 Ne vos profecto magnifice fallimini. Nam nec Evangelium hic 245  
 tam parvi sit, neque vos tam magni, ut propter vos aut recipiatur,  
 aut repudietur Evangelium. Sed nec Filius Hominis reprobatur a  
 nobis, nec habetur pro stultitia praedicatio Crucis. Immo (quae scandalum  
 Iudaeis est, et stultitia gentibus) ea Christi Crux gloria est  
 Christianis nobis. Sed profecto ridiculum est, quoties audimus 250  
 Lutheranos magnifice loquentes de Cruce, quum in Crucem ipsam  
 Christi (quae sacrum et venerabile corpus eius in sua Passione,  
 nostra vero redemptione gestavit) ipsorum Christus Lutherus,  
 homo non una tantum cruce dignus, tam impias passim blasphemias  
 evomat. 255  
 Quas ne quis me putet fingere, legat, qui volet, execrandam eius  
 contionem de Cruce. Quae scelerata contio, una cum aliis eiusdem,  
 et aliorum item e vobis, multo adhuc sceleratioribus libellis, quum  
 nusquam fere non prostent, nusquam non odorem taetrum et tartareum  
 virus exhalent; tu tamen, perinde ac si codices omnes vestri 260  
 dilaberentur e caelo, merum nectar, meram redolentes Ambrosiam  
 non erubescis hoc pacto scribere:  
*Quid si verum esset, quod de nobis mentiuntur propter Christum:  
 ipsi scilicet ideo non susciperent a Deo oblatum Evangelium  
 salutis? Quid stultius quam ut magis curiosus sis ad meam iniquitatem,  
 quam ad tuam salutem? Ideo tu nolis esse Christianus, quia  
 ego sum peccator?* 265  
 Pape, quam praeclare simul et facete, scilicet! Quasi mentiantur,  
 qui te, quum sacerdos esses, et caelibem castitatem promisisses Deo,  
 nunc duxisse dicant uxorem, id est, quum videri velis Episcopus, 270  
 publicum et perpetuum esse scortatorem. Aut quasi mentiantur,  
 qui de Lamberto vestro, qui Franciscanus erat, ac de multis praeterea  
 Lutheranis aliis idem praedicarent; aut mentiantur denique,  
 qui Lutherum ipsum dicerent, quum Augustinianus erat, per  
 stuprum iunxisse sibi, velut coniugem, diu iam dicatam et Deo 275  
 direptam Monacham; aut qui vos omnes dicat haereses impias  
 et insanas invehere, aut vestram factionem clamitet multa passim  
 flagitia designare. Quam rem nimium veram esse, utinam non  
 tot locorum miserae vastitates, non tot millium doctrina vestra  
 seductorum strages miseranda comprobaret. 280

Sed ista tot scelera vestra tamen obstare non debent, quominus recipiamus a vobis Evangelium salutis, quasi nunc primum per vos offerat nobis Deus Evangelium salutis. Evangelium ergo Christi, quod Evangelistae scripserunt, quod praedicarunt Apostoli, quod Sanctissimi Patres interpretati sunt, non erat Evangelium salutis? Nec hactenus a Christo passo quisquam servatus est, quoad nunc demum vos elegit Deus, per quos servaret mundum, ac miseris, et hactenus per Apostolos et Evangelistas, perditis et seductis mortalibus, offerret Evangelium salutis? Certe, Pomerane, si vera sunt ista (ut sunt profecto verissima) quae tu mentiris, nos mentiri de vobis, haberi non debet absurdum, si respicientes impietatem vestram, non satis fidamus vobis, nec satis credamus idoneos, qui (quum tam foedis ulceribus laboretis ipsi) salutem afferatis aliis. Nam si hactenus per tot saecula non habuissent Christiani verum Evangelium Christi, sed in fide Christi tota tot aetates errasset Ecclesia; non esset dubitandum, quin bonos et pios esset electurus Deus, quibus hoc demandaret negotii, ut in novitatem spiritus a carne revocarent mundum, additurus haud dubie tantae rei, quae fidem facerent praedicationi, miracula. Nec tantam rem tam neglegenter ageret, ut quos olim suam fidem praedicare vetuit (quum per Prophetam peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?) eos nunc demum solos, per quos praedicaretur, eligeret. Et cum eis credi vellet ab omnibus, nihil tamen omnino faceret, cur eis credere quisquam aut deberet, aut posset. Nam quod Lutherus haberi postulat pro miraculo, quod tantum Christiani populi tam brevi tempore a Christi fide in ipsius desciscat haereses; facit certe absurditas earum et insania, ut nonnihil monstri simile videatur, quemquam, cui scintilla sit ulla sensus humani, tantum umquam posse furiosae persuasionis admittere. Ceterum ad propositam vitae libidinosae licentiam populum praecipitem ruere, id habet tantam miraculi speciem, quam saxa deorsum cadere.

Iam quod ita, Pomerane, quaeris, cur non sequuntur Pauli regulam: Omnia probate, quod bonum est tenete. Hoc unum Pauli verbum vestra subvertit omnia. Nam quum omnia probando, vestra comperimus pessima, tenemus quod bonum est, nempe quod eos docuisse legimus, quorum sibi placuisse Deus et vitam testatur et fidem. Respuimus vestra, quoniam sanctorum Patrum sunt et moribus et doctrinae contraria, et, quod est adhuc amplius, adversa publicae fidei tot aetatum totius Ecclesiae. Cuius fidem nisi regat Deus, et Evangelii vacillat auctoritas, et non est verax in verbis veritas, quae se promisit cum ea futuram usque ad consummationem saeculi.

Sed iam operae pretium fuerit, considerare paululum: quam tecte, quam timide doctrinae vestrae ulcus attingis.

*Verum aiunt, inquis, rudiores: quis ista tam varia capere poterit? Disputatur enim de libero arbitrio, de votis et sectis monasticis, de satisfactionibus, de abusu venerandae Eucharistiae, de cultu Sanctorum, de statu defunctorum, de purgatorio. Alii aiunt: veremur, ne sub ista varietate lateat venenum.*

Non recte rem accipis, Pomerane. Neque enim veretur quisquam,  
 ne sub ista varietate lateat venenum. Immo videmus et scimus,  
 verissimum esse et manifestum toxicum, quod vos his de  
 rebus omnibus, non sobrie quidem disseritis, sed impie atque  
 arroganter decernitis. Nam quum eo nomine soleatis insectari  
 Theologiam scholasticam, quod illic cum periculo veritas trahatur  
 in dubium; a vobis falsitas pro indubio adversus verum asseritur,  
 et quod illic pro argumento proponitur, id unum apud vos pro  
 veritate concluditur.

Quaeritur in scholis, sitne aliqua libertas arbitrii, an omnia  
 temere agantur, an regantur fato: An divinae maiestatis voluntas  
 indeclinabilis ab aeterno sic decrevit omnia, ut in tota rerum  
 natura nihil admittat omnino, quod in utramlibet partem sese  
 possit convertere: An pugnent inter se humani arbitrii libertas,  
 et Dei praescientia: Nostrae voluntatis libertatem an Adae peccatum  
 peremerit, an perimat Christi gratia. Haec atque huiusmodi  
 talia quum proponuntur in scholis, si sobrie disserantur et proposito  
 pio, non exiguum certe fructum affert disputatio. Conveniunt  
 enim in disceptationem nihil de fine dubii, quippe qui conclusiones  
 earum rerum omnium firmas et inconcussas semper  
 circumferunt secum, impressas videlicet cordibus Fidelium omnium  
 ex fidei Christianae dogmatibus, plerasque etiam publico  
 quodam communis sensus proloquio. Nam quotus quisque est,  
 qui quidem sensum aliquem habet rationis humanae, qui non  
 sibi persuadeat, et Deum, qui facit omnia praescire omnia, et  
 sese tamen experimento sentiat, actiones suas non aliena vi, sed  
 sua voluntate peragere? Iam quum rationes aut Scripturae proferuntur  
 adversus eam partem, quam illi veram habent atque  
 infallibilem, utiliter exercent ingenia, et aspirante Deo, qui pios  
 conatus promovet, multa perspicue solvunt, de quibus et Deo  
 gratias agunt, et non ipsi modo iucundissimam atque honestissimam,  
 addo etiam sanctissimam, animi voluptatem capiunt, verum  
 aliis etiam doctrinae scitu dignae salubres fructus afferunt. Scripturas  
 enim in speciem veritati contrarias clariorum collatione  
 scripturarum dilucidant. Quod si quis in sacris litteris textum  
 alicunde quempiam ita durum arbitretur ac difficilem, ut ipsi nullius,  
 neque veteris cuiusquam, neque recentioris interpretatio  
 satisfaciatur, quo minus publico alicui fidei Catholicae articulo  
 videatur occurrere; statim succurrit illi, quod beatissimus pater  
 Augustinus admonuit, aut aliquam librorum mendam impedire,  
 aut eius loci sensum se non satis assequi. Neque enim quisquam  
 sacrarum litterarum locus adeo me commovere debet, ut si quid  
 adversus ea dicere videatur, quae pro certis et indubitatis articulis  
 amplexa est Ecclesia Christi Catholica, a gnae et germanis fidei  
 Christianae dogmatibus dimoveatur atque depellatur. Quippe quae  
 certo persuasum habeam, eundem Spiritum cordibus inscripsisse  
 fidelium, qui adfuit scribentibus Evangelia, atque ideo quicquid  
 illi scripserunt, Ecclesiae fidei esse consentaneum: si quale scriptum  
 est, tale perseveret, et quo sensu scriptum est, eodem queat  
 intellegi. Quod si aut vitium litteris obvenerit, aut textus ex se  
 sit obscurior, non est cur quisquam debeat minus habere pro

#143. To Bugenhagen

335

340

345

350

355

360

365

370

375

380



certis, quae Christus docuit Ecclesiam suam, quam per Spiritum sanctum docuit omnem veritatem, et se cum ea promisit ad finem usque saeculi futurum: curaturum nimirum (quod precibus impetravit a Patre) ne ullis librorum mendis (quas per studiosorum hominum laborem sanctum repurgat in dies) nullis litterarum ambagibus (quas, quibus ipsi temporibus visum est, per eruditorum calamos virorum explicat) nullis tyrannorum persecutionibus (quos Martyrum suorum victoriis subiugavit) nullis haeticorum conatibus (quorum ora per orthodoxorum Patrum libros obstruit) nullis denique machinamentis Diaboli (quem ipse prostravit in cruce) fides Ecclesiae possit deficere.

Quod si quid humanae rationis inter disputandum videatur oppugnare veritatem, nihil ex ea re deperit pietati, quando ea quae fidei sunt, certum sit atque exploratum, ut divina revelatione fulciri, sic rationem omnem mortalium longissime superare. Itaque sicut quaedam tanto spectamus iucundius, quanta minus eorum causam rationemque possumus deprehendere. Sic eo magis in suavissimam divinae maiestatis admirationem subvehimur, quo magis ea dissidere videntur et inter se pugnare, quae simul tamen consistere et consentire sit indubitatissimum. Sic et sine noxa, Pomerane, et non absque fructu, talia disputari possunt in scholis, quum vos interim, qui Scholasticas disputationes tamquam veritatis altercatrices, et mysteriorum temeratrices invaditis, conclusiones absurdissimas, et haereses insanissimas adversus homines omnes, adversus Deum ipsum credendas omnibus absque seria ulla disceptatione praescribitis. Et quicquid vanitatis asserit Lutherus, illud irrefragabile, et quod Graeci dicunt *ἀκίνητον*, haberi postulatis; ut rationem poscentibus impii atque insani dogmatis, satis haberi debeat, quod *ἀντὸς εἶφα*, nimirum, quia se certum clamat ipse, dogmata sua se habere de caelo. Et quum praeter ipsius commenta stolidissima, contra perpetuam totius Ecclesiae sententiam nihil habeatis, tu tamen, Pomerane, ut conclusiones istas pulchre videaris astruere, omnia fingis vobis apertissimis sacrarum litterarum testimoniis esse comprobata.

*Quasi vero nos agamus, inquis, persuasibilibus humanae sapientiae verbis, et non manifestissimis Scripturis, quibus ne portae quidem inferorum hactenus praevalere potuerunt; aut quasi adversarii nostri aliud contra nos producant, quam statuta et traditiones humanas, quas damnat Dominus, Esaiiae. 20. et Christus, Matthaei. 15. Quid ergo veneni hic timebis, dum in occulto agimus nihil, et omnia nostra toti mundo proponimus iudicanda?*

Dixti, Pomerane, pulchre, quasi non Dei traditiones sint, quibus Ecclesia Dei nititur in Sacramentis et Articulis fidei. Quasque non istud vobis et alii praeterea viri docti, et Rex illustrissimus Angliae, ratione, scripturis et concordibus orthodoxorum Patrum sententiis probasset apertissime, ad quae nemo vestrum hactenus verbum respondit ullum. Aut quasi vos Scripturis probetis omnia, ac non potius glossematum vestrorum somniis, adversus veterum omnium doctissimorum et sanctissimorum sententias, sacrarum litterarum Auctoritatem ad sacrilega dogmata vestra detorquentibus. Aut quasi non omnes haeretici semper idem fecerint, quod nunc

#143. To Bugenhagen

385

390

395

400

405

410

415

420

425

430

facitis vos; nempe ut venena sua toti propinarent orbi, et poculum  
 circumferrent palam Scripturarum melle circumlitum, quas ipsas  
 non minus fidenter, quam vos, clamabant esse clarissimas. Nam  
 quid aliud olim clamabant Ariani, quam quod nunc clamatis  
 Lutherani: Scripturas esse pro se manifestissimas, adversarios  
 humanis tantum statutis inniti, quae damnaret Dominus? Quid  
 aliud clamabant et haeretici omnes reliqui, et ipsi cum primis  
 Pelagiani? Quorum vos Lutherani tam stulte Scyllam fugilis, ut  
 recta vos auferat error in Charybdim. Quamquam sicuti vos intellegere  
 non vultis, Dei traditiones esse, non hominum, quibus Ecclesia  
 nititur in rebus fidei: ita nescio an ipse satis intellegam,  
 quod tu scribis, nempe vos manifestissimis Scripturis agere, quibus  
 ne portae quidem inferorum hactenus praevalere potuerunt. Nam  
 quod non agitis admodum persuasibilibus humanae sapientiae  
 verbis, id vero et intellego satis, et verissimum esse confiteor. Ceterum  
 illud alterum utram in partem sumi velis, addubito.  
 Utrumne sic accipias, ut adversus Scripturas ipsas non potuerint  
 hactenus inferorum portae praevalere; an adversus positiones  
 vestras, quas adornatas et Scripturis palliatas a vobis, haberi vultis  
 Evangelium salutis, quod nunc primum per vos oblatum caelitus,  
 gaudetis apud quosdam bene audire etiam in Britannia.  
 Quamquam non admodum magni refert, in utram partem sumpseris,  
 utrobique certe tantundem profeceris. Nam si dogmata  
 vestra vera sunt, et apertis firmata Scripturis, quum ea numquam  
 hactenus Ecclesia Christi crediderit, quum ea semper exploserit,  
 damnarit, exusserit, necesse est fatearis, portas inferorum adversus  
 Scripturas Dei, hactenus praevaluisse perpetuo. Sin e diverso verum  
 est quod dixisti, portas inferorum numquam praevaluisse contra  
 Scripturas Dei, tum tu fateris, Ecclesiae fidem semper fuisse consonam  
 Scripturis Dei.  
 Quamobrem quum eadem semper fuerit dogmatibus vestris  
 adversa, nonne vides, Pomerane, consequi, vestra ista praeclara  
 dogmata Scripturis esse contraria? Alioqui si contendas Ecclesiam  
 hactenus eadem sensisse, eadem credidisse semper, quae iam creditis  
 vos (immo quae iam praedicatis vos: nam credere quae praedicatis,  
 ita me amet Deus, nec vos opinor) ostende quaeso, quae  
 fuit illa Ecclesia? Dic ante vos quando fuit? Dic quibus in terris,  
 et eris mihi magnus Apollo. Nam etsi vestrarum Haeresum alios  
 aliae diversis locis ac temporibus habuerunt auctores, tamen qui  
 tam multa simul et tam absurda crediderit, ut vobis quum in fide  
 consenserit, non modo nullus umquam populus, sed nec ullus  
 usquam homo, aut tam impius, aut tam stolidus ante Lutherum  
 fuit.  
 Quod si contendas fuisse quidem semper aliquos, quamquam tam  
 paucos, ut orbem latuerint, tam dispersos, ut coitum nullum  
 fecerint, tam illitteratos, ut nihil scripserint, tam infantes, ut nihil  
 dixerint, quorum tamen dispersio, vera semper Ecclesia fuerit;  
 necesse est tamen fatearis, adversus istam Ecclesiam tuam, eos  
 perpetuo scripsisse Patres, quos Ecclesia Christi veneratur in  
 Sanctis.  
 An tu igitur, Pomerane, speras, adeo stipites esse Christianos

#143. To Bugenhagen

435

440

445

450

455

460

465

470

475

480

omnes, ut eis persuadere possis, quum Deus in Synagoga Iudaeorum curarit, ut sanctissimi aliqui viri post mortem haberentur in pretio, ne populo suo redderetur ambiguum, quos sibi proponerent imitandos; nunc in Ecclesia Filii sui permetteret, sanctos et fideles omnes inhonoratos iacere, caeli vero pro Sanctis impios et haereticos curaret, qui suis scriptis orbem totum seduxerint, atque ab Evangelii vero sensu praedicatione falsa distraxerint, eorum aliquot etiam decoraret Martyrio, omnes insigniret integritate vitae, nullos non illustraret miraculis, ne quis dubitare posset, eorum fidem placuisse Deo, quorum pietatem prodigiis salutaribus orbi declararit. Quid istud, obsecro, fuisset aliud, quam id egisse Deum, ut ipsius opera sua falleretur Ecclesia? Necesse est ergo, Pomerane, velis nolis, eam fatearis Ecclesiam, cuius pars erant et Doctores illi, quos veneramus, sanctissimi Patres; quos si contendas in fide cunctos errasse, necesse est id concedas etiam, quod ante negasti, adversus Scripturas inferorum portas annos plus mille praevaluisse. Quamobrem si tibi perstandum censes in eo quod ante dixisti, portas inferorum hactenus adversus Evangelium praevalere non potuisse, omnino fatearis oportet, sanctissimos illos Patres recte sensisse de fide; quod ubi semel concesseris, quum et illud negare non possis, illos ista damnasse, quae vos docetis, quantumvis tergiverseris, tandem tibi fatendum est ista, quae tam obstinate velut Evangelium obtruditis, esse falsissima dogmata.

Sed quam varietate doctrinae belle dogma tum vestrorum late confusam colluviem cogas et constringas in artum, operae pretium est cognoscere, ais enim:

*Et ne varietatem doctrinae excuses, breviter dico: unum tantum Articulum a nobis doceri, utcumque cotidie multa praedicemus, multa scribamus contra adversarios nostros, ut et ipsi salvi fiant; est autem Articulus ille: Christus est Iustitia nostra. Nam is factus est nobis a Deo sapientia, iustitia, satisfactio, redemptio. Quisquis hoc non dederit nobis, non est Christianus: quisquis fatebitur nobiscum, apud eum statim cadit omnis iustitia humana.*

O compendium! Nihil igitur omnino scribitis, nihil omnino docetis, nisi Christus est iustitia nostra? Hoc unum Pronuntiatum tam sanctum, omnia dogmata vestra tam varia, tam inter se dissona, tam absurda, tam impia complectitur? Sicut si quis istud concedat vobis, quod Christus est Iustitia nostra, idem sit necessario concessurus, in Eucharistia restare panem? nihil cuiquam prodesse Missam? Ecclesiam totam hactenus perperam sacrificasse, hactenus usam impio et sacrilego Canone, et Ordinem inane esse figmentum? Et haec erit bona consecutio, Christus est iustitia nostra, ergo mulier idonea est cui fiat peccatorum sacramentalis Confessio? Et mulier potest conficere corpus Christi? Et item haec, Christus est iustitia nostra, ergo nullum est Purgatorium? Et nullum est liberum arbitrium? Et nulla lex humana Christianum quemquam obligat? Et, Christus est iustitia nostra, ergo sola fides sufficit ad salutem, et non est opus bonis operibus? Et nihil damnare potest Christianum, nisi sola incredulitas? Et Christus est iustitia nostra, ergo Monachus ducere debet uxorem? Haec omnia dogmata, et multa itidem alia, nihilo minus absurda, necessario

485

#143. To Bugenhagen

490

495

500

505

510

515

520

525

530

535

scilicet consequuntur istam, Christus est iustitia nostra? Quid ni?  
 Nam si is factus est vobis a Deo iustitia, quid opus est vobis iustitiam  
 quaerere et persequi eam? Si factus est vobis sapientia, quid  
 opus est vobis esse prudentes sicut serpentes? Si satisfactio, quid  
 opus est vobis, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae 540  
 et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibere membra  
 vestra servire iustitiae in sanctificationem? Si redemptio, quid  
 opus est animam redimant viri divitiae suae? Et tam perspicue  
 rem explicasti, postquam hunc articulum protulisti, ut ilico, velut  
 re dilucide probata quibus oportuit iudicibus, subiungas: 545  
*Quisquis autem fatebitur nobiscum, apud eum statim cadit quaecumque  
 alia iustitia humana. Nihil erit hic Pelagianae haeresis, qua,  
 licet mutatis verbis, infecti sunt, qui vel solos se gloriantur Christianos,  
 nihil valebit omnis sectarum quae hodie sunt, et operum  
 fiducia, quam (abnegato Crucis Christi scandalo) nostri iustitiarum 550  
 nobis invexerunt, dum opera pro Christo venditarunt, contra quos  
 et contra totius Satanae regnum hoc argumentum fortissimum  
 cum Paulo producimus: Si ex operibus et nostro arbitrio iustificamur,  
 ergo gratis Christus mortuus est. Iustitia haec quae Christus  
 est, testimonium habet in lege et Prophetis, ad Rom. 3. Qui autem 555  
 suam iustitiam sequuntur, ad veram iustitiam, ut Iudaei, non perveniunt.  
 ad Rom. 9. Iustitiae Dei subici non possunt. ad Rom. 10.  
 Haec iustitia Dei tua est, dum per fidem suscipis Christum. Non  
 enim pro se mortuus est, aut pro suis delictis, sed pro te et tuis  
 delictis. Igitur quicquid aliud temptaveris ad iustitiam, id est, unde 560  
 iustificeris, et fiber sis a Dei Iudicio, peccatis, morte et inferis;  
 hypocrisis erit, mendacium, et impietas, quacumque pietatis specie  
 fulgeat. Pugnabit enim contra Dei gratiam, et Christi erit abnegatio.  
 %*  
 Non dubito, Pomerane, quin tibi videaris oppido quam praeclare 565  
 dixisse; sed interim non advertis, quod totus hic speciosus  
 sermo duobus mendaciis mendacissimis innititur, quibus  
 impudenter aspergis Ecclesiam, ut sacrosancta ista praedicatio  
 vestra verum videatur Evangelium. Nam primo falsissimum 570  
 est, quod nos fingis haeresi Pelagiana, mutatis verbis, infectos.  
 Deinde, quod nos mentiris, abnegato Crucis Christi scandalo  
 operum et sectarum invexisse fiduciam, et opera venditare pro  
 Christo, nos interim nunc appellans pro tua libidine Iustitiarum,  
 nunc eos qui se solos esse Christianos gloriantur: Et profecto quamquam 575  
 nihil magis abhorret ab Ecclesiae doctrina, quam ut quisquam  
 sibi quicquam tribuat, tamen communi totius Ecclesiae  
 nomine Catholicis Christianis licet verissime sancta quadam superbia  
 gloriari, se solos esse iustos, se solos esse Christianos. Inter  
 mortales enim extra Ecclesiam neque sancti quicquam est, neque 580  
 Christianus quisquam.  
 Sed ad rem revertar: Ecclesia quemadmodum non credit Pelagio,  
 ad bene faciendum naturae vim ac facultatem sufficere cum generali  
 quodam influxu gratiae, sed opus esse fatetur ad actum  
 quemque bonum gratia quadam peculiari; sic vel magis dissentit 585  
 vobis, qui gratiam Dei subdole studetis attollere, ut penitus auferatis  
 humanae voluntatis arbitrium, dum eius libertatem nihil aliud

asseritis, quam (ut vestris verbis utar) *rem esse de solo titulo*, et nihil agere prorsus, sed dumtaxat pati, nec aliter a Deo formari, quam ceram a manu artificis. Qua in re admodum errarunt Pelagiani, sed multo tamen perniciosius erratis Lutherani. Nam illi, quum nimium tribuebant naturae, honorem tamen inde tribuebant Deo, quem agnoscebant naturae conditorem. Praeterea quum faterentur difficulter admodum operari naturam relictam sibi, facilius vero suffultam gratia, necessitatem etiam relinquebant implorandae gratiae. At vos contra nihil relinquitis, cur habeatur Deo gratiae quicquam naturae nostrae gratia: quam, si vobis credimus, habemus talem, ut etiam post Baptismi gratiam satius esset ea caruisse, quippe quae quum hoc habeat ut assidue labatur et concidat, ad resurgendum porrigenti gratiam Deo nec surgere contra sese, nec coniti possit. Deinde dum pati tantum voluntatem nostram, et nihil omnino facere praedicatis: an non humanam omnem industriam, et conatum omnem ad virtutem tollitis? An non omnia manifeste trahitis ad fatum? Quum voluntas per se secundum sectam vestram non solum sit malefica, verum etiam vertere non possit ad bonum, sed mera voluntate Dei alius fingatur ad bonum, alius relinquatur ad malum, non alio quam naturae merito, quam citra peccatum suum talem sortitus est homo, et is qui ad bonum sumitur, ita fingatur ac formetur a gratia, ut nihil interea faciat aut cooperetur ipse, sed velut arbor folia producit et fructus, sic peragente in electis Deo, in reprobis natura, cuius etiam auctor Deus est, illi bona, hi mala proferant. Iam quis non videt consequi, ut hac ratione vestra neque voluntas voluntas sit, sed electione sublata homo nihil distet ab arbore, neque scelerum quicquam homini possit imputari, sed ut bonorum, ita malorum quoque omnium causae necessario referantur in Deum, et clementissima illa natura Dei punire credatur flagitia quae fecit. Quae opinio tam impia est et sacrilega de Deo, ut dispeream, ni malim decies esse Pelagius, quam semel ista credere, quae docet Lutherus. Sed Ecclesia quam improbatis, utriusque vitans errorem et vicissim improbens, voluntatem bene facere non credit absque gratia, sed gratiam credit omnibus non aliter ac lumen solis esse propositam, malos oblatam neglegere, bonos amplecti, utrosque vero suae voluntatis arbitrio. Sic et per gratiam servatur, quisquis servatur, nec tamen otiosum est interim liberum voluntatis arbitrium, nec enim video quicquam, nisi per lumen. Et tamen aliquid ad id adiuto, dum oculos aperio et intendo aciem. Si quis in puteum demisso fune extrahat eum, qui per se non posset emergere, an non vere dicetur suis viribus non ascendisse de puteo? nec tamen ad id nihil ipsius vires contulerunt, quum et amplexus est funem, et non est passus elabi. Ad hunc se habet modum libertas arbitrii. Nihil enim potest absque gratia, sed quum eam liberaliter offerat Divina beneficentia, in bonis viris arbitrium voluntatis amplectitur, et bene cooperatur cum ea, in malis respuit voluntas, et marcescit in malitia. Hoc est, Pomerane, quod credimus, neque ut tu mentitus es, Pelagio credentes, nec Pelagio deterioribus vobis, sed et divinae gratiae debitum servamus honorem, et facinorosis hominibus amputamus ansam, quam vas porrigitis, qua suae voluntatis obstinatam

#143. To Bugenhagen

590

595

600

605

610

615

620

625

630

635

malitiam in Divinae voluntatis reiciant ineluctabilem necessitatem.  
%  
Iam de operibus agemus paululum, in quibus quam impie erras 640  
ipse, tam improbe falso sugillas Ecclesiam, quam docere mentiris,  
abdicatedo Crucis Christi scandalo, fiduciam in sectis et operibus  
esse collocandam, et opera venditare pro Christo. Primum quod ad  
Religiones attinet, quas vos sectas vocatis et schismata: non opinor  
magnum esse flagitium, si sub uno duce Christo, alii sub aliis 645  
diversis veluti Tribunis militent, et dum omnes bene atque ad  
Evangelicam normam ex praescripto Evangelico vivant, alius  
tamen aliter tempus transigat, et diversis virtutum generibus unusquisque  
in suo sensu abundet, praesertim quum satis constet et  
a sanctissimis viris inventa et tradita, quae vos improbatis instituta 650  
vivendi; et non solum plurimos insigni sanctitate viros inde provenisse,  
verum etiam quantumvis aut aliquot Monachorum suo non  
satisfecerint Ordini, aut aliquot degenerarent Ordines ad mores  
circumfusi sibi saeculi, tamen purissimam populi Christiani partem  
perpetuo fuisse apud Religiosos. Qui tantum abest, ut alium 655  
sequantur pro Christo, ut ii sint potissimum, qui vendentes quicquid  
habebant et erogantes pauperibus, Crucem tollunt, et sequuntur  
Christum, dum vigiliis, ieiuniis et orationibus totam dedicantes  
vitam, et Agnum in castitate sequentes, carnem suam crucifigunt  
cum vitiis et concupiscentiis. 660  
Quod vitae genus si est, ut vos videri vultis, adversus Evangelium,  
oportet Evangelicam vitam huic esse contrariam, hoc est,  
esse talem, ut se curet molliter, bene comedat, bene bibat bene  
dormiat, libidinetur, et voluptate diffivat. Quod vitae genus si sit  
Evangelicum, negare profecto non possumus, quin vestri vitam 665  
vivant Evangelicissimam, nisi quod ad virtutes istas tam praeclaras  
addunt vim tyrannicam, et plusquam ferinam feritatem  
qua contra Christianos et Deo deditos Fratres ferocius fere quam  
ulli umquam Gentium Tyranni saeviunt.  
Sed iam, ut dixi, veniamus ad opera, quae tu nos fingis venditare 670  
pro Christo: nec id te pudet scribere, quum nos et credere scias, et  
docere, opera nostra neque bona fieri sine misericordia Dei, neque  
merere quicquam sine fide Christi, at ne sic quidem caeli esse  
capacia de natura sua. (Neque enim condignae sunt passiones  
huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis) sed 675  
immensae benignitati Creatoris ita placuisse, ut operibus nostris,  
suapte natura tam vilibus, tantum strueret pretii, et operas nostras,  
qui quum omnia fecimus, servi tamen inutiles sumus, neque quicquam  
supra quam debuimus facere, fecimus, tam pretiosa mercede  
conduceret. 680  
Alioqui si nihil omnino valent opera nostra, quantumvis in  
fide facta, quantumvis imbuta caritate, quantumvis adiuvante  
gratia (nam alioqui nihil esse, tute scis nos fateri), verum si ne  
sic quidem valent quicquam; cur paterfamilias denario diurno  
otiosorum hominum operas conducit in vineam? Si nihil valent 685  
ad homines liberandos ab ira iudicio, peccatis, morte, et inferis:  
quorsum illud Baptistae? genimina viperarum, quis ostendit vobis  
fugere a ventura ira? Facite fructus dignos paenitentiae. Quorsum

#143. To Bugenhagen

illud Sapientis? Sicut aqua exstinguit ignem, Ita eleemosyna exstinguit peccatum. Quorsum illud Apostoli? Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicemur. Quorsum illud eiusdem? Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae. Quorsum illud Christi? Fac hoc, et vives. Quorsum illud denique quod in finali iudicio caelum daturus est operibus misericordiae et eorundem omissionem ac neglectum reprobis exprobraturus?	690	#143. To Bugenhagen
Si non sunt ista, Pomerane, mendacia (nec sunt opinor, si verum sit Evangelium) numquam potes effugere, quin istud sit mendacium, quod ipse scribis: hypocrisis esse, mendacium, et impietatem, pugnam contra gratiam Dei, et esse prorsus abnegationem Christi, quacumque sanctitatis specie fulgeat, si quis praeter fidem temptarit aliud: hoc est, si fidei iungat caritatis opera, sine quibus fides mortua est; si per fidem simul et opera conetur ad iustitiam, neque per opera pugnat contra gratiam, qui se fatetur absque gratia bene operari non posse, neque velut Pharisaeus confidit in operibus, qui et ea novit nihil absque fide valere, nec aliunde pretium quam ex mera Dei largitate sumere. Sed illi plane pugnant contra gratiam, et Christum prorsus abnegant, qui in hoc dumtaxat extollunt gratiam, et fidem Christi commendant, ut ablato bonorum operum (non damnosa fidutia, quam nos abunde tollimus, sed) bonitate prorsus et fructu, reddunt homines ad bene faciendum tepidos. Ex qua segnitie et fidem brevi perdunt et gratiam, praesertim quum (ut nunc mores sunt) magis propemodum inhortandi sint homines ad bonorum operum frugem, quam ad ipsam, sine qua nihil valent opera, fidem, quando non paulo plures invenias, qui malint bene credere, quam bene facere. Sed hac in parte quam malam causam foveatis, vel illud indicat quod tam nihil omnino constatis vobis, sed ita perplexe loquimini, ut cavere de industria videamini, ne quis vos intellegat; ita posterius quodque verbum pugnat priori. Nam paulo post ita subiungis:	695	
%	700	
<i>At hoc forte interrogabis: quid de moribus, cultu Dei, Sacramentis et huiusmodi sentiamus, et docemus. Respondeo, Christus est iustitia nostra, factus est et Doctor noster: quicquid is suo ore nobis prodidit, hoc docemus, quemadmodum et praecepit. Matthaei ultimo.</i>	705	
Et nos idem, Pomerane, fatemur, et docemus idem. Sed tu, obsecro, nihil docebis aliud, immo dedocebis omnia, quaecumque Christus non docuit ore suo? Ergo quicquid ante Christum natum per Moisen et Prophetas docuit Deus, ea dedocebis omnia, nisi quicquid eorum Christus docuit rursus ore suo? Ergo dedocebis rursus quae Christus Ecclesiam docuit per tot sanctos Patres, Evangelistas, Martyres, et Apostolos, nisi quicquid docuit ore suo?	710	
Dic igitur ubi te docuit istud ore suo, nihil aliud esse credendum, quam quod docuit ore suo? Dic, ubi docuit ore suo, dogmata ista, quae vos docetis orbem? Dic ubi docuit ore suo, homini non esse liberam voluntatem? Ubi docuit ore suo, ei ducendam uxorem, qui ante voverat castitatem? Ubi docuit ore suo, amicam Lutheri aequalem esse Matri Christi? Ubi docuit ore suo, Missam nihil	715	
	720	
	725	
	730	
	735	

prodesse defunctis? Ubi docuit ore suo, nullum esse Purgatorium, 740 #143. To Bugenhagen  
sed animas etiam mortuorum dormire usque ad diem extremi  
iudicii? Ubi docuit ore suo, abiciendam Crucem suam, et in tenebras  
quolibet abstrudendam, ne videlicet in suum cultum absumat  
aurum, quod alioqui recta ad pauperes isset, scilicet?

Haec, opinor, Christus Lutherum non docuit ore suo, quum dixit: 745  
pauperes semper habetis vobiscum. Sed ore suo docuit Frater  
Lutheri Iudas, quum dixit: ut quid perditio haec? Potuit venundari  
multo, et dari pauperibus.

Ecce, Pomerane, qui tantum ea credi postulatis, quae Christus 750  
docuit ore suo, cetera tollitis omnia, quae Deus Ecclesiam docuit  
per Spiritum Sanctum, tamen ea docetis interea, quae neque  
Christus docuit, neque bonus quisquam homo possit tolerare.  
Nam quod subiungis: *Primum autem docuit Christus, hoc esse*  
*opus Dei, ut credamus in illum, quem Pater nobis misit: fatemur*  
*esse verissimum. Sed illud non fatemur esse verum, cuius unius* 755  
*causa tu istud allegas in medium. Allegas enim, ut occulte persuadeas,*  
*solam fidem sufficere; verum timide tamen rem attingis,*  
*pleraque subticens mysticae doctrinae vestrae, quae frustra subtices*  
*Magistri vestri libellis totum vulgata per orbem. Lutherus*  
*hoc scholae vestrae placitum declarat apertius, et rem definit aliquanto* 760  
*fortius. Nam is aperte scribit, quod nullum peccatum damnare*  
*potest hominem Christianum, praeter solam incredulitatem.*  
*Cetera omnia, si stet aut redeat fides, qua salvi erimus per promissum*  
*Dei, protinus in momento prorsus absorberi a fide; ne*  
*quis necesse putet aut peccata confiteri, aut de commissis dolere,* 765  
*aut malefacta benefaciendo rependere, quae omnia manifeste tollit.*  
*Tu, quod dixi, timidius attingis rem, et quam callidissime*  
*potes, declinas eius assertionis invidiam, dissimulans, quod ita praedices*  
*fidem, ut homines interim animas ad vitia, virtutem dedoceas,*  
*sed tamquam sic intellegas, quod ais solam fidem sufficere, quasi* 770  
*qui fidem habeat, is necessario fugiat vitia et amplectatur virtutes.*  
*Quae res si sic se haberet, tamen stultissimus esset hic tumultus*  
*vester, quo adversus opera bona tumultuamini. Nam si bona sunt*  
*opera, quae necessario producat fides, quid aliud facitis, disputantes*  
*adversus opera bona, quam deblateratis adversus fructum fidei?* 775  
*Quod si nullum est bonum opus omnino, id quod plane vestra*  
*contendit factio, quomodo consistis tecum, quum dicis eum qui*  
*fidem habet, arborem esse bonam, quae non poterit suo tempore*  
*non ferre fructum bonum?*

Quamquam istud si ita praecise verum est, ut qui fidem habet, 780  
is necessario proferat opera bona; cur ait Apostolus? Si habuero  
omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non  
habuero, nihil sum. Cur illud ait? si fidem habeam sic, ut dem  
corpus meum ut ardeam, Caritatem autem non habuero: nihil  
mihi prodest. 785

Frustra dicerentur ista, si fides absque caritate non esset. Quod  
fides absque operibus mortua est, quod daemones credunt et contremiscunt:  
frustra vobis allegem Epistolam Iacobi, quae quoniam  
vobis incommoda est, desiit esse vobis Apostolica. At Adam,  
opinor, Deo credidit, nam, ut ait Apostolus, Adam non est seductus, 790



et tamen peccavit. Quod si cum fide potest consistere operari male, potest haud dubie cum fide consistere non operari bene. Sed tu fortasse non credis Apostolo, qui nihil credis aliud, quam quod prodidit ore suo Christus. Age igitur, an non hoc prodidit ore suo Christus, quod aliquando venturi forent multi qui dicerent ei: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, inquit, quia numquam novi vos. Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem. An non hic locus aperte docet, fidem, etiam tam ingentem ut sufficiat ad edenda miracula, tamen in quibusdam hominibus bonum fructum non ferre, nec eos homines propter immensam fidem arbores esse bonas, sed ficus prorsus aridas, radicitus excidendas, et conciciendas in ignem? Non est ergo, Pomerane, verum, fidem solam sufficere, et quicumque fidem habet, eum necessario producere fructum bonorum operum. 795

At quid ego tibi allego Christum? Quin allego potius Lutherano Lutherum? Audi igitur quid ille dicit, cuius apud te irrefragabilis est auctoritas. *Nihil, inquit, damnare potest hominem praeter solam incredulitatem. Nam cetera omnia, si stet aut redeat fides absorbentur, inquit, a fide.* 800

Si decennium totum meditatus esset, quonam pacto clarissime posset explicare, non aliud sentire se, quam scelerum genus omne patrari posse, salva atque incolumi fide, non video profecto, quibus istud verbis potuisset enuntiare lucidius. Nam verba illa, *si stet fides*, alio torquere non potes, quam ut manere fidem sentiat, dum fiunt scelera. Qua ex re facile vides consequi, non eam necessario bonum opus producere, quae potest cum malo consistere. 805

Apage igitur, Pomerane, fucos istos, quibus impium dogma sic adornare studes, ut, dum solam fidem praecipis, bona simul omnia videaris imperare, tamquam habeatis persuasum, fide non arceri solum peccata necessario, sed etiam produci virtutes. Apertissime siquidem docet, ut audisti, Lutherus, peccata omnia non illaesa tantum fide patrari, sed patranti quoque propter insitum fidei mentum non officere. *Nam si stet, inquit, fides, peccata omnia absorbentur a fide.* 810

Quamquam si te fortasse nunc praeceptoris tui pudeat, cuius impiam sententiam tam aperte vides omnibus renudatam involucris, et videri velis ipse sentire sanctius, verba tua profecto, Pomerane, non adeo concinnasti callide, quin omni luce clarius elucescat, illius impietatem te vel aequare certe, vel vincere. Nam primum aliquot Scripturae propositionibus adversus bona opera deblateras, nempe illo: *Si ex operibus et nostro arbitrio iustificamur, Christus pro nobis gratis mortuus est.* Quo in versu illud de libero arbitrio addidisti ex arbitrio tuo, ne sacris in litteris non ageres sacrilegum falsarium. Quem Scripturae textum nemo non videt, nihil derogare meritis bonorum operum, quum nihil velit aliud, quam Christum gratis mortuum, si ex operibus absque fide iusti redderemur. Neque enim gratis mortuus est Christus, si nihil valent opera sine fide, etiam si fidei copulata valeant plurimum, ut ne adiciam id dictum ab Apostolo de operibus legis Mosaicae. 815

820

825

830

835

840

Tum illud adiecisti: quod *qui suam iustitiam sequuntur, ad veram iustitiam, ut Iudaei, non perveniunt*. Et illud: *Iustitiae Dei subici non possunt*. Ubi illud, *ut Iudaei*, de tuo rursus, ne quam Scripturam videri possis Iudaeo citare sincerius, admiscuisti. Porro Pauli verba quum in his locum habeant, qui aut sola putent opera legis iustitiam conferre sine fide Christi, aut qui de suis operibus inani efferantur gloria; quid faciunt ad Christianos, qui nulla credunt opera quantumlibet bona, quantumlibet multa, compotem quemquam caeli reddere, nisi fiant in fide? Sed ne sic quidem aut fieri posse sine gratia, aut sui natura mereri beatitudinem, sed tam immensum ac supra meritum meritorum humanorum pretium a mera Dei gratuitate largientis et paciscentis proficisci.

Igitur ubi bona opera tam fabrefactis machinis oppugnasti, iam (tamquam expugnaris quae non attigisti) transis ad iustitiam Dei, qui Christus est: cui, tamquam id quisquam neget, testimonia corrogas ex Lege et Prophetis. Sed quorsum tandem affers ista? nempe, ut reiectis atque explosis operibus, mortales universos invitares ad solam fidem.

*Haec, inquis, iustitia Dei tua est, dum per fidem suscipis Christum*. Verum quidem istud est, neque mali haberet quicquam, nisi quod quam sollicite commendas fidem, tam sollicite repulisses opera. Iam quod statim subdis: *Non enim pro se, aut suis delictis mortuus est Christus, sed pro te, et delictis tuis*: fatemur esse verissimum. Sed de te veremur, ne in hoc afferas, ut ex eius fidei fiducia confirmes peccandi licentiam, libidinemque reiciendi severioris vitae sanctimoniam. Non recuso quin curiosus videar ad calumniam, nisi tua ipsius verba quae sequuntur, non tenuem quidem aliquam suspitionis eius coniecturam insinuent, sed apertissima documenta proponant. Sic enim subicis: *Igitur quicquid aliud temptaveris ad iustitiam, id est, unde iustificeris, et liber sis a Dei iudicio, peccatis, morte, et inferis; hypocrisis erit, mendacium et impietas, quacumque pietatis specie fulgeat, pugnabit enim contra Dei iustitiam, et Christi erit abnegatio*.

Haec tua verba perspicue te declarant, in hoc fidem docere, ut opera bona dedoceas. Qua in re perspicuum faciam, Lutherum, qui impietate ceteros omnes unus antecellit, abs te tamen uno longe lateque superari. Nam is (quod ante recensui) ne quis putaret quicquam sibi curandum quam flagitiose viveret, fidem scripsit omnia absorbere peccata.

Cui tu sententiae ut calculo tuo suffragareris, ubi quasdam commemorasti virtutes, quas vos docere praedicas, (quam rem paulo post efficiam, ut intellegant omnes, quam falso praedicas) ita protinus adiunxisti: *Et quia in carne sumus, quicquid ex iis non fit, aut non satisfit, et quicquid adhuc peccatur, docemus cum Christo, ut iugiter oretur delicti venia, quemadmodum orare praecepit*: *Dimitte nobis debita nostra. Et propter istam fiduciam in Deum docemus, non imputari peccatum quod est in carne reliquum. Non enim invenio in me, id est, in carne mea bonum, sed gratia Deo, quod Christus venit, non propter iustos, sed propter peccatores. Et publicani et meretrices praecedent iustitiosos Pharisaeos in regnum caelorum*.

His tu, Pomerane, verbis, quod Lutherus ait, nihil hominem damnare posse praeter solam incredulitatem (nam fidem solam cetera absorbere peccata), eandem rem aliter explicas: nempe non imputari peccata, si quis eam habeat fiduciam in Deum, ut credat propter solam fidem suam peccata sua sibi non imputari. Ais tamen vos docere, ut fidei iungatur oratio, videlicet ista: Dimitte nobis debita nostra.

#143. To Bugenhagen

895

In his ergo duabus, nempe sola fide cum oratione brevissima, tota vobis vel non imputandorum, vel absorbendorum peccatorum omnium summa consistit, ut mortalibus per vos pateat per vitam in terra licentissimum mirum ad caelos compendium: quippe quibus deflendi peccati lacrimas, confitendi taedium, satisfaciendi fastidium, homines perquam benigni sustulistis. Atque in hac re nihil me narrando depravare, nihil interpretando calumniari, tum verba tua testantur, tum ea, quae de Paenitentiae Sacramento scribit magister tuus in Captivitate Babilonica, liquidius omni luce demonstrant.

900

905

Nemini igitur potest obscurum esse, eam esse non Lutheri modo sententiam, sed etiam, Pomerane, tuam: quod non solum absque bonis operibus, sed etiam cum flagitiis et sceleribus, sola fides sufficiat ad salutem. Ceterum ut coepi paulo ante dicere, tu non hac impietate contentus, ulterius tibi procurendum statuisti, nec ante desistendum, quam docuisses, bona opera non floccifacienda modo, verum etiam velut nocitura nobis et aversura Deum, sedulo cauteque fugienda. Tua enim verba, sicuti commemoravi, sunt ista.

910

915

*Haec iustitia Dei tua est, dum per fidem suscipis Christum. Non enim pro se mortuus est, aut pro delictis suis, sed pro te, et delictis tuis. Quicquid aliud igitur temptaveris ad iustitiam, id est, unde iustificeris, et liber sis a Dei iudicio, peccatis, morte, et inferis; hypocrisis erit, mendacium et impietas, quacumque pietatis specie fulgebit. Pugnabit enim contra Dei gratiam, et Christi erit abnegatio.*

920

925

Non utar hic oratorio more, ut in istorum tuorum verborum impietatem invehar. Neque enim oratione cuiusquam opus est, ut bono cuiquam viro reddatur invisus, qui tanto spiritu, tanto Serpentis antiqui sibilo, tanto cum tartareo fremitu ceteras virtutes omnes, praeter solam fidem, tam aperte, tam impudenter, tam odiose blasphematur, ut eas vocare atque appellare non dubitet hypocrisin, et impietatem, quacumque pietatis specie fulgeant, et eas omnes non modo pugnare contendat adversus gratiam Christi, sed ipsum etiam Christum prorsus abnegare.

930

Quum ista, Pomerane, dicis, quaeso te, quid dicis aliud, quam Deum Patrem, unigenitum suum non ob aliud in terram destinasse, quam ut doceret mortales, in hoc venisse se, ut eos omnes ab omni virtutum cura, et labore liberaret, atque in omne flagitiorum genus indulgeret impunem atque irrefrenatam licentiam? et tandem post vitam talem in terris actam, aeternam daret in caelo beatitudinem; tantum illud contra poscere, ne dubitaret ei quisquam hac in promissione fidere, ne forte si minus fideret, aut magis bonus, aut minus malus esset?

935

940

Quum haec, Pomerane, non solum tam impia sint, sed etiam  
 tam absurda, quae sentis, ut nisi clarissimis verbis istam animi tui  
 sententiam declarasses, nemo futurus esset, cui videri posses, quum  
 esses homo, tam plane beluina sentire; adhibui profecto cogitationem  
 et studium, si quid forte possem reperire, quod colorem  
 saltem aliquem reciperet, quo putari queas, aliud quispiam sensisse;  
 quod tametsi nihil boni haberet aut honesti, at minus tamen  
 aliquanto perniciosum ac sacrilegum videretur.

Quam in rem et tui causa simul et mea, quum memet diligenter  
 darem (tua, quod me vehementer puderet tui, ac misereret: mea,  
 quod cupiebam omnibus reddere testatissimum, illo me animo  
 esse quo semper fui, ut aliorum scripta, quantum possem, omnia  
 in meliorem partem cupiam et benigniorem flectere), nihil tamen  
 profecto nec invenire quivi, nec comminisci quicquam, quod  
 impietatis tam absurdae non opinionem quidem aliquam de te  
 conceptam, sed certissimam hominum ex apertissimis verbis tuis  
 natam scientiam leniret.

Etenim dum tempto omnia, dum nullum non saxum moveo, succurrebat  
 istud: Quid si fingamus illum sensisse sic. Quum dicit,  
*hypocrisin esse, si quis aliud quaerat praeter fidem*, non id quidem  
 velle, quod sit hypocrisis, aliam virtutem ullam cum fide coniungere,  
 sed si quis aliam sibi sumat loco fidei, in qua sibi fidat ac  
 spem reponat absque Christi fide.

Sed haec interpretatio statim apparuit impudentior, quam ut  
 eam pudor meus umquam sustineret defendere. Videbam ilico  
 universos mihi reclamatorios, improbissimum ac nugacissimum  
 effugii genus frustra me esse commentum. Nam quaesituros protinus,  
 qui fieri possit, ut ita, Pomerane, senseris, quum eos omnes  
 quos reprehendis, idem sentire non nescias.

Siquidem quis est eorum, inquit, omnium, adversus quos ille  
 scribit, quos Iustitiaros appellat, quos pro Pharisaeis insectatur,  
 qui virtutem ullam credit sine fide prodesse? Itaque vel inviti  
 cogamur oportet fateri, nihil te minus quam illud, Pomerane,  
 sensisse.

At fortasse tandem simulabis, hoc voluisse te: non vetuisse videlicet,  
 nequis praeter fidem solam alias praeterea virtutes persequatur.  
 Sed istud monuisse tantum, ne ullam quis ceterarum  
 virtutum omnium ne quod opus hominis, quantumvis bene factum,  
 quantumvis praeditum et formatum fide, persuadeat sibi,  
 vel ad salutem consequendam, vel ad vitandum gehennae supplicium,  
 ullius omnino momenti fore; immo si quis eo animo bene  
 statuatur facere, quod illud sibi credat vel ad obtinendum caelum,  
 vel ad declinandam gehennae flammam quicquam profuturum,  
 eum non modo sese frustrari prorsus et fallere, verum etiam ob id  
 ipsum, quod ita credat, et felicitatem perditurum, et ad inferos  
 praecipitem, velut abnegato Christo, ruiturum.

Si sic te, Pomerane, velis intellegi, quid aliud quam e fumo (quod  
 aiunt) in flammam incidisti? Nam ego statim, Pomerane, abs te  
 quaeram: si quis bona opera neglegat, et committat mala, utrum  
 ea res ei caelum claudat, vel aperiat inferos? Si negas istud, nemini  
 relinquis ambiguum, quod valde cupias tegere, eum esse te, qui

#143. To Bugenhagen

945

950

955

960

965

970

975

980

985

990

mundum totum in vitia, proposita scelerum impunitate, provoces. Sin illud, sicut est necesse, concesseris, numquam negare poteris, quin si operum nostrorum malitia demergat ad inferos, eorum bonitas, quae divino operamur auxilio, ab inferis nos adiudet, atque aliquatenus reddat idoneos ad caeli promissum praemium.	995	#143. To Bugenhagen
Etenim perquam absurdum fuerit, ita tibi persuadere de Deo, tamquam natura tam clemens, quum vitiis decernat supplicia, nullo virtutes praemio remuneret.	1000	
Verum quam absurda sit haeresis ista, quam aperte repugnet Scripturae sacrae locis aliquot, supra demonstravimus. Etenim tametsi fatemur, neminem debere de sua virtute superbire, sed agnoscere bonorum operum pretium, non ex operum natura, sed liberalissima Dei aestimatione manare, nec ad ea ipsa facienda potuisse quemquam solis naturae suae viribus absque peculiari gratia sufficere, denique merito quemque posse de suo facto metuere, ne forte latente quopiam vitio sit infectum; tamen de bene factis nostris et bene sperare possumus, et semper conari debemus, non ut sola fide servemur, sed etiam declinando mala, et bona faciendo, ad vitam veniamus aeternam.	1005	
Nam infinitum illud et incogitabile praemium, quamquam nemini promisit infideli Deus, adeo non promisit tamen soli fidei, ut non uno loco non unus fateatur Apostolus, fidem solam quantumcumque magnam nihil omnino proficere, sed absque bonis operibus prorsus haberi pro mortua.	1010	
Porro quod operibus ipsis in fide factis tribuatur praemium aeternum, an non illud aperte testatur quod ait Scriptura: Redemptio animae viri divitiae suae? Non illud Evangelicum: Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis? Non illud iudicaturi quondam Christi, quo se daturum praedicat aeternam beatitudinem, velut mercedem praemiumque praestitiae liberalitatis in pauperes?	1015	
Vides ista, Pomerane, tam aperta esse Scripturae sacrae testimonia, ut quantumcumque te torseris, nihil umquam inventurus sis, quod contra possis opponere. At tu fortassis homo sanctus ferre non potes nomen mercedis et praemii, sed ita gratis hominem iubes servire Deo, ut nihil inde prorsus retribuendae mercedis exspectet, tamquam mercenarii sit ac non filii, non inservire gratis et libere, sed stipe servire conductum.	1020	
Quis terram caelo non misceat, et mare caelo, quum Lutheranus Episcopus, qui votum rupit, qui fidem fregit, qui sacerdotalem castitatem violavit, qui coniugii nomine perpetuo volutatur incestu, qui de virtute locutus clunem agitat, subito nobis velut e caelo demissus gravem istam ac severam de colendo Deo normam edictumque proponat, ne quis bene factorum suorum ullum expetat aut exspectet praemium? Si quis id optet ac speret, eum Christo non habendum pro Christiano, nempe mercenarium esse non filium.	1025	
Pudet, ut video, Pomeranum virum supra communem sanctimoniae sortem sanctulum inter eos connumerari mercenarios, quos paterfamilias denario conducit in vineam. Hic vero tam generoso est animo, ut potius quam in vineam sese conduci sinat	1030	
	1035	
	1040	
	1045	

denario, extra vineam velit perire suspendio. Quis non videt, quam ille sit e sublimi velut illiberalem servum despecturus contempturusque Prophetam, quem non puduerit aperte profiteri, Deo se servire propter retributionem?

At non videt interea prudentissimus pater, in quas se conicit et compingit angustias. Nam aut nihil praemii sperat atque exspectat retribuendum fidei, et fidem iam non minus inutilem infructuosamque praedicat, quam ante praedicavit opera, aut fidei praestolatur mercedem, et in idem iam discrimen incidit. Propter quod ab operum bonorum praemio abhorruit, nempe ut fidem sibi faciat mercenariam.

Quod si respondeat non deberi, ne fidei quidem, beatitudinem ex natura fidei, sed Dei benignitate sola secuturam, nec secuturam dubitandum quicquam, quum ita pepigit ac promisit Deus, et tamen haud ideo credendum esse Deo, ut praemium quod credenti promisit consequamur, sed eo animo et cogitatione accedendum, ut etiam si nihil umquam commodi reportandum esset, nihilo tamen minus et eius dicto fidem haberemus, et ineffabilem eius Maiestatem coleremus. Haec si mihi respondeat Pomeranus, fatebor illum tam vere sancteque dicere, quam rem nihil attingere. Siquidem non est, opinor, tam stupidus, ut non intellegat, nihil hoc sermone se de fide loqui, quod non ex aequo competat in opera. Nam nec illa dicimus suapte natura talia, quae caelum sibi possint arrogare, sed liberaliter idem promisisse operibus nostris Deum, quod nostrae promisit fidei; nempe ita demum utrisque se daturum caelum, si in amborum capacibus ambo coniungerentur. Alioqui qui ipsius adiuti gratia utrumque possent, altero tantum niterentur, nempe qui vel sola fide, vel solis ingrederentur operibus, eos non in vitae via progredi, sed errore deceptos regredi. Neque tamen quicquam impedit, si quis ieiunio, castitate, precatione et ceteris se virtutibus exercent, quas tu, Pomerane, cum Luthero tuo destruere atque demoliri contenditis, quin eo pietatis evadat aliquando, ut sibi videatur ea facturus omnia, etiam si Deum sciret nihil mercedis omnino perpetuis eius laboribus redditurum.

Atque ego quidem ut animum istum pium, et cogitationes eiusmodi sanctas esse confiteor et exoptandas, ita non solum fidei atque operibus communes esse contendo, verum etiam plane confirmo, quisquis—id quod tu, Pomerane, facis—operibus bonis praedicat nihil inesse boni, nihil opera bona secuturum praemii, nihil adversus inferos opera bona prodesse, sed per ea oppugnari gratiam, et Christum prorsus abnegari; eum non id conari modo, ut populum ad opera bona, velut rem inutilem atque infrugiferam, frigidum reddat ac segnem, verum etiam ut tamquam pestem aliquam noxiam ac letiferam, mortalium omnium pectoribus bene faciendi studium revellat atque reiciat, et quo dogmata sua magis adblandiantur plebi, libidinis et licentiae lenocinio, facillimam illis in omne flagitii genus facultatem securitatemque indulgeat. Igitur quum ea quae tu proponis tibi, manifeste, Pomerane, sint eiusmodi, quumque videres istud ex verbis tuis, quae supra commemoravi, tam aperte clarescere, ut vereri coeperis, ne nimium

#143. To Bugenhagen

1050

1055

1060

1065

1070

1075

1080

1085

1090

1095

id liquidum esset, ac foret fortasse tam invidiosum, ut ne malis  
quidem atque improbis hominibus ferendum videretur, exoriri  
quemquam tandem tam absurde nebulonem nequam, ut contra  
communem omnium tot saeculorum sensum audeat, tam acerbe  
virtutes invadere, et promovere flagitia; coactus es ipse dissidere  
tecum, et, quo venenatum spiculum, exsertum iam plus satis et  
conspicuum, aliquo fuco tegeres, tam apertis vitiorum suasionibus  
et virtutum dehortamentis adiungere vos etiam virtutes, docere.  
Quod tu quam falso dicis, quamquam et ex sectae vestrae dogmatibus  
appareat, nec verba tua, quae supra nunc excussimus,  
ambiguum esse permittant, statim tamen quum ea ipsa verba  
ventilabimus, magis adhuc evidens atque illustre reddetur. Interim  
operae pretium est videre, quam pulchro et specioso putamine fructuum  
vestrorum marcidam plane putridamque carnem convestias.  
Ais enim hoc pacto:  
*Quisquis in illum crediderit, arbor bona est, et non poterit suo  
tempore non ferre fructum bonum: non quem fructum hypocrisis  
fingit, sed quem Spiritus Christi illic sua sponte producit. Qui  
enim Spiritu Christi aguntur, hi sunt Filii Dei. Sobrie, atque pie,  
et iuste adorabit Deum in spiritu et veritate, non in elementis mundi,  
cibus et vestitu, aut alia hypocrisi. Sentiet de Sacramentis quod  
Christus docuit et instituit, formabit proximes doctrina, consilio,  
oratione, rebus, etiam cum dispendio vitae, nec solum amicos, sed  
etiam inimicos. Haec docuit Christus, ad haec trahit natura spiritus  
corda credentium, et nos haec omnia docemus facienda. Et quia in  
carne adhuc sumus, quicquid ex his non fit, aut non satisfit, et  
quicquid adhuc peccatur, docemus cum Christo, ut iugiter oretur  
delicti venia, quemadmodum orare praecepit: Dimitte nobis debita  
nostra. Et propter istam fiduciam in Deum non imputari peccatum,  
quod est in carne reliquum. Non enim invenio in me, id est, in  
carne mea bonum, sed gratia Deo, quod Christus venit, non propter  
iustos, sed propter peccatores, et Publicani et meretrices praecedent  
Iustitiosos Pharisaeos in regnum caelorum, quicquid hic ogganniet  
os iniquum, quod nos alia docemus. Deus per Moysen dicit:  
Quisquis Prophetam illum, id est, Christum, non audierit, ego ultor  
existam. Audiant hoc contra se Dei iudicium, Evangelii hostes.  
Et Pater clamat super Christum: Hunc audite. Et Christus: Oves,  
inquit, meae vocem meam audient, et non alienorum.*  
Paulo post excutiemus ista, quae sunt in speciem tam sancta,  
an tam vere sancta sint, quam videntur esse. Nam quod orandum  
sit pro peccatis, miror id afferre te, tamquam partem huius novae  
Doctrinae vestrae, quasi nos, qui vobis per contumeliam tam falso  
quam saepe Pharisei vocamur et Iustitiosi, non dicamus orationem  
Dominicam, neque nos fateamur esse peccatores. Illud  
certe magis adhuc miror, quod tu vel orare suades, vel eorum  
quicquam facere, de quibus ais, *Nos haec omnia docemus facienda.*  
Nam cur suades quicquam, si nulla est libertas arbitrii? Cur  
hortaris, ut orem, ut proximos consilio formem, doctrina promoveam,  
rebus adiutem, nec vitae meae parcam dum aliis prosum,  
si mihi nullo modo sit in manu, ut horum quicquam faciam?  
Deum dumtaxat orare debes, ut haec in me peragat omnia, non

#143. To Bugenhagen

1100

1105

1110

1115

1120

1125

1130

1135

1140

1145

etiam adhortari me, ut in istorum quicquam conitar, si nec adiutus gratia quicquam cooperor, sed omnia dumtaxat patior. #143. To Bugenhagen

Quis hortatur lapidem, ut sese formet in statuum? Quis aerem 1150  
hortatur, ut pluat? Terram quis hortatur, ut germinet? Si fato  
procedunt omnia, neque quicquam prorsus libere sit ab hominibus,  
id quod mordicus tenetis Lutherani, nihil profecto causae reliquisti  
tibi, cur aut quemquam ad virtutem commoveas aut  
castiges noxium. Nec habes omnino quicquam quod obicias adversariis, 1155  
si nihil libere faciunt, sed omnia coacti fato, nisi te  
fortasse respondeas, nec ista quidem, quae scribis ipse, tua[p]te  
sponte scribere, sed instinctu fati.

Sed et hoc, Pomerane, miror, quum ista quae tu facienda suades  
(si modo suades, ut dicis) eadem pleraque sint, quae suademus 1160  
et nos, et quae bona sunt opera, cur nominatim toties adversus  
bona opera deblateras? Nam si contemnis, cur suades? Si suades,  
cur contemnis?

An fieri quidem talia permiseris, sed eadem vetabis opera bona  
vocari? At cur tu sic vocari prohibeas, quum sic appellet et 1165  
Deus? Haec, inquit, mulier bonum opus operata est in me. An  
ideo displicet, quia quum bonum sit, vocatur opus hominis? At  
hoc ipsum ipse testatur Christus, cui uni te scribis credere. Nonne  
dixit: Bonum opus operata est mulier? An non idem dixit similibus  
vestri Iudaeis: Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite? 1170

Iam vos qui omnibus in rebus exigitis manifestas Scripturas, cur  
hic tergiversamini in locis Scripturae manifestis? Quam multis in  
locis et iubet, et vetat Christus? Quorsum ista, si nihil facimus?  
Esurivi, inquit, et dedistis mihi manducare. Sitivi, et dedistis mihi  
bibere. Hospes eram, et collegistis me. 1175

Christus eos dedisse dicit, et collegisse; vos utrumque negatis.  
Deum enim fecisse dicitis omnia, ipsos nihil omnino, sed tantum  
passos in se facientem Deum. Ille crudelitatem exprobrat immitibus,  
imputans quod esurientem non cibarent, sitientem neglexerint,  
hospitem sub dio contempserint. Quam inclementer imputabit 1180  
omnia, si aut nihil horum facere, ne adiuti quidem gratia queant,  
aut, ne valeant, citra dementum suum subtrahatur gratia?

Quid vos ad haec Lutherani? Quid aliud quam loca quaedam  
contra congeritis e Scriptura sacra, quaecumque libertatis humanae  
vires videntur adimere, et referre peccatorum nostrorum causas 1185  
in Deum? Deinde vel citatis illis perperam, vel intellectis nequiter,  
triumphum buccinatis adversus Phariseos et Iustitios, dissimulantes  
interim tot loca turpiter, quae vestras acies obruunt atque  
prosternunt, et vestra subinde succinentes, ad ea quae vel solvunt  
vestra, vel proferuntur contra, nihil respondetis omnino. Nisi quis 1190  
forte sic insaniat, ut ab Luthero belle putet esse responsum ad  
Scripturas illas, quas eruditissimi viri et de Christi Ecclesia bene  
meriti *Diatribae pro Arbitrii Libertate* protulit. Quibus sic omnino  
respondit Lutherus in eo libro quem inscripsit de *Servo Arbitrio*,  
ut interim plane declararit, quam furioso daemone, dum illa 1195  
scriberet, ipsius serviebat arbitrium.

Quid enim affert aliud adversus clarissima illa verba Scripturae:  
Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, et alia eiusdem generis



innumera, quibus tam aperte quam passim arbitrii nostri libertatem sacrum testatur Eloquium; quam quod illa ironice dicta	1200	#143. To Bugenhagen
sint omnia? Quod Deus ideo scilicet hominem iussit facere, quia sciebat hominem facere, quod iussit, non posse, commentum tam insanum, ut (si hos excipias, qui libenter in istud dogma velut perniciosa licentiae viam discedunt, et necessitatis istius opinionem cupide amplectuntur in scelerum suorum patrocinium)	1205	
neminem sis inventurus alium, qui non stolidissimum istud responsi genus irrideat, detestans et subsannans interim vanissimi viri glorias insanissimas, quibus tam assidue Sardonio cum risu gestiens, victorias, trophaea, triumphos buccinat, et se tam praeclare praedicat respondisse, ut nec Diabolus nec Angelus possit	1210	
evincere. Quasi vero difficile sit nebuloni, ubi meras eblateravit insanias, ilico furiose clamare, tam egregia disseruisse sese, ut nemo possit dissolvere.		
Quin Luthero ipsi quam absurda videantur ista, quae respondet Diatribae, et ipsius praedamnata conscientiae, tum quam indigna censeat, quae aliud quam risum aut stomachum cuiquam moveant	1215	
alii quam haeresis suae fautoribus, lucidissime declarat ipse, quum aperte fatetur responso suo, neminem capi posse, nemini persuaderi quicquam, nisi qui legendis ipsius libris hausisset spiritum.		
Quod quid aliud est, quam ea quae respondet omnia, ceteris, qualia sunt, universis fore conspicua, nempe absurda, insana, sacrilega;	1220	
eis dumtaxat visum iri formosula, quorum oculis caliginem haeresis Lutheranae studium et favor offuderit, quosque ex lectione Lutheranorum librorum spiritus idem, qui Lutherum furiis agitat, reiecta fide Christi, dementaverit?	1225	
Ita vides, Pomerane, quam pulchre solvitis eas Scripturas, quae pro arbitrii libertate proferuntur adversus vos. Quibus aut dissimulatis omnino, aut insanissime refutatis, aliquot vicissim loca pro vobis adversus Ecclesiam proponitis. Quorum quum quaedam efferantur per hyperbolen, omnia vero (quod ex constanti sanctorum	1230	
Patrum interpretatione constat liquidissime) nihil aliud velint, quam et quosdam immani voluntatis pravitate meritos, tandem destitui gratia, (quos obdurare dicitur Deus, quod eis omnino decreverit gratiam suam numquam offerre denuo, quae saxea corda remolliat) et neminem prorsus esse mortalium, qui	1235	
quicquam possit sine Deo; id quod nos plane fatemur.		
Quis enim neget quod affirmat Veritas, quae dicit: Sine me nihil potestis facere, et, Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. At vos eo vesaniae progredimini, ut hominem contendatis nihil omnino facere, ne cum Deo quidem, nec ad	1240	
Patrem venire cum tractu, sed trahi dumtaxat invitum, non contentem cum trahente conscendere; quum Christus contra manifeste monstret, se paratum semper trahere, sed non trahere, si quis nolit trahi. Quoties, inquit, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?	1245	
Quin quo in loco maxime videtur opera nostra deprimere, ut humanam retundat arrogantiam, tamen ibi quique vires et libertatem nostrae voluntatis ostendit. Quum feceritis omnia, inquit, quae praecepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: Quod		

debuimus facere fecimus. Ecce, qui soli Christo credere vos iactatis, iam nec illi creditis. Ille nos ait facere; vos contra quod dicit ille negatis, et vos asseritis dumtaxat pati.	1250	#143. To Bugenhagen
I nunc et iacta, Pomerane, vos docere quaecumque prodidit ore suo Christus. Quin et hoc demiror, si formare proximos oratione, consilio et rebus adiuvere, etiam cum vitae dispendio docetis; quo id consilio docetis: Si non modo nihil valent ista adversus Iudicium, peccatum, mortem, et inferos, sed etiam recta deducunt illuc. Sic enim paulo supra scripsisti: <i>hypocrisin esse, mendacium, et impietatem, et impugnationem gratiae, et abnegationem Christi, si quis aliud tentet, quo liberetur a peccatis, morte, et inferis, praeter solam fidem.</i>	1255	
Quae res, si sic se habet, cur non solam doces fidem? Cur ista simul doces opera, si aut sola per se sufficit fides, aut haec necessario fidem sequuntur? Nam quis eum hortatur, qui stat in sole, quis hortatur, inquam, ut edat umbram? quam, velit nolit, est editurus, quam diu perstat in sole.	1260	
Vides ergo, Pomerane, haec doctrina vestra. (quam vos tam constantem videri vultis, et novum prorsus haberi Evangelium) quam multis modis tam foede secum pugnat, ut alia pars conficiat aliam. Quae res non alia de causa vobis accidit, quam quod aliud docetis ex animo, aliud videri vultis docuisse.	1265	
Nam cum serio praedicatis, et quanta potestis vehementia contenditis, ut mortales cuncti solius fidei fiducia liberos sese persuadeant ab omni cura et sollicitudine ceterarum virtutum omnium, tutos item et caeli certos in omni flagitiorum licentia, tamen quo declinetis aliquantulum tam insani dogmatis invidiam, quaedam interdum obiter interseritis, his quae scripsistis ante contraria, quibus controversum reddatis, an tam insane, quam sunt illa vobis scripta, senseritis. Quam rem tamen non ita callide tractasti, Pomerane, quin fucus istarum virtutum, quem tibi cura fuit allinere, facillime possit abstergi. Quod quo dicto citius factum videas, expendemus ilico, cuiusmodi fructus isti sunt: quos vestrae factionis homines, arbores videlicet tam bonae, non proferre non possunt.	1270	
<i>Quisquis, inquis, in Christum crediderit, arbor bona est, et non poterit suo tempore non ferre fructum bonum. Non quem hypocrisis fingit, sed quem Spiritus Christi illic sua sponte producit. Qui enim Spiritu Christi aguntur, hi sunt Filii Dei.</i>	1275	
Haec tametsi, Pomerane, pleraque verba sint Christi, et quae si quis afferret Orthodoxus, nihil non haberent salubre; tamen quoniam tuis intermixta sunt, qui omnia trahis et detorques ad Lutherana dogmata, merito nos ipsa res excitat, ut ipsum etiam mel habeamus, offerente Lutherano, suspectum, ne quod sub melle venenum lateat: veluti id quod ais, fructum bonum in credentibus Christi spiritum sua sponte producere.	1280	
Quod quamquam verum fatemur esse, tamen non fatemur esse verum in eo sensu, quo tu videris accipere. Neque enim in homine credente, bonorum operum fructum sua sponte sic producit Christus, ut eum producat absque sponte et voluntate hominis. Quod unum sentire te declarat haeresis, qua prorsus aufers arbitrii libertatem.	1285	
%	1290	
	1295	
	1300	

Iam illud quod sequitur satis ostendit quem fructum sentias.  
*Sobrie, inquis, pie et iuste adorabit Deum in spiritu et veritate.*  
 Recte istud quidem. Sed perge paulo quid amplius. *Non in elementis mundi, cibis et vestitu, aut alia hypocrisi. Sentiet de Sacramentis, quod Christus docuit et instituit.* 1305

At hoc illud est hinc illae lacrimae. Nam vos homines spirituales consilio, quod Christus prodidit, (qui Deum adorare velit, in spiritu et veritate oportet adorare) sic decrevistis obtemperare, ut Deo prorsus auferatis omne carnis obsequium. Sed hoc est, Pomerane, sic adorare spiritu, ut non adores in veritate, neque enim vere adorat Deum, qui sic sibi blanditur oratione spiritus, ut interim carnem neglegat lascivientem subdere et domare ieiuniis. Vobis omne corporis obsequium, quod Deo praestatur, hypocrisis est. At Mariae non erat, quae lacrimis lavit pedes Christi, et capitis capillis extersit. Vobis omnis vestitus horridior est hypocrisis: at idem Baptistae non fuit, qui pilis cameli vestitus est. 1310

Hypocrisis est vobis omnis abstinencia ciborum: at illi non erat, qui tantum vescebatur locustis. Sed nec Paulo quidem, qui se optabat omnem diem posse ieiunare. Vobis sunt hypocrisis omnia, per quae vota sua Deo pietas Fidelium effundit in templis. At non idem sensit Propheta, quem regia celsitudo non vetuit coram arca foederis et psallere, et saltare cum populo. Nec impune tulit stulta et superba mulier, quae genus id cultus tunc reprehendit in illo, quod vos Lutherani nunc, nec minus stulti, et magis superbi, sugillatis in grege Christiano. 1315

Profecto, Pomerane, si cuius ita pietas tepet, ut caro eius non effervescat in cultu Dei; is verissimus erit hypocrita, si sese dicat ferventer adorare spiritu. 1320

*De Sacramentis, inquis, credet quod Christus docuit et instituit.*  
 Satis profecto breviter, verum haud satis dilucide. Nam vos in quaestionem trahitis quid docuerit Christus. Nos non dubitamus Christum docuisse, quicquid Ecclesia Christi credit, in quo sine Christi contumelia non posset errare: alioqui frustratus esset promissum Christus, quo secum ea promisit futurum usque ad consummationem saeculi. 1325

Vos omnia negatis praeter manifestas Scripturas, et quae sunt manifestae, vocatis obscuras, aut, quod est impudentius, quod clarum est adversum vos, id clarum clamatis esse pro vobis. Ecclesia demum ipsa quaenam sit, altercamini, et ita redditis ambiguam, ut in terra statuatis omnino nullam. Denique sic tractatis, ut nisi, quod magis verisimile est, ipsi sitis impii, impios fuisse necesse sit, quicumque hactenus a Christo passo habiti sunt usquam pii. 1340

Nam quis umquam bonus Ordinem habuit pro figmento? Quis umquam blateravit adversus Contritionem? Immo quis non hortatus est ad dolorem pro peccatis? Quis mulieres permisit audire Confessionem? Quis adversus opera bona contendit? Ovis floccificet ieiunia? Quis contempsit preces Ecclesiae? Quis templis detraxit ornatum? Quis invidit Sanctorum cultui? Quis negavit ignem Purgatorium? Quis Eucharistiam in Missa non habuit pro Sacrificio? Quis panem restare sensit cum carne Christi? 1345

Quamquam hoc aliquot e primariis vestrae factionis hominibus 1350

Lutherano more iam recantaverunt. Nam ut is dogmata sua  
semper mutare solet in peius, quod et de Veniis fecit, et potestate  
Pontificis, et ipsa item Eucharistia; sic Carolostadius et Suinglius,  
quibus se tandem iunxit Œcolampadius, carnem Christi penitus  
1355 abstulerunt, merum linquentes panem. Quod ipsum plane moliebatur  
olim Lutherus, fecissetque procul dubio, nisi Carolostadius  
eum praevenisset et Suinglius.

Nam quorsum tendebant illa, quod prius liberum permisit omnibus,  
1360 ut citra periculum crederent panem cum corpore simul esse  
in Eucharistia, nihil tamen damnans, si quis panem mutari credat  
in carnem. Deinde pro haeretico habebat, si quis panem crederet  
in carnem verti.

Quorsum illud, quod Missae mutavit Canonem, Sacrificium  
1365 aut oblationem vetuit appellari, caerimonias et cultum detraxit,  
contrectandum permisit Laicis, conficiendum feminis, in templis  
honorandam servari Eucharistiam prohibuit: asserens eam non  
institutam ut honoraretur, sed ut reciperetur tantum. Immo ne  
reciperetur quidem, nisi cuique semel volvit in Babilonica, videlicet  
1370 e vita migranti, sicut Baptismus dumtaxat semel confertur ingredienti.

An non haec eo pedetentim se ferebant omnia, ut Christi corpus  
ex Eucharistia prorsus aliquando tolleretur? Et ita sibi viam struxerat,  
ut aperte statim rem esset aggressurus, nisi iam iam facturientem  
1375 scelus avocasset a scelere. Nam ab haereseos impiae propera et  
aperta praedicatione sola retraxit invidia. Carolostadio enim et  
Zvinglio eum invidit honorem, quod alteruter ipso magis haberetur  
impius. Nec minus id honoris post invidit Œcolampadio. Ita quam  
rem eum vident omnes olim vehementer molitum, eam contra  
demoliri maluit, quam ut alium quemquam praeter se permitteret  
1380 impiae cuiusquam sectae Haeresiarcham esse.

Verum quid refert, quem is animum habeat de Eucharistia,  
cuius libri satis ostendunt, quam sacrilegum habeat animum de  
Christo? Quis enim dubitet, quam impie de Christo sentiat, qui  
1385 et Sanctos eius blasphematur, et Crucem eius conspurcat, et venerabilem  
eius Matrem suae meretrici coaequat? At quid refert adeo,  
quid ei videatur de Christo, cuius animum spurcissimum adversus  
naturae Divinae sublimitatem foedissima testatur haeresis, qua  
clementissimum atque Optimum Deum, adempta voluntatis libertate,  
1390 scelerum omnium non ultorem magis facit quam auctorem?

Qua una haeresi ut nulla potest excogitari magis impia atque sacrilega  
adversus sacrosanctam Maiestatem Dei, sic nulla potest ad  
animandos in omne flagitii genus mortales excogitari perniciosior.  
Et quum tam impia et tam absurda doceatis, non pudeat interim  
1395 ita loqui, quasi Lutherani soli sint idonei, qui proximos forment  
doctrina. Videlicet, opinor, quia docet Lutherus, Christianos  
omnes omnibus solutos esse legibus: tum autem consilio, quia  
sancte et severe consulit, ut qui caelibem vovit continentiam,  
contempto voto provolet ad uxorem, et maritorum si quis est  
1400 invalidus ad libidinem, consulit, et perquam comiter, ut uxori  
conducat adulterum.

Nam quod rebus Lutherani iuvent proximos usque ad dispendium  
vitae, idque non amicos modo, sed inimicos quoque; quis

sic audire potest, ut in re atrocissima simul et miserrima risum tamen queat continere? Quum videat vestrae factionis facinorosas cohortes passim conglobari, demoliri pulcherrimas domos, sacratissimas aedes incendere, sanctissima templa diripere, miseros et innocentes Fratres bonis et fortunis omnibus exutos, omni vitae subsidio nudatos, corpore plerosque male mulctatos eicere. Hoccine est, Pomerane, rebus adiuvaré, etiam cum dispendio vitae? Idque non solum amicos, sed inimicos quoque? Sic, opinor, videlicet, quum eos tractatis ubique pessime, quicumque sunt ubivis optimi.		#143. To Bugenhagen
Nam si quis levis sit et inconstans nebulo, paratus vitro severitatem vitae strictioris abicere, hunc obviis ulnis amplectimini, hic sanctissimus est in Christo Frater, et sceleratis turmis sceleratus miles adiungitur. At si quis amplexus veram pietatem constanter insistat proposito, et abominetur facinorosam licentiam, hic statim Pharisaeus vobis, et Iustitiarius, et hypocrita proscinditur non aliter a Lutheranis, afficitur, exturbatur, affligitur, quam ab Ethnicis olim Tyrannis solent innocentissimi Martyres. Et tamen interim, si superis placet, ita loquimini, quasi soli sitis Christiani, et graviter obiurgatis Ecclesiam, tamquam non audiat Christum, oggannientes extra locum verba Dei patris de Deo filio: Ipsum audite. Sed interim vides, quod non dixit Pater, Pomeranum audite, nec Lutherum audite.	1405 1410 1415 1420 1425	
Nam quod ex Mose profers: <i>Quisquis Prophetam illum non audierit, ego ultor existam, dicit Dominus</i> , vobis ipsis minatur exitium. Ecclesia siquidem, quia Christum audit in se loquentem, servat eandem fidem, quae Christi morte per Apostolos, Martyres, et Confessores sanctissimos ad haec usque tempora perpetuo Christi flatu derivata est, ad finem usque saeculi, invitis haereticis omnibus atque omnibus haereticorum sociis Daemonibus, duratura. At vos, qui Ecclesiam Christi contemnitis, quos ob id ipsum tamquam Ethnicos et Publicanos haberi iubet Christus, vos estis, inquam, qui in Ecclesia sua Christum spernitis, qui Christum Ecclesiae suae loquentem audire negligitis, atque ideo Deum aliquando sensuri estis ultorem.	1430 1435	
Nam etsi divina bonitas interdum per tales Daemonum satellites vel bonorum qui sunt in Ecclesia probet patientiam vel castiget peccata fidelium, tamen fidelis erit, et dabit cum tentatione proventum, et omnem aliquando lacrimam absterget ab oculis emendatorum, sed eius ira atque indignatio vos, vos, inquam, impios et truculentos Fidelium carnifices, spiritu oris sui difflabit in cinerem, ac velut pulverem proiciet a facie terrae.	1440 1445	
Cuius vindictae nuper edidit perhorrendum specimen, quum miserrimi nebulones illi rustici doctrina vestra seducti, postquam demoliti sunt tot Religiosorum Coenobia, atque aliquantisper huc illuc caedibus et rapinis impune grassati sunt; quum iam se fere consecutos crederent improhibitam atque indomabilem scelerum omnium licentiam, ecce autem Deus maiestatis intonuit, et subitus supervenit interitus. Involvit eos mare miseriae velut pecora, passim perempti sunt plusquam septuaginta millia; tum reliqui, quotquot erant, omnes in acerbissimam servitutum sunt redacti.	1450 1455	

Qua in re non vos Lutheri pudet Imperatoris vestri, qui ex  
 sceleratissimo duce turpissimus factus transfuga, quos prius unus  
 ad omne nefas accenderat, armaverat, stimularat; eos, ubi vidit  
 fortuna destitui, sceleratis suis scriptis truculenter proscidit, ac  
 proscripsit, et lacerandos prodidit Nobilibus, ut nefarius adulator  
 miserorum sanguine, quos et excitavit, et mactavit ipse, suscitatum  
 in se invidiam restingueret. 1460

Quis, qui vel guttam haberet humani cruoris in pectore, non  
 decies potius elegisset mori, quam adulatione tam foeda et palpatione  
 tam dira vitam Diis et hominibus invisam vivere? Et tamen  
 fieri potest, ut non sit inventurus tam parum cordatos Nobiles,  
 ut unis litteris emolliti statim obliviscantur, per quem effectum est,  
 ut paene in extremam perniciem sint adducti. Nam rusticis, opinor,  
 omnino numquam excisurum, per quem bis perierunt. Hic homo  
 impius et ultione divina caecus, dum utramque partem studuit  
 demereri, nec alteram lucrifecit, et alteram plane perdidit. 1470

Quamquam ego profecto et Nobiles illi, et rusticos optem  
 ignoscere, modo ita se statuatur gerere, maxime ut ignoscat Deus  
 id est, si respiscat ab haeresi, si sine fuco pessima recantet dogmata,  
 si per ignominiam suam quaerat gloriam Christi, nec improbam  
 sinat superbiam obsistere, quominus in honorem Dei suam fateatur  
 insaniam. 1475

Quod si Lutherus ita de se desperat, ut salutem neglegat suam,  
 tu tuae tamen, Pomerane, consule. Impiam istam sectam, et omnium  
 quae fuerunt umquam flagitiosissimam, desere. Ecclesiae  
 Catholicae redde ac restitue te. Denique quod tua praedicatione  
 iam diu corrupisti, quantum potes, omnibus modis corrige. Episcopatum,  
 quem per nefas occupas, relinque. Miseram illam puellam,  
 in quam coniugii titulo scortaris, ablega. Et vitae quod reliquum  
 dabitur tibi, in ante actae paenitentia consume. 1485

Haec, Pomerane, si feceris (quae Deum precor ut facias) tum  
 demum vere gaudebis de nobis, et nos vicissim, qui te perire dolemus,  
 inventum esse gratulabimur.

Haec Epistola insignis et praeclari Martyris Thomae Mori dignissima  
 mihi videtur, quae imprimatur. 1490

Cunus Petri, Pastor S. Petri. 7. Aprilis. Anno. 1568.

#143. To Bugenhagen

148. To Erasmus  
 Greenwich  
 18 December <1526>

S. P. Accepi abs te, Erasme carissime, unas atque alteras litteras,  
 et eas legi quas ad reverendum patrem Episcopum Londinensem  
 dedisti. Quod calculi morbo, qui te tam diu torsit, successit is  
 qui Linacro fatalis fuit, quamquam divina bonitas et virtus tua  
 eiusmodi mala tibi vertunt in bonum, nos tamen amiculi tui, qui  
 numquam animae tuae bonis tam valde gratulari possumus ut non  
 interim simus pro humana infirmitate de corpore tuo solliciti,  
 perquam moleste ferimus; idque non tua tantum causa, cui tam  
 prospera cupimus et precamur omnia quam nobis, sed vel praecipue  
 5

totius orbis Christiani studio, ne morbus iste opera tua clarissima, quibus Christianam pietatem promoves, inturbet: quae Deum precor ut propere tibi et feliciter contingat absolvere. Sed ante omnia quod adhuc deest Yperaspisti: quo opere nec ceteris omnibus fructuosius, nec amicis tuis iucundius, nec tibi vel speciosius vel magis necessarium potes excogitare. Vix credas profecto opus illud quam avide omnes expetant boni: contra improbi quidam, qui aut Luthero student aut tibi invident, ex ista rescribendi mora gestire videntur et crescere. Quod si intermi[si]sti, dum alia quaedam interim perficeres—veluti Institutionem Christiani Matrimonii, quod Regina serenissima merito facit maximi; id quod ipsa re brevi, ut spero, senties—, aequo animo dilationem fero. Si ut rem tractes per otium accuratius, etiam valde gaudeo; cupio enim eam partem tractari diligentissime. Sin id est in causa quod quidam ferunt, periculi metum eius operis meditationem excussisse tibi, ne audeas ulterius progredi, nec satis mirari possum nec dolori meo moderari. Prohibeat Deus, Erasme dulcissime, qui tot labores, tot pericula, tot Herculeas aerumnas exanclasti, qui sudoribus et vigiliis, ut prodesse orbi, dulces omnes aetatis annos impendisti, ne nunc tam misere incipias deamare morbos, ut potius quam perdas calculum, Dei causam velis deserere.	10 15 20 25 30	#148. To Erasmus
Non vereor ne nunc obicias mihi comicum illud, ‘Omnes quum valemus’ et cetera, et ‘Tu, si hic esses, aliter sentias’. Equidem de me neque polliceri possum, nec sperare quisquam, qualia de te propter egregia pectoris in Deo fortis fidentisque specimina mortales omnes expectant. Quod animi robor quin ad extremum vitae tuae actum pulcherrime praestiturus sis, numquam dubitare possum, etiam si catastrophe foret turbulentissima. Numquam enim posses non confidere qui tragoediam explicaret, propitium e machina adfuturum Deum. Tantum abest ut nunc te timor obruat ubi, quantum ego video, non multum subest causae. Nam si quid in hoc negotio fuerant intemptaturi Lutherani, hoc vel priusquam responderas quicquam, videntur fuisse facturi. Sic enim fecissent ne rescriberes, aut si scripta volebant ulcisci, furias sum effudissent edito libello primo, quo sic depinxisti beluam, sic eius incessorem spiritum demonstrasti digito, ut fumidum illum ac tartareum daemonem, velut Cerberum extractum ex inferis, mortalibus visibilem spectandumque exhibueris.	35 40 45	
Nunc profecto quid supersit periculi non video, quod non immineret ex aequo etiam si nihil addideris amplius. Nam quum ad calumnias eius in te responderis, quum eum calami tui stilo perfoderis, quum supersit tantum tractatio Scripturarum, quum eam partem te diligenter exsecuturum prioris partis mille exemplaribus velut totidem syngraphis, toti orbi fidem tuam obstrinxeris, ne nu[n]c Dei causam prosequaris, qui tuam peregisti, et quae publice promisisti persolvas, praesertim quum possis tam facile, ne Lutherus ipse tam excors est ut velit sperare, nec tam improbus ut audeat postulare. Quamquam quin optet te tacere, non dubito, quantumvis fingat magnificum tui contemptum in epistola illa ad te, dici non potest gloriosane magis an stulta. Sed tamen satis sibi conscius	50 55 60	

est quam mera glacies reddentur, expendente te, quae nunc satis per se frigent, misera illa glossemata quibus clarissimas Scripturas laborat obscurare.

#148. To Erasmus

Ceterum quoniam ipse istic in re praesente ades, nos longe absumus, si quid in respondendo periculi vides quod nec ipse declinare nec nos divinare possumus, istud saltem, quaeso, te exoremus, ut secreto responsum scribas et per fidum aliquem ministrum huc transmittas ad nos. Bona fide curabitur et ab Episcopo Londinensi, omnium, ut scis, integerrimo et tui amantissimo, et a nobis, ne in publicum umquam prodeat, nisi prodeat tuto.

Pictor tuus, Erasme carissime, mirus est artifex; sed vereor ne non sensurus sit Angliam tam fecundam ac fertilem quam sperarat. Quamquam ne reperiat omnino sterilem, quoad per me fieri potest, efficiam. Optime factum quod edito libello opinionem quam de te sparserant impii, quasi Carolostadii favisses haeresi, pulcherrime confutasti, et illius nebulonis technas, qui libro Germanice scripto eam famam seminaverat, elusisti. Qua de re quamquam aliquando, si tibi Deus concedat otium, cuperem in fidei nostrae comprobationem tractatum aliquem abs tuo pectore, tuendae veritatis organo commodissimo, proficisci, tamen ita sum de Yperaspiste sollicitus ut nihil tibi tam cordi esse cupiam ut, quo minus id operis quamprimum perficias, alio tuas curas et cogitationes avocet.

Vale, Erasme, mortalium omnium carissime, ex Aula Grenuici xviii<sup>o</sup>. decembris.

Toto pectore plusquam totus tuus Thomas Morus.

Viro optimo atque eruditissimo D. Erasmo Roterodamo.

155. To Francis Cranevelt

Calais

14 July <1527>

T. MORUS CRANIVELDIO, AMICO DULCISSIMO, S.P.D.

Inhumanissimus sim profecto, Craneveldi carissime, si tot acceptis epistolis abs te ne litteram quidem ullam aliquando velim rependere, praesertim hoc tempore, quo tam certum nactus sum tabellarium, ut adempta mihi prorsus ea sit excusatio quam libenter soleo desidiae meae praetexere, desiderari scilicet qui litteras meas perferat. Hic gerulus minister est Erasmi, recta nunc illum repetens, a quo et fidei nomine et tacitum ita tuis valde commendatur. Huic si quid Erasmo significatum velis, quod litteris nolis committere, tutissime potes credere. Cetera si qua sunt quae te cupio scire, ex hoc tabellario cognosces.

Caleti, celeriter; xiiii<sup>o</sup> Iulii.

Dominae uxori tuae matronae praestantissime millies ex me salutem dicito. Vale, vir ornatissime, et Moro tuo carissime!

Viro clarissimo francisco Craneveldio,

Caesareae maiestati a consilio,

Mecliniae.



## #155a. To Cranevelt

155a. To Francis Cranevelt

London

8 November [1528]

Misit ad me vir Clarissimus .D. Hacketus serenissimi regis  
 nostri orator apud vos, litteras tuas quae mihi tam iucundae  
 fuerunt quam eius esse par est, quo non alius esse potest animo  
 meo carior. Paci vobis redditae vehementer gratulo Atque  
 utinam aliquando liceat gratulari publicae cuius desiderio iam  
 5  
 diu christianus orbis affligitur. Gaudeo te sic homericum esse  
 factum ut versus eius ad quidlibet tam commode tibi subserviant  
 quos tamen ita latinos fecisti ut graecis nulla parte sunt cessuri.  
 Coniugi tuae matronae plane primariae faustum iter et negotiis  
 10  
 ex sententia confectis celerem precor reditum quamquam olim  
 memini te scripsisse mihi iucundissime dormire <e> in eo lecto  
 qui uxore vacet sed haec sunt verba maritorum primis noctibus ab  
 amandatis uxoribus nam reliquis obrepit desiderium et nisi  
 vicariam reliquerit uxor somnium insuavem reddit. Tuam puto  
 15  
 qua est prudentia pedisequas omnes avexisse secum. Vale vir  
 omnium dulcissime Londini viii Novembris  
 Quantulus est ex animo totus tuus  
 Thomas Morus eques

162. To John Cochlaeus

&lt;1528?&gt;

Dici non potest, vir ornatissime, quantum tibi me  
 debere sentiam, qui me dignaris toties eorum, quae istic occurrunt,  
 me certiore reddere. Quae nunc neque minus assidua, et multo  
 magis monstrosa, parit nobis Germania quam olim solebat Africa.  
 5  
 Nam quid monstrosius Anabaptistis et quantum eiusmodi pestium  
 aliquot annis iam continuis exortum est. Ego profecto, mi Cochlee  
 quum haec in hunc modum video cotidie in peius ruere, exspecto  
 propediem fore ut existat aliquis qui Christum prorsus praedicet  
 abnegandum. Nec potest exoriri tam absurdus nebulo, ut (qui  
 10  
 nunc populo furor est) careat sectatoribus. Bernensium Edicto  
 neque ineptius umquam quicquam vidi, neque magis improbum.  
 Et disputationem (ut audio) sic adornarunt ut eam reddiderint  
 Edicti sui simillimam. Utinam mihi, mi Cochlee, foret ea Sacrarum  
 Litterarum et Theologicae rei peritia, ut contra pestes eiusmodi  
 15  
 possem non frustra scribere. Quae res tibi vir Clarissime Dei  
 benignitate tam abunde contigit, quam vix uni aut alteri praeterea.  
 Nec vacua in te gratia fuit, qui talentum tibi creditum non  
 cessas sic impendere, ut ad id aliquando sis multiplici cum usura  
 redditurus. Itaque quod valde gaudeo, Deus vicissim declarare  
 20  
 coepit, quam gratam habeat tam fideliter abs te impensam operam.  
 Nam post tot adversa, post tantam secundam carnem calamitatem,  
 respicere coepit aerumnas tuas. Qui Illustrissimo Principi inspiravit

in animum ut magno religionis nostrae bono, et fortunae  
 tuae subsidio, te sibi adiungeret et viro olim optimo atque eruditissimo  
 simillimum omnino sufficeret. Utrique certe gratulor, et  
 Principi tuo talem animum, et tibi talem Patronum. 25

#162. To Cochlaeus

163. To Francis Cranevelt  
 Chelsea  
 10 June 1528

Pudefacit me, ita me Deus amet, mi Craneveldi, tua  
 ista tam ingens humanitas erga me, qui me tam saepe, tam amanter,  
 tam accurate salutas, tam raro resalutantem, praesertim quum  
 tibi liceat non pauciores occupationes tuas praetendere, immo vere  
 non pauciores allegare, quam licet mihi! Sed is est animi tui candor, 5  
 ea constantia, ut quum in amicis excuses omnia, ipse tam  
 perpetuo perstes, et pergas in instituto tuo, ut nihil cesses quod  
 tibi possit ignosci. Sed hoc tibi, mi carissime Craneveldi, persuadeas,  
 si quid incidat in quo amici partes serio sint ostendendae, ibi  
 me numquam esse cessaturum. Dominam meam coniugem tuam 10  
 (nam ordinem non audeo rursus intervertere) quaeso ut ex me  
 salutes, cum tota familia tua, quam mea toto salutat pectore. Vale.  
 Ex rusculo meo; decimo Iunii, 1528.

[Tuus Thomas Morus.]

164. To John Cochlaeus  
 Mainz  
 11 November 1528

CLARISSIMO VIRO, DOMINO THOMAE MORO, ANGLIAE BARONI,  
 SERENISSIMI ANGLIAE FRANCIAEQUE REGIS A CONSILIIS, AC DUCATUS  
 LANCASTRIAE CANCELLARIO ETC. IOANNES COCHLEUS S.P.D.

Inveni hic, optime ac eruditissime More, in bibliotheca  
 Divi Stephani Chronicon Cassiodori, libellum quidem parvulum,  
 sed Romana nobilitate insignem, eruditisque omnibus merito desiderabilem.  
 Is tuis potissimum auspiciis in publicam lucem post  
 longas tenebras exire gestit, quia neque inter eruditos neque inter 5  
 magistratus rei publicae consultores quisquam hodie vivit, qui  
 mihi videatur in omnibus Cassiodori similior quam tu es. Nulli  
 profecto detrudere, nullum contemnere est animus; scio multos  
 eximia eruditione illustrare saeculum hoc nostrum; video in republica  
 magna nonnullos auctoritate pollere, dexteritate moderari, 10  
 honoribus fulgere. Sed qui sic coniunxerit eruditioni omnigenae  
 cunctas virtutes politicas, et quidem summa cum pietate ac bonitate,  
 ut olim Cassiodorus, praeter te equidem, bona omnium pace  
 dixerim, neminem novi.

Patere igitur aequo, precor, animo, hunc parvum magni auctoris 15  
 libellum nomini nuncupari tuo, ut per te Romana iuventus, belli  
 calamitatibus misere nunc afflicta, nonnihilo consolationis ex hoc

brevi libello accipiat, dum antiquae nobilitatis suae pulcherrimam hanc certa, licet longissima valdeque numerosa Consulium serie imaginem intuetur et agnoscit. Habet auctor iste eruditionis quidem ac pietatis suae certissima in suis super Psalterium Commentariis testimonia. Probitatis autem et prudentiae iustitiaeque eius integritatem ac omnimodum dignitatum fulgorem ex xii libris Epistolarum eius liquido cognoscet, quisquis felix eorum librorum possessor est. Quos utique simul cum nonnullis aliis eius opusculis editurus eram, si mihi Romae, ubi eos reliqui, ut cum exemplari quod in bibliotheca Vaticani erat aliquando conferrem, a militum direptione salvi permansissent. Ex innumeris autem publicisque de eo eiusque parente testimoniis, unum aut alterum paucis hic referam. De patre quidem eius ita scripsit ad Senatum Rex Theodericus, 'Meministis P.C. et adhuc recentium vobis rerum memoria ministratur, qua moderatione Praetoriano culmini locatus insederit, et evectus in celsum inde magis despexerit vitia prospectorum, iunxit bene cum universorum gaudiis nostra compendia, aerario munificus et iuste solventibus gratus. Sensit tunc respublica ex illo coitu Romuleo innocentiae virum, qui [licet] se moderando gloriosum fecerit, hoc tamen maius contulit, quia bonae actionis exemplum sequentibus reliquit. Pudet enim eum peccare qui laudatis videtur potuisse succedere. Fuit itaque, ut scitis, militibus verendus, provincialibus mitis dandi avidus accipiendi fastidiosus, detestator criminis, amator aequitatis' etc.

Ad ipsum autem Cassiodorum filium in Praefecturam Praetorianam mox evehendum, ita scripsit Rex Athalaricus Theodorici Regis et nepos, et in regno successor, 'Erat plane,' inquit, 'quod in te praedicaret Dominus avus noster eximium, animum ad promerenda beneficii patulum, et contra vitia cupiditatis obstructum dum nescio quo pacto raro est in hominibus manus clausa et aperta institia. Nescivit quisquam de te summurmurare contraria quum tamen de principali gratia sustineres invidiam, derogare cupientes vicit integritas actionis.' Et post pauca, 'Qua propter iuvante Deo, quo auctore cuncta prosperantur, ab Indictione xii in Praefecturae Praetorianae te suggestu atque insignibus collocamus, ut probatum indicem sine metu Provinciae suscipiant, quas hactenus cognovimus improborum actione fatigatas. Sed quamvis habeas paternam Praefecturam Italico orbe praedicatam, aliorum tibi tamen exempla non ponimus; vetera moribus tuis et omnium vota complesti.' Et infra: 'Constituere et huic regulam dignitati, qui anteactis fascibus mirabilis continentiae exempla praebuisti. Nam licet omnes paene honores summos aequaliter egeris, habes tamen proposita conscientiae bona, ubi nullam decet esse mensuram' etc. Idem ad Senatum. 'Cumulavimus quidem,' inquit, 'P.C. beneficiis nostris copiosum virtutibus, divitem moribus, plenum magnis honoribus Senatorem, cuius si merita consideretis, debemus etiam quod solvimus. Qua enim compensatione commendandus est, qui aures Dominantium luculenta saepe praedicatione complevit? dignitates sibi creditas eximia gravitate tractavit et visus est tempora facere quae merito laudarentur in principe. Credimus P.C. et si adhuc referre volumus, beneficia collata superantur. Nostris quoque

#164. To Cochlaeus

principiis quanta se labore concessit, quum novitas regni multa posceret ordinari? Erat solus ad universa sufficiens, ipsum dictatio publica, ipsum consilia nostra poscebant, et labore eius actum est, ne laboraret imperium' etc.	70	#164. To Cochlaeus
Haec et id genus plurima exstant de huius auctoris, qui peculiari quodam insigni miroque privilegio proprie Senator dictus est, quemadmodum Philosophus Aristoteles, Poeta Virgilius, Propheta David, virtutibus testimonia publica. Quae ideo prolixius quam decet, fateor, praeliminari Epistola referuntur, ut eo certior fiat de Consulium serie Lector, quam a tanto vira, qui et ipse Consul ordinarius fuit, collectam esse cognoverit. Atque ut de reliquis opusculis eius ad communem utilitatem pervestigandis tanto quisque fiat diligentior, quanto auctor iste inter omnes doctores Ecclesiasticos dignitatum saecularium honore summa cum integritate religioneque et pietate praefulsit. Quamvis enim reges eius essent Ariani, ipse tamen fidelissime perpetuo tenore Catholicae Ecclesiae partes defendit, uti probant diversi eius in re theologica tractatus, et propria eius verba, quae in Praefectura ad Papam Ioannem II scripsit: 'Mihi filio,' inquit, 'vestro intellegentiae sensus aperiat, ut quae vere sunt utilia, sequar, quae vitanda, refugiam. Talem denique iudicem excipiat publicus actus, qualem filium Catholica mittit Ecclesia. Sum quidem iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus, nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus.' Et quod adhuc mirabilius est, magisque pium ac religiosum, relicto tandem saeculo cum omnibus honoribus dignitatibusque imperii, monasticam vitam ita suscepit, ut monasterium Vivariense, non longe a Ravenna situm, amplissimis censibus donaverit, variis aedificiis ornaverit, ac locupletissima instruxerit bibliotheca. Id quod latius cognoscet digniusque mirabitur, qui introductorios eius ad fratres Vivarienses legerit libros.	75 80 85 90 95	
Huius igitur innocentissimi viri libellum, More dissertissime, pro tua erga cunctos humanitate studioque et amore antiquitatis, laeta, ut soles eruditissima quaeque, perlege fronte. Quem, ne parvitate tibi sua intercidat, reliquis Chronographis adiunget Ioannes Sichardus.	100	
Bene vale decus saeculi nostri singulare. Ex Moguntia III Idus Novemb. Anno. M.D. xxviii.	105	

165. To John Cochlaeus  
<March-April? 1529>

Litteras tuas, Cochlee doctissime, gratissimas habui vel suo vel auctoris merito. Tum hoc quoque nomine, quod nuncupatos mihi Romanos Consules in lucem exiisse nuntiarent. Quos etiam multa prorsus cum animi voluptate legi. Cuiusmodi fragmenta ubicumque nactus sum, exosculari soleo, tantum abest ut fastidiam. Nec, quum videam Persarum Regem rustici hominis manu porrectam aquulam, ea prorsus fronte, qua multi pretii munera consuevit accepisse, ego porro infra tantum Principem positus tam sanctas vetustatis reliquias ullo possum modo contemnere,

5

qui gerras quoque Siculas, aut siquid istis despiciatis 10 #165. To Cochlaeus  
 (saltem litterarium) numquam in universum aspernatus sim.  
 Quippe amici contemplatio tantum apud probissimum quemque  
 ponderis habet, ut rebus quam libet minutis gratiam pretiumque  
 conciliet. Nec vero haec eo dixerim, quo munus tuum, imprimis  
 magnificum, ex istarum esse rerum classe iudicem. Nec Cassiodoro 15  
 (cui tu similem me amice potius quam vere opinaris) ulla in re  
 sum conferendus. Sed quis istam voluntatem, tam ad gratificandum  
 nobis accinctam, nullo provocatam beneficio, non plurimi  
 faciat?

166. To John Cochlaeus  
 <1529?>

Hoc mihi velim credas, pro amore nostro mutuo, carissime  
 Cochlee, multis annis nullas venisse amicorum litteras iis  
 gratiores, quas a te proxime accepi, quum propter multa, tum ex  
 duabus nominatim causis: priore, quod in eis ingens mei studium  
 perspexi, haud incognitum antehac mihi sed multis partibus solito 5  
 auctius, quod est eximiae cuiusdam felicitatis instar (ut enim  
 merita tua seponam, quis non vel favorem solum taciti amici  
 plurimi faciat?); posteriore, quod iisdem me litteris de Principum  
 actis fecisti certiore. Quo officio perinde quam si animo tuo parum  
 satisfecisses, misisti eisdem de rebus factos commentarios, quibus 10  
 ita complexus es universa, ita clare explicuisti ob oculos, ut maiore  
 diligentia curaque persequi nequeris, et eos legens commentarios,  
 coitui vestro mihi sim visus interesse. Haec et videntur mihi et  
 sunt mire evidentia amoris in me tui documenta, quibus manifeste  
 declarasti, quam nullum laborem recuses, unde voluptas modo 15  
 aliqua ad me reditura sit. Proinde vix aeque ulla re ac studii tui  
 adversus me delector memoria. Quid hic pergam sigillatim scriptorum  
 tuorum multiplicem referre gratiam? Quid aggrediar sermone  
 prolixo pro eo merito tibi gratias agere, cuius nullam portionem  
 quantumlibet numerosae gratiarum actiones assequantur? 20

Veniam nunc ad postremam commentariorum partem, ubi  
 eorum recenses nomina, qui sanctissimo isti negotio praefuere;  
 pars profecto mirum in modum mihi iucunda fuit, quod inter  
 cetera Cochlei nomen reperirem. Christum obnixe praecor, cuius  
 beneficio ex pientissimo in Deum Caesareae Maiestatis mandato, 25  
 per vos praeclare coepta res est, ut exterminatis celeriter opinionum  
 dissidiis, per eosdem Ecclesiae suae tranquillitatem reddat, ut inducta,  
 immo reducta iam diu profligata animorum consensione,  
 gaudium nostrum nullo contaminatum metu, nulla sollicitudine  
 vitiatum, ex omni parte absolvatur. 30

178. To Erasmus  
 <Chelsea>  
 28 October <1529>

S. P. Diu meditans et suspirans otium, ecce de improvviso negotiis et plurimis et maximis iniectus sum. Ea cuiusmodi sint, e Quirino tuo intelleges. Sunt ex his qui mihi sunt amici, qui vehementer exsultant ac mihi valde gratulantur. Tu qui res humanas soles prudenter et sollerter expendere, fortunae meae fortasse misereberis. Ego me rebus accommodo, et Principis optimi erga me tam immenso favore gratiaque delector; sedulo curaturus ut eximiae illius de me conceptae spei, quum ingenio ceterisque dotibus longe sim impar, diligentia quo ad potero, fide certe ac voluntate omni ex parte respondeam.

Cetera omnia audies e Quirino, quem accurate omnibus de rebus edocui. Tibi vero, mi dulcissime Erasme, omnia feliciter succedere tanto plus opto quam ipsi mihi, quanto id rei Christiane multo magis interesse video. Vale, carissime Erasme, plusquam animae meae dimidium, ex rusculo nostro XXVIII Octobris.

Toto pectore plus quam tuus  
Thomas Morus.

Viro optimo atque eruditissimo D. Erasmo Roterodamo. Friburgi.

#178. To Erasmus

180. To Conrad Goclenius  
Chelsea  
12 November <1529>

Eruditionis laudem, quam ubertim mihi tribuis Conrade amantissime, ut mediocritatis meae conscius non agnoscere, ita nec in totum aspernari possum, praesertim a te delatam sic docto homine, sic in colendis amicis sincero, nulla ut vel suspicio assentationis in istos mores haerere queat. Tum illud succurrit, quid, si quis paulo superstitiosius laudari recuset, protinus aucupari eruditionis opinionem censi consueverit. Eoque fit, ut supervacaneum arbitrer prolixiorum tecum ista de re sermonem instituere, atque eam potius me epistolae tuae partem convertam, ubi Christophorum, hactenus tuum, nunc nostrum, omni studio summaque mihi diligentia commendas. Commendas autem? immo ad suspiciendum mirabiliter, validissime diligendum, denique complexandum artissime inflammas. Nec inflammas modo: verum etiam incomperta mihi antehac ratione adeo cogis petenter, ut tergiversari nullo modo possim, quum tu animi dotes eius vel naturae tot tantasque percenses, ut aegre crediturus fuerim, ni partim litterae tuae, quibus ad quidvis persuadendum nihil efficacius, sentire aliter prohibuissent, partim experimento verissimum esse comperissem. Hoc tamen peccasti (dabis veniam) quod hominem tam multis iisque eximiis ornatum commendatumque virtutibus, ea praeditum felicitate, ut generis splendori humanitatis quoque gloriam cum litterarum exquisita cognitione adiunxerit, ita anxie, itaque commendaris vehementer, quasi encomiaste proba merx quidque egeat. Habet enim hoc vitii plus aequo accurata commendatio, ut falsi suspicionem comitem secum trahat. Sed quid ego istud vituperio factum: ob quod (si grati esse velimus) laudari merueris? Dum ad hunc modum praedicando mihi Christophorum,

effecens ut penitius eum magisque intime inspexerim. Et quamquam favore non solum nostro sed principum etiam dignissimus est, tamen studii erga illum mei usuram polliceris, et operam neutiquam segnem, sicubi eius usus sit. Unde promptum est colligere, quam vel ex animo bene amico cupias, vel in pensando beneficii liberalis sis.

Erasmus noster, ubi D. Augustinum emendatum more suo, excusumque studiosis dederit, primo quoque tempore (ita enim recens admodum profectus hinc, Quirinus narravit), quod iam olim concepit de contionandi ratione opus, aggressurus est ut tandem aliquando absolutum enitatur. Vale. Chelcit postridie feriarum D. Martini.

Amicissimus tibi Thomas Morus.

Amanuensis meus, mi Conrade, dum nimium diligenter parci voluit meo labori, etiam nomen meum sua manu subscripsit.

Iuxta humano, atque erudito viro, Conrado Goclenio Lovanii.

#180. To Goclenius

30

35

40

185. To John Sinapius  
Chelsea  
2 May <1531>

MORUS IOANNI SINAPIO S.P.D.

[S.P.] Carmen tuum, iuvenis doctiss., non minus elegans quam prolixum et studii erga me summi luculentis plenum testimoniis, dici non potest qua animum meum voluptate affecerit: omnino me tui admiratione implevit. Varietas in eo, elegantia, facilitas par, hoc est maior quam quae ullo exprimi sermone possit. Miratus sum in argumento maxime conciso tam multiplicem cogitationem, quam aetas tua et temporis tanta brevitudo magis etiam reddit admirabilem. Nihil in tanta tamque felici sermonis copia coactum, nihil conquisitum anxie, nihil dispar aut inaequabile, nihil obscuritate offensum, nihil vagum, nihil interlucens, vel quod rimas agat, nihil elatum, aut humile. Omnia praeclare coniunguntur sibi atque inhaerent, plena affectibus omnia veris, dulcibus. Omnia denique eiusmodi sunt, ut laudari a me carmen tuum supra id quod meretur haud possit.

In cuius vestibulo, protinus illam agnovi pulcherrimam tui imaginem, quam vir doctissimus Simon Grynaeus verbis suis mihi tamquam coloribus scitissime depinxerat, quasque in tabula oculis spectandam praebuerat. Vale.

Ex rure nostro Chelceico, secundo die Maii.

5

10

15

188. To Erasmus  
Chelsae  
14 June 1532

THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO S.D.

QUAM rem ad hunc usque diem a puero paene semper optavi,  
 Desideri dulcissime, ut quod tibi perpetuo contigisse gaudeo, idem  
 aliquando gauderem contigisse mihi, nempe ut, publicarum rerum  
 negotiis liberatus, aliquid olim temporis vivere Deo dumtaxat ac  
 mihimet ipsi possem: id nunc tandem, Erasme, Dei opt. max. 5  
 benignitate ac Principis indulgentissimi beneficio consecutus  
 sum. Ceterum non ita tamen sum consecutus, ut volui. Fuerat  
 enim in votis ut ultimum illum vitae colophonem quicquid  
 annorum fueram habiturus, infractum vegetumque, morbo saltem  
 et cruciatu liberum (quoad per aetatem liceret) obtinerem. Nunc 10  
 vero an eius voti, nimium fortassis improbi, compos aliquando  
 sim futurus, Dei in manu est. Sed interim pectus mihi occupavit  
 nescio quid morbi: cuius non tam sensu et dolore crucior quam  
 eventus metu ac timore sollicitor. Nam quum aliquot menses  
 eodem tenore semper infestaret, consulti medici responderunt 15  
 moram longam in morbis esse periculosam, et curam huius agebant  
 celerem esse non posse: tempore sensim, victu, pharmacis, quiete  
 medicandum: neque finem medendi praefiniebant, neque salutem  
 satis certam pollicebantur tamen.  
 Haec ego igitur mecum versans animo, quum aut deponendum 20  
 mihi magistratum viderem, aut operam meam in eo gerendo  
 claudicaturam, quando negotia quae res poscebat obiri per me  
 non possent, nisi mortem ipse obire periclitarer (qua si defungerer,  
 vel sic omnino cum vita simul relinquendum fuit officium), decrevi  
 mecum tandem altero potius quam utroque carere. Quamobrem 25  
 ut et publicis rebus pariter et meae saluti consulerem, a clarissimi  
 Principis et optimi benignitate supplex impetravi ut magistratu  
 isto quo me (quod tute scis), regni totius amplissimo, incredibilis  
 eius in me favor tam longe supra meritum quam supra spem ac  
 votum omne meum honoraverat, nunc sub eius pondere fatiscentem 30  
 dignaretur eius pietas exonerare. Superos igitur universos precor  
 ut et istos indulgentissimos in me clarissimi Regis affectus Deus,  
 qui soius potest, digna repenset gratia: et mihi quicquid temporis  
 reliquum daturus est, ne per iners atque ignavum transigatur  
 otium, non eam modo mentem donet ut bonas horas bene collocare 35  
 velim, sed eam etiam corporis addat firmitatem, qua possem.  
 Nam (quae mea socordia est) infirma valetudine nihil omnino  
 possum.  
 Neque enim, mi Erasme, omnes sumus Erasmi, ut quod mortalium  
 omnium uni propemodum tibi propitius donavit Deus, id nos 40  
 conveniat omnes exspectare. Quis enim praeter te alius id polliceri  
 audeat quod tu praestas? qui praeter aetatis ingravescentis incommoda,  
 sic assiduis afflicto morbis ut fatigare atque obruere  
 iuvenem valentem queant, quotannis tamen totius temporis tui  
 rationem, tamquam nihil inde neque anni graves, neque adversa 45  
 valetudo surriperet, editis libris optimis orbi toti numquam cessas  
 reddere. Quae res una, quum reputantibus universis miraculi  
 vicem habeat, ad stuporem tamen usque miraculum geminat, quod  
 nihil te deterrent a scribendo (qui vel herculeum pectus oppressuri  
 viderentur) tot undique in te surgentes vitilitigatores tui: quales 50  
 tibi multos in dies exsuscitat incomparabilis istius ingenii tui atque



eruditionis, ingenium etiam tale superantis, invidia: ad quas naturae atque industriae tuae virtutes quum facile se intellegant numquam posse conscendere, et ferre tamen per animi tumorem, quo paene dirumpuntur, nequeant, ut infra tam longe subsidant, 55  
 machinantur inter se nimirum, ac pro sua quisque virili moliuntur, si qua possint efficere ut tua gloria ad ingloriam ipsorum vilitatem queat assidua detrectatione deduci.

Sed dum saxum hoc Sisipheum iam tot annos volvunt, quid aliud interim tandem tam irritus quam improbus labor effecit 60  
 quam ut saxum semper in ipsorum caput recideret, tu semper altior et sublimior evaderes? Nam si quid interdum aliquos, qui neque mali sunt nec indocti, commoveat, in quo fortasse tractando aliter abs te temperatum stilo voluissent, quid magnae rei est? 65  
 quum id non modo nulli umquam scriptori non acciderit, sed nec ipsi quidem, dum notarent tua, sic potuerint tamen temperare sibi ut non idem vitii et illustrius quam ut ex ipsorum honore sit, et frequentius quam pro libelli cuiusque modo, contigerit. Qua in re tanto difficilius veniam merentur illi, quod ignorare non possunt 70  
 quam ingenue fateris ipse quaedam te tractasse sic, priusquam haereses istae pestilentes orirentur, quae iam passim grassantes pessundant omnia, ut si divinare potuisses tales religionis hostes ac proditores aliquando prodituros esse, mitius ac dilutius eadem fueris propositurus: quae ut tum proponeres fortius, diversa 75  
 quorundam vitia, quae pro virtutibus amplectebantur, exstimulabant. Quem animum qui velit tibi vitio vertere, is haud dubie sudabit satis, priusquam satis inveniatur qua ratione possit sanctissimum quemque ex antiquis ecclesiae doctoribus excusare: quos ego certe non dubito, si nostrum hoc saeculum sic vidissent ut viderunt suum, nonnulla suis quemque temporibus fuisse et cautius 80  
 et explanatius enarraturos: quod quia non fecerunt (propterea quod dum praesentibus medebantur malis futura non veniebant in mentem), idem nimirum illis accidit, quod isti nunc calumniatur in te; nempe ut postea succrescentes haeretici quaedam 85  
 sese iactent ab illorum scriptis hausisse: quae res tibi non cum sanctissimis solum patribus illis, et orthodoxae fidei vetustissimis praesidibus, sed cum ipsis etiam Apostolis et Evangelistis est, atque ipso etiam Servatore nostro, communis: ut ex quorum verbis maxime, immo propemodum solis, haeretici omnes dogmata sua falsissima conantur stabilire. 90

Macte igitur, mi Erasme, virtutibus istis tuis, et tantum, si quid interdum boni cuiusquam viri anxiam sollicitudinem, vel absque satis grandi causa, commoveat, ne te pigeat tamen ad pios eorum affectus quaedam attemperare. Alioquin neglectis malevolorum latratibus, perge placidis iuvandis studiis et promovendis virtutibus 95  
 nihil remoratus insistere.

De illo quem mihi litterarum gratia, non etiam religionis, commendaveras perquam circumspecte sane ac civiliter, per amicos quosdam admonitus sum ut caveam ne mihi sublinatur os. Id profecto quoad fieri per me poterit, curabitur. Neque enim nescio 100  
 quantum sit periculi, novas istas errorum sectas admittere, quae tametsi sedulo semper hactenus apud nos et Praesulum cura et

Principis auctoritate cohibeantur, mirum tamen quibus primum  
 technis irrepere, deinde quanta cum pervicacia nituntur irrumpere:  
 neque cessant unus et alter e nostris, male vertendo scripturas et 105  
 deterius interpretando, omne genus haereseos e Belgica (quo se  
 velut in portum aliquem receperunt) in hoc regnum libris nostro  
 sermone conscriptis mittere. Quorum ipsi sic plerisque respondimus,  
 ut non valde cuiquam metuam, qui utrumque perlegerit:  
 nisi quod quidam et nova per levitatem, et perniciose per malitiam 110  
 ita libenter et cum favore perlegunt, ut non ideo assentiant quia  
 vera credant esse quae legunt, sed quia cupiant. Sed isti hominum  
 generi, quibus malos esse libido est, nulla umquam ratione satisfacere.  
 Mihi studio est pro mea, virili iis praesidio esse qui non  
 sua, sponte desciscunt a vero, sed versutorum hominum fallaciis 115  
 abducuntur. Vale, doctissime Erasme, ac de bonis studiis optime  
 merite.

Ex aedibus nostris Chelcheicis. Anno Domini M.D.XXXII. decimo  
 quarto mensis Iunii.

189. To John Cochlaeus

Chelsea

14 June <1532>

Georgius noster, optime atque amantissime Cochlee,  
 huc reversus, una cum litteris tuis fascem quoque librorum mihi  
 reddidit. In quo praeter alia illi etiam continebantur libri, quibus  
 adversus gravem Ecclesiae adversarium, Lutherum, fortis Evangelii  
 religionisque assertor, non minus docte pieque quam strenue 5  
 pugnas. Postquam Georgius in Angliam rediit, complures diversis  
 temporibus Epistolas abs te accepi. Postrema ea fuit, quam de  
 Zvinglio et Ecolampadio scriptam misisti, quorum nuntiata mors  
 laetitiam mihi attulit. Quamquam enim dolendi causas reliquere  
 nobis heu nimium graves, propter multa quae neque sine horrore 10  
 eloqui possum, et nemini sunt ignota, neque audire homines pii  
 sine profundo gemitu debent. Sublatos tamen e medio esse tam  
 immanes fidei Christianae hostes, tam accinctos ad Ecclesiae excidium,  
 tam intentos ubique in omnem perimendae pietatis  
 occasionem, iure gaudere possumus. 15

Valetudine aliquot superioribus mensibus, non tam in speciem  
 gravi me intuentibus, quam sentienti mihi formidolosa usus sum.  
 Quam ne nunc quidem, post impetratam omnium munerum vacationem,  
 satis possum excutere. Ita fiebat, ut Cancellarii obire officium  
 haud satis possem, nisi valetudinis malum sinerem in dies 20  
 magis magisque crescere, sanitatem non aliter promittente medico,  
 quam si in otium recederem. Ac ne sic quidem satis fidenter  
 tamen. Movit ergo animum meum recuperandae cura sanitatis,  
 sed multo magis publicae utilitatis respectus, quam multis modis  
 remoraturus videbar, si homo valetudinis impeditae, negotia publica 25  
 simul cogere impedire. Otium, quod Illustrissimi Principis  
 in me prona benignitas precibus meis annuere dignata est, posthac  
 studiis et Deo constitui dedicare. Quod ut mihi contingat felicius,

#188. To Erasmus

tu me, Cochlee carissime, precibus apud Deum tuis adiuta.  
Vale feliciter, ex aedibus nostris Chelcheicis, quartodecimo die  
Iunii. 30

#188. To Cochlaeus

191. To Erasmus  
Chelsea  
<June 1533>

THOMAS MORUS ERASMO ROTERODAMO S.D.

BINAS abs te litteras accepi, alteras Friburgi datas VII. Februarii  
proximi, alteras hic Quirinus attulit, qui praeter litteras impartivit  
alia, quae in regionibus istis acta digna cognitu sunt; quae quod  
me scire voluisti, magnas tibi gratias ago.

De rebus tuis omnia potes e Quirino cognoscere, qui mihi videtur 5  
et probus esse et diligens. Gaudeo tua causa, et, quoniam te amo,  
etiam mea, praesentem Cantuariae Praesulem non minorem erga  
te amorem prae se ferre quam praestitit olim Vuaramus, quo non  
alius vixit tui amantior: qui si visus est in fine ad dandum segnior,  
ipsa res indicat impares facultates, non imparem animum, fuisse 10  
in causa; nam mortuus est supra quam quisquam credat pauper,  
nisi quod non defuit unde dissolverentur debita: neque ita multum  
debutit, sed post impensa iusta funeri, non admodum multum  
superfuit. Dunelmensem haud dubie vehementer exhaurit hoc  
bellum, aut incursiones potius quae sunt habitae nobis cum Scotis: 15  
nam eius dicio Scotis est contermina, tam procul a nobis ut ego  
tam raro fere ab illo iam audiam quam abs te. Rumor hic erat  
N. hic fuisse cum Melanchthone una servatum per nescio quos  
diu clanculum, post furtim discessisse: sed is rumor paulatim  
evanuit, et res reperta est falsissima. Rex videtur adversus 20  
haereticos acrior quam Episcopi ipsi.

Tyndalus haereticus nostras, qui et nusquam et ubique exsulat,  
scripsit huc nuper Melanchthonem esse apud Regem Galliae:  
semet collocutum cum eo qui illum vidisset exceptum Parisiis  
comitatu CL. equorum : addebat se timere Tyndalus ne, si Gallia 25  
per illum reciperet verbum Dei, confirmaretur in fide Eucharistiae  
contra Vicleficam sectam. Quam sollicite isti tractant hoc negotium,  
tamquam illis delegasset Deus instituendum et rudimentis  
fidei imbuendum orbem! Quod in epistola priore scribis, dubitasse  
te epistolam meam aedere, quum tamen essent causae cur editam 30  
cuperes, non est, mi Erasme, quod dubites. Locutulei quidam  
apud nos spargere coeperant, me, quamquam dissimularem, invitum  
tamen esse magistratu abdicatum. At ego quum sepulchrum mihi  
faciendum curassem, non dubitavi rem, ut erat, Epitaphio testari,  
ut contra si quis posset redargueret. Hoc illi simul ut descriperant, 35  
quum velut vanum non possent, ut gloriosulum incessebant.  
Sed ego hoc malebam quam ut alterum illud persuaderi sinerem:  
non mea certe causa, cui quid dicant homines, modo probet Deus,  
non multum pensi habeo: sed quoniam in fidei causa libellos  
aliquot adversus quosdam nostros contentiosorum dogmatum propugnatores

lingua nostrate scripseram, arbitrabar oportere me  
integritatem nominis mei defendere: et, ne nescias quam gloriose  
scripserim, Epitaphium meum accipies: in quo videbis qua conscientiae  
fiducia nihil illis blandior, quo minus de me praedicent  
quod libet. Exspectavi iam syndici tempus a gesto ac deposito 45  
magistratu, nec adhuc quisquam prodiit qui de mea integritate  
quereretur. Aut tam innocens fui, aut tam cautus saltem, ut  
aemulis meis necesse sit, si me altero nolint, altero saltem sinant  
gloriari. Sed de hoc negotio Rex ipse quum alias, tum privatim  
saepe, tum bis publice pronuntiavit. Nam supra quam meus 50  
pudor pati potest ut recenseam, per os Ducis illustrissimi, Ducis,  
inquam, Norfolchiae, magni thesaurarii Angliae, quum successor  
meus homo imprimis egregius collocaretur in loco, honorifice iussit  
de me testatum reddere, quod aegre ad preces meas me dimiserit:  
nec eo singularis erga me bonitas Regis contenta, revocari fecit 55  
idem denuo multo post in sua praesentia in sollemni conventu  
magnatum ac populi, per os successoris mei, in ea oratione, quam ex  
more primam habuit in senatu, quem senatum (ut scis) nos Perleamentum  
vocamus. Igitur si tibi ita videbitur, nihil est quod  
dubites, quo minus edas epistolam. Quod in Epitaphio profiteor 60  
haereticis me fuisse molestum, hoc ambitiose feci. Nam omnino  
sic illud hominum genus odi ut illis, ni respiscant, tam invisus  
esse velim quam cui maxime, quippe quos in dies magis ac magis  
experior tales ut mundo ab illis vehementer metuam. Illi de quo  
scribis (obsequar tuo consilio) nihil omnino rescribam, quamquam 65  
longam epistolam iamdiu paratam habeam; nec ob id contineo,  
quod quicquam pensi habeam quid ille, aut omnes eius complices,  
vel sentient vel scribant de me, sed quod nolim onerare me necessitate  
rescribendi externis, quum cura propiore tangar respondendi  
domesticis. Tu, mi Erasme, feliciter diu vale, felicissime 70  
semper.

E rure nostro Chelseico.

TABULA AFFIXA AD SEPULCHRUM THOMAE MORI.

THOMAS Morus urbe Londinensi, familia non celebri sed honesta  
natus, in litteris utcumque versatus, quum et causes aliquet annos 75  
iuvenis egisset in foro, et in urbe sue pro Shyrevo ius dixisset, ab  
invictiss. Rege Henrico octavo (cui uni Begum omnium gloria  
prius inaudita contigit, ut fidei defensor, qualem et gladio se et  
calamo vere praestitit, merito vocaretur) ascitus in aulam est,  
delectusque in consilium, et creatus eques, proquaestor primum, 80  
post Cancellarius Lancastriae, tandem Angliae, miro Principis  
favore fetus est. Sed interim in publico regni senatu lectus est  
orator populi: praeterea legatus Regis nonnumquam fuit, alias  
alibi: postremo vero Cameraci, comes et collega, iunctus principi  
legationis Cuthberto Tunstallo, tum Londinensi mox Dunelmensi 85  
Episcopo, quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius,  
prudentius, melius. Ibi inter summos orbis Christiani monarchas  
rursus refecta foedera, redditamque mundo diu desideratam pacem,  
et laetissimus vidit, et legatus interfuit:

Quam superi pacem firment faxintque perennem. 90

In hoc officiorum vel honorum cursu quum ita versaretur ut neque

#191. To Erasmus

Princeps optimus operam eius improbaret neque nobilibus esset  
 invisus nec iniucundus populo, furibus autem, homicidis haereticisque  
 molestus, pater eius tandem Ioannes Morus, eques et in eum  
 iudicum ordinem a Principe cooptatus qui regius consessus vocatur, 95  
 homo civilis, suavis, innocens, mitis, misericors, aequus et integer,  
 annis quidem gravis, sed corpore plusquam pro aetate vivido,  
 postquam eo productam sibi vitam vidit ut filium videret Angliae  
 Cancellarium, satis in terra iam se moratum ratus, libens emigravit  
 in caelum. At filius defuncto patre, cui quam diu supererat 100  
 comparatus, et iuvenis vocari consueverat, et ipse quoque sibi  
 videbatur, amissum iam patrem requirens, et editos ex se liberos  
 quattuor ac nepotes undecim respiciens, apud animum suum coepit  
 persenescere. Auxit hunc affectum animi subsecuta statim velut  
 appetentis senii signum pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium 105  
 harum rerum satur, quam rem a puero paene semper optaverat,  
 ut ultimos aliquot vitae suae annos obtineret liberos, quibus  
 huius vitae negotiis paulatim se subducens futurae posset immortalitatem  
 meditari, eam rem tandem (si coeptis annuat Deus) indulgentissimi  
 Principis incomparabili beneficio resignatis honoribus 110  
 impetravit: atque hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum numquam  
 cessantis arreperere cotidie commonefaceret, translatis huc prioris  
 uxoris ossibus, extruendum curavit. Quod ne superstes frustra  
 sibi fecerit, neve ingruentem trepidus mortem horreat, sed desiderio  
 Christi libens oppetat, mortemque ut sibi non omnino mortem 115  
 sed ianuam vitae felicioris inveniat, precibus eum piis, lector  
 optime, spirantem precor defunctumque proseguere.

EPITAPHIUM INIBI FIXUM.

Cara Thomae iacet hic Ioanna uxorcula Mori,  
 Qui tumulum Aliciae hunc destino, quique mihi. 120  
 Una mihi dedit hoc, coniuncta virentibus annis,  
 Me vocet ut puer et trina puella patrem.  
 Altera privignis (quae gloria rara novercae est)  
 Tam pia quam natis vix fuit ulla suis.  
 Altera sic mecum vixit, sic altera vivit, 125  
 Carior incertum est haec sit, an haec fuerit.  
 O simul o iuncti poteramus vivere nos tres  
 Quam bene, si fatum religioque sinant!  
 At societ tumulus, societ nos obsecro caelum,  
 Sic mors, non potuit quod dare vita, dabit. 130  
 Epitaphii finis.

#191. To Erasmus

217. To Antonio Bonvisi  
 Tower of London  
 1535

AMICORUM AMICISSIME, ET MERITO MIHI CARISSIME, SALVE.

Quoniam mihi praesagit animus (fortasse falso, sed praesagit  
 tamen) haud diu mihi superfuturam ad te scribendi facultatem,  
 decrevi dum licet, hoc saltem epistolio significare, quantum

in hoc fortunae meae deliquio, amicitiae tuae iucunditate reficiar.

#217. To A. Bonvisi

Nam ante quidem, vir ornatissime, tametsi mirifice certe, semper  
 amore isto in me tuo delectatus sum, tamen recordanti mihi, 5  
 annos iam prope quadraginta perpetuum Bonvisae domus, non  
 hospitem, sed alumnum fuisse me, nec amicum interim ulla  
 rependenda gratia, sed sterilem tantum amatorem praestitisse, 10  
 verecundia mea profecto fecerat, ut sincera illa suavitas, quam  
 alioqui ex amicitiae vestrae cogitatione deglutiebam, paululum  
 quiddam pudore quodam rustico, tamquam neglectae vicissitudinis  
 subacesseret. Verum enimvero nunc hac ego me cogitatione consolor,  
 quod bene vicissim mihi merendi de te numquam se praebebat  
 occasio. Ea siquidem amplitudo fortunae tuae fuit, ut commodandi 15  
 tibi nullus mihi relinqueretur locus. Conscius igitur mihi, non  
 officii neglectu vicem non rependissem me, sed quia deficiebat occasio;  
 quum iam te conspiciam, etiam sublata rependendi spe, sic  
 in me amando et demerendo persistere, immo adeo progredi potius,  
 et cursu quodam indefesso procurrere, ut pauci sic amicos fortunatos 20  
 ambiunt, quomodo tu prostratum, abiectum, afflictum, et  
 addictum carceri Morum tuum diligis, amas, foves, et observas;  
 quum pristini pudoris mei qualiquali me amaritiae abluo, tum in  
 huius admirabilis amicitiae tuae suavitate conquiesco. Et nescio  
 quo pacto tam fidelis amicitiae prosperitas videtur mihi cum hoc 25  
 improspere classis meae naufragio propemodum paria facere (certe  
 tollatur indignatio non amati mihi minus quam metuendi Principis)—  
 quod ad reliqua pertinet, propemodum plus quam paria,  
 quippe cum illa sint inter fortunae mala numeranda omnia.

At amicitiae tam constantis possessionem, quam tam adversus 30  
 fortunae casus non eripuit, sed ferruminavit fortius, amens profecto  
 fuerim, inter caduca fortunae bona si numerem. Sublimius,  
 haud dubie, bonum est, atque angustius, peculiari quadam Dei  
 benignitate proveniens, amicitiae tam fidelis et reflante fortuna  
 constantis raro concessa felicitas. Ego certe non aliter accipio 35  
 atque interpretor, quam eximia Dei miseratione curatum, ut inter  
 tenues amiculos meos, tu vir talis, amicus tantus, iam longo ante  
 tempore parareris, qui magnam istius molestiae partem, quam  
 mihi ruentis in me fortunae moles invexit, tua consolatione lenires  
 ac relevares. Ego igitur, mi Antoni, mortalium mihi omnium 40  
 carissime (quod solum possum) Deum Optimum Maxi. qui te  
 mihi providit, obnixè deprecor, ut quando tibi talem debitorem  
 dedit, qui numquam solvendo sit futurus et facturus, beneficentiam  
 istam quam mihi cotidie tam effusus impendis, ipse tibi dignetur  
 pro sua benignitate rependere; tum ut nos ab hoc aerumnoso et 45  
 procelloso saeculo in suam requiem pro sua miseratione perducatur,  
 ubi non erit opus epistolis, ubi non distinebit nos paries, ubi non  
 arcebit a colloquio ianitor; sed cum Deo Patre ingenito, et unigenito  
 eius Filio, Domino et Redemptore nostro, Iesu Christo,  
 atque utriusque Spiritu, ab utroque procedente Paracleto, gaudio 50  
 perfruamur aeterno. Cuius interea gaudii desiderio faxit Omnipotens  
 Deus, ut tibi, mi Antoni, mihi que, atque utinam mortalibus,  
 undecumque omnibus, omnes huius orbis opes, universa mundi  
 gloria, nec non istius quoque dulcedo vitae vilescat. Amicorum

omnium fidissime mihi que dilectissime et (quod praedicare iam olim soleo) oculi mei pupilla, vale. Familiam tuam totam, erili in me affectui simillimam, Christus servet incolumem.

55

#217. To A. Bonvisi

T. Morus: frustra fecero si adiciam Tuus; nam hoc iam nescire non potes, quum tot beneficiis emeris. Nec ego nunc talis sum, ut referat cuius sim.

60